

COMMERCIALIS
MANUFACTURIS

VOL. IV.

OFFICIALE

&

DICTIONNAIRE

94156

BRUNNEN

94156

COMMENTARIUS
RINUCCINIANUS

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

DE SEDIS APOSTOLICAE LEGATIONE
AD FOEDERATOS HIBERNIAE CATHOLICOS
PER ANNOS 1645-1649

FLORENTIAE
OPUS SUSCEPERUNT ATQUE ABSOLVERUNT
PER ANNOS 1661-1666

FR. PATER RICHARDUS (BARNABAS O'FERRALL)
LONGFORDENSIS

FR. PATER ROBERTUS (DANIEL O'CONNELL)
DESMONDENSIS
UTERQUE E PROVINCIA HIBERNICA
ORDINIS MIN. CAPUCCINORUM

NUNC PRIMUM E FONTIBUS TOTUM
EDENDUM CURAT

FR. PATER STANISLAUS (JOANNES KAVANAGH)
EIUSDEM ORDINIS ET PROVINCIAE

DUBLINI: ANNO MCMXLI

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

DE SEDIS APOSTOLICAE LEGATIONE
AD FOEDERATOS HIBERNIAE CATHOLICOS
PER ANNOS 1645-1649

VOLUMEN QUARTUM

ANN. 1649-1651



DUBLINI: MCMXLI



94156

DUBLIN:
PUBLISHED BY THE STATIONERY OFFICE.

To be purchased directly from the
GOVERNMENT PUBLICATIONS SALE OFFICE, 3-4 COLLEGE STREET,
DUBLIN, C.5,
or through any bookseller.

Price: Twenty-five Shillings



COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

SERIES RERUM

VOL. IV. PARS I. AN. 1649.

Paragraphus		Pagina
(1)-(31)	Pseudo-Comitia 17 Januarii 1649 pacem cum Ormonio Kilkenniae promulgarunt. Articuli in lucem editi non fuerunt quamdiu Nuncius in Regno commoratus est. Articulorum ad religionem spectantium compendium insertur et scholiis illustratur	1
(32)-(35)	Aliter probatur hanc pacem fuisse iniquissimam	18
(36)-(41)	Haec contracta anno 1649 pax iniquior fuit illa anno 1646 proscripta. <i>Soteria de Iberniae pace anno 1649 mense Januario inita. Elegia contra pacem Ormonicam anno 1646 conclusam</i> , cui Nuncius epigrammate accinuit. Ad Nuncii epigramma respondit Edmundus O Meara	24
(42)-(50)	Ormonio a pseudo-Comitiis in Proregem admisso, Confaederatio Catholica dissoluta est. Undecim Praelati per actum Kilkenniae 17 Januarii datum pacem suis calculis munierunt. Fernensis Nuncio scripsit verbis a recto haud parum deviantibus	37
(51)-(53)	Legati ab Eugenio ad pseudo-Comitia missi conditionibus ab Ormonio oblatis subscribere noluerunt. Pax solemniter promulgata est in Faederatorum locis, exceptis quae in Lagenia penes Eugenium erant et Galvia	45
(54)-(57)	Comes de Beerhaven Nuncio Waterfordia scripsit. Antiqui Iberniae caelites severas jejunandi et carnibus abstinenti leges stabilierunt. Comes in Hispaniam remigravit	46
(58)-(59)	Clanricardius 19 Februarii Nuncio Galviam contra praedones scripsit, cui Nuncius respondit	49
(60)-(64)	Vicecomes Dillonus et P. Petrus Tiernanus de Franciscanis Nuncio epistolas scripserunt. P. Paulus King, Franciscanus, Romam destinatus est. Post appulsum S. Isidori in Urbe guardianatum gessit	50
(65)-(69)	P. Franciscus Nugentius, Capucinus, ad Carolum secundum, Angliae Regem, allegatus est	55
(70)-(94)	PP. Jesuitarum Generalis Summi Pontificis jussu P. Mercurium Verdier in Jesuitarum Ibernorum Visitatorem anno 1648 destinavit. Nuncius in Iberniae Jesuitas sibi adversantes accusationum capita exaravit	56
(95)-(101)	Septem Praelati Nuncio adversantes ad P. Verdier dederunt epistolam solitis Ormonistarum absurditatibus scatentem. Nuncius postea in Galliam reversus, ad P. Generalem Jesuitarum 19 Maii litteras dedit	60
(102)-(107)	Controversia Nuncio cum Jesuitis intercessit de solutione pecuniarum Nuncio mutuo datarum	64

Paragraphus		Pagina
(108)-(111)	Nuncius persuasum habuit PP. Jesuitas petram pene fuisse angularem eorum omnium qui ad Ormonistarum partes transierunt. Nemo inficias ivit quin in vinea Iberica excolenda Jesuitae operam praeclaram collocarunt. Dominantibus in Jesuitarum Missione iis qui Nuncio adversarentur, id factum ut viri qui pro ipso fecissent, male multati fuerint	68
(112)	Specialis mentio fit de P. Mauricio O Conaldo, Desmondiensi. Nuncius sanctissimam Jesuitarum Societatem devotione videtur coluisse singulari	72
(113)-(115)	<i>Missionariorum Hebridum Scotiae Verax Memoriale</i> Nuncio Galviae 9 Januarii 1649 praesentatum	73
(116)-(125)	Ad Nuncium e Regno navigaturum Episcopi Laghleniensis et Elphinensis, et Richardus O Fearall epistolas dederunt. Nuncius 19 Februarii Laghlenensi valedixit. Eodem die sex Praelatis potestatem fecit absolvendi a Censuris Massarius Kilkennia Galviam ad Nuncium profectus est.	76
(126)-(127)	Quotquot e Nuncii famulitio ab ipso separati essent, eum denum convenerunt	81
(128)-(129)	Massarius anno 1647 multas Sanctorum Reliquias ex Urbe in Iberiam transportaverat. Nuncius Galviae 18 Februarii septem Doctores creavit. Postea Episcopos sibi Galviae assistentes, amicos et Magistratus visitavit, eisque valedixit	84
(130)-(133)	Speciali dignae sunt mentione duae Nuncii Galviae conciones. <i>Illustrissimi D. Nuncii valedictio Galvienibus</i> 22 Februarii 1649. Eodem vespere navim concendit	85
(134)	Nuncius 23 Februarii ventis vela dedit in eadem fregata qua ante triennium in Iberiam trajecerat. Dic 2a Martii in terram Gallicanam excendit	88
(135)-(139)	Monnerius, Galliae Orator, Kilkennia Nuncio significavit se propediem ex Ibernia navigaturum. Quinque Praelati libellum supplicem cum appendice a Cassiliensi adjecto Nuncio miserunt, in quo multae ineptiae continentur	89
(140)-(146)	Fernensis et Plunkettus ultimo Februarii ad Nuncium litteras dederunt in Continentem, in gravissimis capitibus mere praestagiosas. Creditum fuit Fernensem et Plunkettum reipsa Nuncium Galviae convenire noluisse. Quotquot Ormonium in throno collocarunt, reipsa Nuncium Regno exploserunt. Praecipui Ormonistae religionis zelum privatis commodis praetenderunt	93
(147)-(178)	Nuncius expectavit ab aula Gallicana fidem publicam qua iter securus prosequeretur. Ex S. Vadasti oppido 14 Martii ad Card. Pamphilium epistolam dedit, simulque tres aliae scripturae : 1. <i>De Agentibus Romanam destinatis.</i> 2. <i>De Censuris.</i> 3. Circa pacis cum Ormonio hoc anno contractae modum, substantiam et effectus. De Fernensi	

Paragraphus	Pagina	
	et Plunketto quid postea Romae Nuncius senserit auctor perstringit. Cardinales Albitius et Panzirolus Nuncio epistolas scripserunt	99
(179)-(183)	Nuncii itinera et quae circa ipsum acta sunt ab oblivionis injurya vindicantur. Sua Sanctitas Nuncio integrum fecit ut in Belgio moras necteret, vel Romanam citra moram remigraret. Rex Christianissimus non in Flandriam sed Lugduno in Italiam proficisci Nuncio fecit potestatem	115
(184)-(191)	Panzirolus ex mandato Pontificio litteras ad Nuncium 31 Maii dedit, eo spectantes ut in Italiam et Romanam rediret. Massarius a Nuncio Parisios missus, Reginae Angliae visitationem praetermisit. Nuncius cur urbem Parisiensem declinavit aliaque Panzirolo 3 Junii significavit	119
(192)-(196)	Mentio fit quarundam litterarum, quas Nuncius et Jacobus Piers inter se scripserunt	122
(197)-(207)	Nuncius Divione Principem Condaceum invisit. Ex urbe Parisiensi tres Iberni, D. Eduardus Tirellus, P. Joannes Poncius et D. Joannes O Molonius ad Nuncium invisendum perreverunt. Archiepiscopus Rothomagensis Nuncium redditum Parisios in Nuncium Galliarum desideravit	128
(208)-(217)	Indicatur modus quo in censorum anno 1648 fulminatarum atque Appellationis lite Romae dirimenda processum est. P. Josephus Arcamonius, ubi Romanum ad ineuntem mensem Maium hoc anno pervenisset, <i>Capita contra P. Rouaeum Carmelitanum vibravit</i>	133
(218)	Rei progressus ex P. Josephi litteris ad Nuncii fratrem et ad ipsum Nuncium narratur. Rebus Ibernicis tunc in Urbe praefuit peculiaris Congregatio, quatuor scilicet Cardinales, praesente saepe et praesidente ipso Summo Pontifice. Fernensis, Plunkettus et P. Lucas Waddingus appellantium causam in Urbe tunc egerunt	137
(219)-(294)	In medium producitur <i>Candida et Brevis Relatio</i> ex parte appellantium porrecta. Indigitantur multa in quibus a vero et integritate aberrat	139
(295)-(326)	P. Josephus, Nuncii Procurator, duas confecit scripturas, quarum una hic insertur et ad calcem castigatur. P. Josephus ad audienciam admissus praefatam scripturam Suae Sanctitati reliquit. Dixit Pontifex se Nuncii modo procedendi esse maxime contentum	152
(327)-(335)	Stupet auctor quorsum Nuncius non presserit ut ad sententiam judiciariam veniretur. Nuncius P. Josepho scripsit suggestiones in textu datas	164
(336)-(337)	P. Rouaeus, Appellantium Procurator, operam dabat ut Appellatio admitteretur vel absolutio <i>ad cautelam</i> concederetur. De qua re P. Josephus Nuncio 24 Julii	

Paragraphus	Pagina
(338)-(347)	scribens causam suo patrono sinistre et praepostere proposuit. Indicatur modus quo Josephus facili negotio triumphasset
(348)-(352)	Datur Memoriale Summo Pontifici a P. Josepho porrectum Doctor Joannes Creaghus, Limericensis, ex Ibernia in Urbem 13 Junii appulsus, rerum in Ibernia gestarum relationem Suae Sanctitati prompsit. 3 Septembris Nuncio Romam redeunti scripsit. Maximas in hac ipsa controversia agitanda partes egit
(353)-(359)	Cardinales Romae circa censuras et Appellationem variarunt. Nuncius 9 Julii P. Josepho suggestiones scripsit. Ecclesiastici in Ibernia Ormonistis adhaerentes uti solebant privilegiis Missionarii in suae factionis scopum et Ecclesiae detrimentum. P. Lucas Waddingus epistolam ab ipso Ormonio Romae recepit
(360)-(367)	Nuncius, dubitans ne forsan Appellantates absolutionem in Urbe obtinerent, Lugduno 21 Julii ad P. Josephum epistolam scripsit, cui Josephus respondit
(368)-(372)	Iberniae Clerus anno 1646 Massario in mandatis dederat ut Nuncio ipsum nomine a Pontifice Cardinalatum procuraret, sed Nuncius Massario injunxerat ut non procuraret. Massarius dignus fuit ut exaltaretur. In S. Congregationis propagandae fidei Secretarium cooptatus est. Romam 18 Augusti 1649 pervenit. P. Josephus sinistre hanc controversiam tractavit
(373)-(386)	Narrantur res in Anglia gestae. Carolus primus, Angliae Rex, a nefariis regicidis die 30 Januarii securi percutitur. <i>Actum latum ad abolendam in Anglia, Ibernia et Dominiis ad ea spectantibus dignitatem Regiam</i>
(387)-(388)	Ormonius et Commissarii Catholici Walliae Principem 26 Februarii Regem declararunt. Rupertus, Princeps Palatinus, a novo Rege cum aliquot navibus in Iberniam destinatus Kinsaliam appulit, quem Ormonius mox visitavit.
(389)-(391)	Ormonius et Commissarii Catholici nullum non moverunt lapidem ut paci totum Regnum se submitteret. Haud pauci Catholici Ormonio morem gerentes pacem illam non nisi reluctantem admirerunt. Clerus ex parte longe potissima a pace illa abhorrebat. Duodecim Praelati paci subscripserunt. Duo Archiepiscopi et tredecim Episcopi eam non admiserunt
(392)-(414)	Ormonius et Commissarii in id animum intendebant ut Religiosi S. Francisci in pacem jurarent, sed P. Provincialis, P. Thomas Mackiernanus, non acqueivit. P. Petrus Marchant, Franciscanus, natione Belga, P. Raimundum Carronum, Ormonistarum studiosissimum, Commissarium Generalem in Iberniam destinavit. <i>Epistola D. Proregis ad Reverendum P. Caronum.</i>

SERIES RERUM

v

Paragraphus	Pagina	
	Catalogus quorundam Seditiosorum Fratrum. Epistola Secretarii D. Proregis ad P. Raymundum Caronum. Summa accusationum in quosdam privatos Fratres .	205
(415)-(462)	Commissarii fiduciarii ad P. Carronus 18 Maii litteras dedere. Datur schedula P. Carrono a P. Provinciale 2 Junii scripta. P. Provincialis Carronus velut Ormonii instrumentum in Judicem repudiavit. Carronus P. Provinciale excommunicavit. Multa documenta ex Philopatro Irenaeo, Ormonii apologista, in medium producuntur in persecutionem passorum laudem et adversariorum opprobrium. Omnes Franciscani Ormonici, excepto P. Petro Walshaeo, postea palinodiam cecinerunt	215
(463)-(486)	Dantur capita concionis turbulentissimae Kilkenniae habitae die 13 Junii 1649 a P. Antonio Sweetman .	229
(487)-(499)	Ambae Franciscanorum partes causam Romae agebant. Tunc Romae residebant P. Franciscus Bremingamus, Definitor Generalis, et P. Lucas Waddingus, historiographus. P. Josephus et Nuncius Waddingum tanquam partibus Nuncio adversantibus occultissime patrocinantem suspectum habuerunt. Nuncii fautores in Ibernia et ipsi Franciscani Iberni Ecclesiae causam sustinentes Waddingum Romae adversariis studuisse objectarunt. Indicantur nonnulla quae suspicionem de Waddingo habitam auxerunt. Innocentius X. monuit ne Waddingus circa res Ibernicas ulterius consuleretur	
(500)	Auctor persuasum habet Waddingum non se gessisse nisi sicut sua ipsi conscientia dictaverat. P. Carronus officio spoliatus est	4
(501)-(504)	P. Joannes Rouaeus, Carmelitarum discalceatorum Provincialis, ab Ormonistis Romam destinatus erat ut Appellationem prosequeretur. Carmelite discalceati in duas partes divisi sunt. Aliorum Ordinum Religiosi paci cum Ormonio non obviarunt, licet non omnes in eam jurarint	24
(505)-(525)	Eugenius O Nellus cum Parlamento Anglicano aliquam conventionem ineundam meditabatur. Ex Philopatro citantur <i>Propositiones per Generalem O Nellum Angliae Parlamento praesentandae</i> . Indicatur ordo tractatum illorum quibus Eugenius se immiscuit. Eugenius saltem usque ad 18 Maii 1649 nullum cum Parliamentariis pacis tractatum suo calculo confirmavit	251
(526)-(536)	Dionysius O Driskeollus, Archiepiscopus Brundusinus, nominatur Procurator et <i>Agens</i> in Curia Romana. Variae ab Eugenio et partium ipsi adhaerentium primoribus scriptae fuere litterae ad Summum Pontificem, nonnullos Cardinales, aliosque 18 Maii ..	
(537)-(540)	Ormonius in Eugenium hac aestate movit. Insequinnius jam Ormonio conjunctus Trimmum, Vadipontum et	257

Paragraphus		Pagina
	Dundalkum in suam potestatem redegit. Scotti in Ultonia Ormonio obtemperantes Londonderiam obserderunt. Tota Ibernia mense Julio Ormonii imperium sequebatur, exceptis Dublinia et Londonderia a Parlamento Anglicano stantibus. Ormonius se ad Dubliniam obsidemus accinxit	263
(541)-(551)	Eugenius Joannem Vangyrishium, natione Germanum, ad Principem Robertum allegavit, ut aequis conditionibus sub ejus imperio Regi in Parliamentum bellaret. Eugenius cum Carolo Cooto pactus est, et Londonderiae obsidionem solvit	265
(552)-(565)	Patricius Crellius, Abbas, in petendis Romae anno 1648 subsidiis oleum et operam perdidera. Nuncio inconsulto hoc anno cum Parliamentariis sed incassum tractavit. Dantur epistolae Nuncio a Crellio scriptae. Dubitat auctor ne Parliamentarii tunc Crellii voluntatem emerint	274
(566)-(577)	Ex tribus tabulis conficitur relatio de clade Ormonii viribus ad Ratminiam allata a Parliamentariis sub Michaelie Jonio 2 Augusti. Datur catalogus eorum ex Ormonii exercitu qui caesi et capti fuere. Non pauci Ormonium in occultae prodigionis suspicionem vocarunt	284
(578)-(583)	Si Ormonius tunc Dubliniam expugnasset, credere par est Cromuellum in Iberiam haud fuisse transmissurum, vel certe facili negotio repulsandum. Cromuellus Dubliniam ad 20 Augosti appulit. <i>Commissarii fiduciarii</i> juramentum fidelitatis in Regem ab omnibus suscipiendum singulis Praelatis 30 Augsti miserunt	292
(584)	Cromuellus Vadipontum in suam potestatem redegit. Cives Catholici ad quatuor fere millia contrucidati sunt antea vitam a Cromuello pacti. Pari quoque fidei publicae violatione praesidiarios et cives Castello Motensi inclusos trucidavit	295
(585)-(586)	Trimmum, Dundalkum, Neurium et Carlingfordia citra renitentiam Cromuellis dedita sunt. Arcloa quoque deserta est. Cromuellus triduo Wexfordiam cepit. Civium ingentem numerum Cromuelli gladius percussit	296
(587)-(589)	Cromuellus Taaffo, Rossiponti Gubernatori, 19 Octobris conditiones denegandas aut concedendas patefecit. Rossipontum, nulla facta hosti resistentia, deditum est, idque Ormonio praescribebat	298
(590)-(595)	Parliamentarii pacta omnia quae Monk, Parlamenti Commissario, cum Eugenio intercesserant, tanquam novae Reipublicae probrosa resciderunt. P. Franciscus Nugentius, Capucinus, cum Angliae Rege egit circa conditiones aequas Eugenio concedendas. Rex litteras ad Eugenium et Richardum O Ferallum mense Septembri cum P. Thoma Talbotto dedit. Eugenii morbus extremus quotidie recrudescet	300

Paragraphus	Pagina
(596)-(604)	12 Octobris 1649. Dantur duo primi illius pactionis articuli a Philopatro Latine redditi. Ormonius Waterfordia 18 Octobris Eugenio litteras dedit, cui Eugenius 3 Novembris rescripsit
(605)-(609)	304 Cromuellus praecipiti cursu Duncananiae obsidionem dederunt. Praesidiarii Angli Carrigiam Cromuello dediderunt. Cromuellus propugnaculum quod vulgo <i>Transitus</i> vocatur, cepit. Waterfordiam obsedit, sed adventantibus Ultoniensibus receptui cecinit. Ormonius ante exercitus Ultoniensis accessum nullum oppidum aut Castellum a Cromuelli invasione defenderat.
(610)-(613)	308 Haeretici Anglicani Corcagiae, Kinsaliae, Yeogheilliae, Dungarvaniae et Bandiponti sub Insequinnio ad Cromuellum defecerunt. Hanc habuit periodum Insequinnii tyrannis. Hunc etiam funestum sortita est exitum pseudo-Concilii Supremi atque Ormonistarum nefaria sagacitas in contrahendis cum Insequinnio anno 1648 induciis, et hoc anno 1649 pace
(614)-(615)	311 Multi sententiam mutarunt, credideruntque Nuncium atque ejus partes solas sapuisse, quod nec induciis nec illi paci celebranda authores fuerunt. Plurimae miseriae hanc versam belli aleam comitarunt. Ipso mense Augusto, quo Cromuellus in Iberniam trajecit, pestis Galviae grassari caepit, exindeque totam pene Insulam populavit, excepta Ultonia in quam nunquam penetravit.
(616)-(617)	314 Synodi Provinciales Tuamiae et Limerici celebratae sunt
(618)-(627)	318 Clerus indixit Congregationem Ecclesiasticam in 4 Decembribus Cluanmacnosiae celebrandam. Ambarum partium Praelati convenerunt, excepto Kilmorensi, et pene omnes Praelati Regulares. Duae Cleri partes in quibusdam deliberationibus convenerunt; in aliis autem articulis discordarunt. Plures ambarum partium Praelati Innocentio X de quibusdam actis in Nuncium anno 1648 conditis Regnum purgariunt per epistolam 12 Decembribus scriptam. Praelati Nuncio in censorum controversia adversantes ad Innocentium X epistolam 12 Decembribus dederunt. Postridie Praelati Nuncio suffragantes ad eundem scripserunt. Ambae partes Episcopum Dunensem ad Suam Sanctitatem 13 Decembribus destinarunt
(628)-(631)	318 Eodem die Congregatio sex communes in Urbem dederunt epistolam, Episcopo Dunensi D. Guillelmum Burgat in collegam associarunt et Nuncio communem scripserunt epistolam. Praelati Nuncio adhaerentes ad eum epistolam scripserunt
	325

	Pagina	
Paragraphus (632)-(634)	Non est dubium quin Eugenius O Nellus, Episcopus Clogherensis aliquie proceres parum vel nihil adducti fuerint P. Francisci monitis ad concordiam cum Ormonio absolvendam	327
(635)-(649)	Congregationi Cluanmacnosiensi Praelati interfuerunt alii qui a censuris, alii qui in censuras palam steterunt, et alii neutri, Fernensis scilicet et Duacensis. Ardaghensis nec pro nec contra subscrispsit. Dantur tria acta ab omnibus Praelatis 13 Decembris unanimiter lata	329
(650)-(651)	Longe satius fuisse tunc Ormonium deponere quam anno 1650, quo eum Clerus sero nimis magistratu abdicavit. Ormonius Clogherensem in Eugenii locum substituit atque in exercitus Ultoniensis Imperatorem ascivit. Constat Clogherensem in illa Congregatione Ormonio potenter patrocinatum fuisse	337
(652)-(654)	D. Franciscus Esmundus et Jacobus Dillonus ex Ibernia in Continentem digressi haud multum impetrarunt. In Hispania D. Daniel O Dalaeus, seu Dominicus de Rosario Regem Angliae Reginamque ejus matrem demeruit. Inde Romam progressus est. Hoc hyeme P. Patricius Crellius sua Legatione Londini infaeliciter functus Parisios trajecit. Paulo post Romam remigravit	341
(655)-(656)	Rex Angliae hoc anno a Scottis adduci non potuit ad aliquid decernendum in pacis cum Iberniae Catholicis contractae praejudicium. Nuncius litteras scripsit de lite quam Didacus de la Torre sibi et Massario intendit ob praedam a Nuncii fregata anno 1647 captam.	341
(657)-(662)	Nuncius circa 8 Novembris Romam pervenit. Relationem suae Nunciaturae tunc in Urbe Italice contexuit, quam Summo Pontifici praeäsentavit. Datur illius MS. initium Latine versum. Nuncius Ibernorum recentiorum factioni, quam Ormonicam vocitat, omnia belli Catholici et suae Nunciaturae infortunia ascribit	344
(663)-(667)	Commissarii fiduciarii circa censurarum et Appellationis controversiam Suae Sanctitati scripserunt. Toto hoc anno P. Rouaeus in prosequenda Romae Appellatione operam lusit.	348
(668)	Sua Sanctitas, Cardinales et Praelati magno Nuncium recens appulsum applausu et congratulatione excepterunt	354
(669)-(676)	Hoc anno Jacobus MacDonell Romam profectus est. Sequenti anno in Galliam regressus est. Eugenius O Nellus die 6 Novembris mortuus est. Nuncio et ejus partibus semper adhaesit. Defuncto aliquis parentavit tribus Epitaphiis	357
(677)	Ad hunc annum exeuntem Lutetiae Parisiorum diem obiit Robertus O Kearneus, Decanus Cassiliensis. Buckinghamiae Ducissa, Antrimiae Marchioni nupta, 16 Novembris decessit	357
		362

PARS. II. AN. 1650.

Paragraphus	Pagina
(1)-(4)	
	Concordia duarum partium Catholicarum mense Octobri 1649 inita solida non fuit. Episcopus Dunensis nec anno superiori, nec hoc anno, sed anno 1652 Romam profectus est. Mense Maio hoc anno de hac legatione ipsi decreta ad Nuncium in Italiam scripsit
(5)-(8)	365
P. Rouaei epistola P. Richardo O Ferallo, Capucino, 13 Martii scripta Summo Pontifici valde displicuit. Dantur rationes ob quas P. Rouaei causa Romae evasit deterior	
(9)-(13)	367
Hugonis Rochforti epistola ad P. Joannem Colganum 9 Martii scripta et P. Colgani epistola 12 Martii P. Paui King Romam transmissae Nuncium et ejus ibi fautores laetificaverunt	
(14)-(18)	369
P. Rouaeus nunquam fuit admissus ad Pontificis audienciam. Pontifex jussit ut Rouaeus Roma exploderetur. Jacobus Talbottus P. Rouaeum accusavit apud Reginam Angliae per libellum supplicem 12 Maii 1650 scriptum	
(19)-(26)	374
Ex epistolis Roman missis, una 14 Februarii 1650 a Cottintono ex urbe Madritensi, et altera pridie hujus diei ad Eduardo Hydaeo colligendum quanta sagacitate haeretici Angliae Ministri subterraneos adhibeant cuniculos ut Pontifici fucum faciant. Principum Catholicorum conatus multum conduxerunt ad effi- cendum ut sententia in Nuncii favorem nunquam tulerit	
(27)-(29)	377
P. Scarampus Nuncio objecit ipsum in prudentiam peccasse. Universus Clerus populusque Firmanus Nuncium Fir- num redeuntem honorifice exceperunt, et Supremo Numini gratias egerunt	
(30)-(33)	383
Cromuellus castrum Cahirensse, variaque alia praesidiola expugnavit. Dunboinniae Baro absolutionem a Sua Sanctitate petiti. Pontifex anno 1651 Breve absolutorium Dunboinnio transmisit. Ormonius cum suis Commissariis se et suam curiam Limericum contulit	
(34)-(36)	384
Cromuellus Kilkenniam obsidione incinxit. Obsessi civitatem 7 Aprilis 1650 dediderunt. P. Fiacrius, Capucinus, mense Septembri exploratoris dolo detectus reliqua hujus anni parte in ergastulo squaluit. D. Rothus, Episcopus Ossoriensis, a militibus haereticis male multatus expiravit. Ossoriensis in Nuncium insurrexerat. Nullibi auctori occurrit eum a Nuncii censuris absolutum	
(37)-(40)	387
Cromuellus Clonmelliam ad deditioinem coegit. Ormonius in Conaciam penetravit. Multis argumentis ostendit fovere potius hostes quam enervare et impugnare voluisse. . .	
(41)-(45)	390
Boetius MacEganus, Episcopus Rossensis, captus et suspensus vitam martyrio finivit. Fidem in se positam nunquam prodidit. Alter Boetius MacEganus, Episcopus Elphinensis, obiit 19 Aprilis hujus anni	391

Paragaphus		Pagina
(46)-(50)	Eugenii loco in exercitus Ultoniensis Imperatorem assumptus est Episcopus Clogherensis. Exercitus Ultoniensis Chiliarchi, duces, aliquie qui in Nuncii censuras insurrexerant, 24 Martii paenitentiam egerunt. Summus Pontifex ex hac submissione maximam cepit animi oblationem	394
(51)-(53)	Ormonio Clogherensis electionem confirmante, exercitus in Ultoniam penetravit. In Tirconallia ad manus ventum est. Parlamentarii sub Cooto bellantes exercitum Catholicum profigarunt. Clogherensis captus et die 17 Septembribus Iniskilliniae suspensus est. Cootus Carolomontem expugnavit	397
(54)-(65)	Cromuelli vires Tecrohaniam et Caterlaghun ad deditonem redegerunt. Plurimi peneque omnes Ormonistae ad absolutionem a censuris per Nuncii delegatos concessam, alii prius, alii posterius recurrerunt	399
(66)-(75)	P. Petrus Marchantius cuidam Franciscano epistolam audacem 5 Februarii 1650 scripsit. Commissio P. Raymundo Carrono credita revocatur 4 Februarii. In Commissarium destinatus est P. Eugenius Fieldus, qui Capitulum Provinciale mense Augusto celebravit. P. Carronus et fratres qui ipsi adhaeserant paenitentiam egerunt. Novus Provincialis et exProvincialis communem Nuncio in Italiam 24 Augusti scriperunt epistolam ..	401
(76)-(77)	Legatio P. Antonio Dalachan anno 1649 et denuo 12 Aprilis 1650 decreta ad nihilum recidit. Alia legatio D. Roberto FitzMauritio hoc anno decreta frustra fuit	406
(78)-(79)	Rex Angliae a Scotis adduci non potuit ut pacem cum Iberniae Catholicis initam rescinderet. Ipsum hoc anno in eadem sententia aliquandiu perstitisse liquet ex epistola Ormonio 12 Januarii scripta .	407
(80)-(86)	Ormonius et Catholici Taaffum ad Regem Angliae et ad exterias nationes allegarunt ut subsidia procuraret	409
(87)-(89)	Multa in Ormonium accusationis capita ex variis Regni partibus congregabantur. Quaedam notantur circa Limericensis epistolium 9 Junii scriptum .	413
(90)-(126)	Cleri Congregatio Jacobopoli 12 Augusti <i>Declarationem contra Ormonium</i> formarunt. Excommunicationem quoque fulminarunt in omnes sese huic Declarationi opposentes. Ex omnibus Regni Praelatis solus Finiborensis haec acta haud rata habuit. Hujus Congregationis actis haud expresse damnantur induciae cum Insequinno contractae, nec pax cum Ormonio conclusa, sed ipse Ormonius velut pacis transgressor et Reipublicae inique tractatae reus	416
(127)-(129)	Fernensis et P. Poncius ex una parte et Richardus Bellingus ex altera Lutetiae Parisiorum calamis gladiati sunt.	416

Paragraphus	Pagina	
(130)-(145)	<p><i>Vectigalium a Commissariis Provinciae Momoniae impositorum ratio.</i> Sequitur Clerum jure merito Ormonium peculatus reum egisse</p>	431
(146)	<p>Limericenses Praelatorum Momoniensium Congregationi libellum supplicem praesentarunt. <i>Rationes, quarum in hoc libello supplici mentio fit. Quaestiones Episcopo Limericensi propositae</i>, postea Londini 24 Octobris 1650 typis mandatae. Congregatio his querelis aurem praebuit. Praelati inde Galviam se receperunt</p>	436
(147)-(155)	<p>Congregatio Jacobopolitana excommunicationis publicationem differendam censuerunt donec Ormonius certis conditionibus sibi propositis respondisset. Totam suam autoritatem transtulerunt in Congregationis Commissarios</p>	444
(156)-(168)	<p>Inter Waterfordienses et Iretonum 6 Augusti de civitatis deditione conventum est. 14 ejusdem mensis post longam obsidionem Duncanania dedita est</p> <p><i>Monita data Episcopo Dromorensi et P. Carolo Kellaeo ad Ormonium allegatis.</i> Legati Loghreaghum 12 Augusti pervenerunt. Legatione incassum functi Galviam concesserunt, ubi 14 Augusti eandem ad Commissarios retulerunt</p>	444
(169)-(181)	<p>Orta est nova tempestas circa censuras a Nuncio anno 1648 fulminatas. Post controversiam inter Cleri Commissarios et Commissarios fiduciarios incassum agitamat Cleri Commissarii declarationem in Ormonium et annexam declarationem censuerunt toto Regno promulgandam. Ormonius Episcopum Laonensem in custodiam dedit. Episcopi suam interposuerunt authoritatem quo libertate donaretur</p>	447
(182)-(189)	<p>Hostes mense Septembri in Conaciam et Tomoniam penetrare moliebantur. Commissarii Fiduciarii Athuniae Baronem et Zepherinum Brounum ad Cleri Commissarios Galviam allegarunt. <i>Athunii et Brouni propositiones ex parte Commissariorum Fiduciariorum. Commissariorum Cleri responsiones ad praefatas propositiones</i>, Galiae 29 Septembribus datee</p>	450
(190)-(191)	<p>Fraelati Catholicos omnes ad communem hostem unanimiter repulsandum invitarunt. Mense Septembri hostes Limerici obsidionem inchoarunt, quod paulo post solverunt</p>	456
(192)-(196)	<p>Congregationis Commissarii legationem Fernensi et Rochférdo 5 Octobris decreverunt. Iberni in Comitatu Wexfordensi cum Anglis ad manus venerunt. Ormonius, Clanricardius, Insequinnius, eorumque fautores nihil non tentarunt ut acta Jacobopolitana revocarentur</p>	459
(197)-(216)	<p>Rex Angliae 16 Augusti 1650 Dunferlini contractam cum Ibernis anno 1649 pacem esse vacuam et se ad eam non teneri declaravit. Super hanc declarationem Ormonius</p>	461

Paragraphus

- 23 Octobris ad Commissarios Fiduciarios litteras scripsit.
Responsa Commissariorum Cleri ad ea quae Commissarii Fiduciarii ipsis proposuerunt
- (217)-(232) Ormonius Regni Comitia Loghreaggi celebranda in 15 Novembris indixit. Ormonistae in eo conventiculo partem sinceram numero longe superarunt. Ejus historia ex Conventiculi Diario exprimitur. Comitia mox in duas partes abierunt. In iisdem Comitiis Ormonio adversabantur Praelati quotquot aderant, nemine excepto. Fernensis cum aliis institerunt ut ad primaevam Catholicam confaederationem rediretur. Nulla suadet ratio Regem ad declarationem Dunferlini edendam a Scotis fuisse coactum. Richardus Blakus ambarum partium nomine 30 Novembris ad Ormonii litteras 16 Novembris datas responsum dedit. Ulteriora Ormonius per suam epistolam 2 Decembris scriptam postulavit 463
- (233)-(237) Duo insanae magnitudinis fasciculi chartacei ad Comitia a Prorege directi allati sunt. Calumnias factionistarum refutarunt Praelati. 470
- (238)-(244) Commissarii a Comitiis delecti declarationem 7 Decembris ediderunt, quam pseudo-Comitia ad Ormonium miserunt. Ormonius ex Regno navigatus suam Marchioni Clanricardiae autoritatem delegavit. Declaratio in Clanricardii favorem in Conventiculo Loghreaghensi 24 Decembris edita est 485
- (245) Quid in tanta controversiae tunc utrinque agitatae confusione pro certo tenendum est, diffinitur 489
- (246) Ormonius 12 Decembris 1650 ex Ibernia solvit. Insequinius cum ipso in Galliam navigavit. Ambo Reginam Angliae inviserunt 495
- (247)-(250) Cum Clerus eorumque fautores hoc anno consenserint ut in Ormonii locum Clanricardius substitueretur, prorsus insanisse videntur. Qua Ormonii et Ormonistarum fraude ad hoc magnum malum daemon viam sibi straverit, paucis indicatur 501
- (251)-(256) In his pseudo-Comitiis censurarum a Nuncio anno 1648 fulminatarum controversia agitata est. Refractarii futile submissionis formam Innocentio X mittendam consenserunt. Circa hanc submissionem multa notantur. Ormonistae hanc ludicram submissionem nunquam ad Innocentium miserunt: Decretum de Ultoniensibus 19 Decembris latum est 502
- (257)-(266) P. Franciscus Magruarcus ex Urbe in Iberiam remigravit. P. Patricius Crellius, Abbas, fidei, quae in ipso posita fuerat, proditae suspicionem subiit. Roma hoc anno rediit. Post aliquot menses in Anglia transactos denuo Parisios remeavit. Datur charta ab aliquo Iberno Cardinali Mazarino praesentata 513

Paragraphus	Pagina	
(267)-(269)	Petitiones tres Summo Pontifici pro Regno Iberniae in libello expositae sunt die 4 Julii. Capucinis Ibernis ad decennium Conventuum in eo Regno aedificandorum facta est potestas	518
(270)-(279)	In Universitate Parisiensi fuerunt ducenti circiter sacerdotes Iberni. D. Richardus Nugentius et alii circiter 26 Iberni decreto et protestationi contra Jansenismum manus apposuerunt. Facultas Parisiensis acto publico Ibernorum protestationem approbavit. Postea Innocentius X propositiones ab Ibernis tunc rejectas tanquam Jansenismum damnavit	520
(280)-(282)	Hoc anno in lucem editus fuit libellus, cui titulus: <i>Vindicarum Catholicorum Iberniae, authore Philopatro Irenaeo, ad Alitophilum libri duo.</i> Libellus ille tunc temporis editus causae Catholicae in Ibernia et alibi plurimum praejudicavit. Quomodo Archiepiscopus Firmanus res Ibernicas eodem tempore aliter in lucem edere decreverit, ipse P. Richardo O Ferallo, Capucino Ibero, litteris 5 Decembris 1650 Firmo Romam scripsit	523

PARS. III. AN. 1651

(1)-(13)	Archiepiscopus Dubliniensis, Episcopus Cluanfertensis et alii ecclesiastici ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam litteras 12 Februarii 1651 direxerunt. D. Jacobus Fallonus quid a Confaederatis Catholicis passus sit, 20 Februarii testatus est. Paulus Nash, qui libello in Nuncium anno 1648 subscriperat, absolutionem a censuris petiit.	531
(14)-(21)	Fernensis mense Februario ex Ibernia solvit. 21 Aprilis Albitio Romam epistolam scripsit. Fernensi decretum erat in Belgio cum Lotharingo agere. Lotharingus de sua Ibernis subveniendi mente ad Innocentium X litteras scripsit. D. Stephanum de Henen, Abbatem, ad Iberniae ordines allegavit. Praelatis, de conditionibus quibus Lotharingus opem ferret, Galviae inter se non conveniebat	539
(22)-(25)	Clanricardius, jam Ormonii delegatione Prorex, solemnis Cleri poplique pompa 17 Martii Galviam intravit. D. Antonius Mac-Geogheganus, Prior, in Ibernam remigraverat. Multa de Antonii legatione ex <i>Antonii Relatione</i> citantur. 16 Martii Antonius sui adventus causam Episcopis aperuit, instructiones autem mittere noluit. Antonius 25 Martii Praelatis, quos zelosus arbitratus est, quatuor capita dedit	544
(26)-(28)	Antonius 3 Aprilis D. Stephano de Hennen adventus sui causam aperuit. Apud Clerum et Lotharingi Legatum	

		Pagina
Paragraphus	pene nihil profecit. Tuamensis circa Dunensem et P. Oliverum de Burgo in Urbem mittendos Primati epis- tolam scripsit, cui Ardmachanus 27 Aprilis respondit	546
(29)	Congregatio Cluanmacnosiensis Episcopo Dunensi et D. Guillelmo Burgatto legationem Romanam decreverat. In Comitiis Loghreaghensibus, D. Guillelmo posthabito, P. Oliverus Dunensi in collegam destinatus est. Illa legatio ad nihilum recidit.	548
(30)-(37)	Mense Martio Lotharingi Legatus subsidia certis condi- tionibus obtulit. Articuli postea confirmati sunt. <i>Instructiones Vicecomiti Taaffo, Nicolao Plunketto et</i> <i>Zepherino Brouno datae a Clanricardio 12 Aprilis 1651</i>	549
(38)-(43)	Sincera pars Catholicorum Iberniae ab Ormonistis <i>Lotharingi factio</i> vocitabatur. Ormonistae operam dabant ut Ormonius ante Lotharingi appulsum in Insulam remearet. Duae epistolae ab Ormonista scriptae Ormonistarum molimina satis suggerunt. Dantur epistolae ab Archiepiscopo Ardmachano et Episcopo Kilmorensi de P. Francisco Magruarco Romam destinato	551
(44)-(48)	Ad tractatum cum Lotharingo secundandum Vicecomes Rochaeus et P. Patricius Hacquettus, Dominicanus, Archiepiscopo Firmano epistolas scripserunt	557
(49)-(58)	<i>Monita Lotharingo tradita circa expeditionem Ibernicam.</i> Ad Lotharingum Regni nomine Plunkettus brevem orationem habuit	562
(59)-(65)	Praeter Taaffum, Plunquettum et Brounum Clanricardii authoritate munitos, ad Lotharingum ab aliis destinati sunt Episcopus Fernensis et Jacobus Prestonus	565
(66)-(83)	<i>Articuli conclusi inter Lotharingiae Ducem et Commissarios</i> <i>Regni Iberniae.</i> Clanricardius opposuerat se illis articulis et 10 Octobris epistolam misit <i>Nicolao Plunketto Equiti</i> <i>aurato et Zepherino Brouno Armigero.</i> Lotharingo significavit illos articulos et conclusos sine debita authoritate et nullo modo a Catholicis admittendos	568
(84)-(87)	Cootus in Conaciam penetravit et Atloniam 8 Julii in potest- atem recepit. Vicecomes Dillonus, arcis praefectus, nec non Jacobus Dillonus proditionis accusati sunt. Clanricardius hanc causam Concilio bellico discutiendam commisit. Nec in Vicecomitem nec in alios animadversum est	573
(88)-(89)	Iretonus Conaciam et Tomoniam deplorandum in modum vastavit. Clanricardius cum suis viribus pene nihil praestitit	577
(90)-(92)	D. Antonius Mageogheganus Clanricardium monuit ut Summi Pontificis benevolentiam promeretur. Primas inchoandum apud Clochuachtuir 29 Julii Provinciae Ardmachaenae Concilium indixit. Ad Concilium Antonius oratiunculam habuit	577

Paragraphus	Pagina
(93)-(111) <i>Acta Congregationis Provinciae Árdmachaiae, coactae die 29 Julii 1651 in loco qui dicitur Clochuachtuir. Catalogus eorum qui huic Congregationi interfuerunt. Antonius alia in illa Congregatione diffinita suae Relatione postea in Urbe porrectae inseruit</i>	579
(112)-(121) <i>Declaratio et Excommunicatio contra Clanricardium eique adhaerentes. Hoc actum isto anno 1651 haud promulgatum est</i>	584
(122)-(141) Episcopus Laghleniensis Provinciae Dubliniensis Synodus convocandam statuit. Exercitus duces duos Tribunos qui Concilio assisterent 7 Septembris delegarunt. Haec Congregatio, coacta 22 Septembris in loco qui dicitur Beladrehad, postridie acta condidit. <i>Catalogus eorum qui in Congregatione adfuerunt</i>	590
(142)-(166) Alia acta tunc secreta condita sunt. Agentes ad negotia cum Lotharingiae Duce tractanda nominati sunt. <i>Instructiones pro Agentibus ad Ducem Lotharingiae.</i> Nominatur D. Jacobus Dempsey ad tractandum cum aliarum Provinciarum delegatis de modo renovandi Confederationem. <i>Instructiones Synodi Provinciae Dubliniensis pro suo Delegato.</i> Nominantur tres Consiliarii ad sedendum in concilio cum aliis aliarum Provinciarum Consiliariis, 24 Septembris	597
(167)-(171) Ardmachanus apud Ultoniae Primores institut ut executionem articuli 12 Octobris 1649 pacti obtinerent, illi autem rem tunc differendam duxerunt. Lotharingus magno apparatu expeditionem Ibernicam ornare conatus est, sed postea ardor ille deferibuit	604
(172)-(175) Fernensis 18 Julii tres Legatos a Clanricardo ad Lotharingum missos exhortatus est ad absolutionem a Censuris Nationis nomine a Sua Sanctitate petendam. Datur submissionis formula a Fernensi ad Belgii Internuncium, et ab hoc Pontifici missa	606
(176)-(181) Ex Taaffi litteris 20 Augusti datis liquet Taaffum circa petendam a Sua Sanctitate absolutionem Nationis nomine mutasse sententiam. Hoc anno P. Oliverus Walshaeus, Carmelita, a Lotharingo ex Belgio Romanum missus est ut generalem absolutionem procuraret. Cessit ille Roma anno 1652 re infecta. Summus Pontifex libellum supplicem parvi fecit	612
(182) Clanricardius ad Episcopum Dromoreensem 16 Octobris scripsit se nunquam consensurum ut Lotharingi conventio staret	616
(183)-(187) Narrantur res in Anglia gestae. Lotharingus omnem fere triumphi in Ibernia conficiendi animum despondit. Iberni in duas factiones, Ormonicam et Lotharingicam,	

Paragraphus

Pagina

- dividebantur. Rex Angliae timebat ne Lotharingus Iberniae coronam affectaret. Nec illis articulis nec aliis eo spectantibus subscriptis 617
- (188)-(204) Rex Angliae Fernensem ad audientiam admittere non judicavit aequum. Fernensis 11 Novembris D. Edmundo Tirolo epistolam scripsit Regi communicandam. Regi ostensam fuisse testatur Poncius. Fernensis Archiepiscopo exposuit Relationem, cui titulus: *Deplorabilis populi Iberni pro sancta Religione, etc., depugnantis status, 18 Novembris 1651.* Ibernis suppetias, quas sua Relatione petiit, non obtinuit 620
- (205)-(209) Muscrius urbi Limericensi ab hostibus obsessae opem latus in Brohillum impetum fecit, sed haeretici victoriam reportarunt. Aliae hujus anni in Ibernia velitationes dantur in epistola a Hewsono, Dubliniae Gubernatore, 15 Septembris scripta. Loghreaghun hac aestate ab hostibus captum est. Nonnulla loca a nostris recuperata ab hostibus iterum ad deditioinem coacta sunt 635
- (210)-(216) Iretonus Limericum obsedit. Narratio illius obsidionis ex variis actis conficitur. Limerici fuerunt proditores partim cives, partim Ormonistae aliunde introducti, sed non defuerunt circumstantiae quae eorum perfidiam attenuasse videntur 638
- (217)-(221) *Capita Articulorum 27 Octobris 1651 pactorum, quibus Limericum Iretono deditum fuit* 645
- (222)-(227) Exceptorum multi sacerdotes et laici laqueo suspensi sunt. Archiepiscopus Cassiliensis in Hispaniam exulavit. Episcopus Limericensis gregarium militem euentus in Comitatum Kierriensem se recepit. Episcopus Immolacensis vitam martyrio per laqueum finivit. Episcopus Laonensis tertia die ante hostium introductionem mortuus est 646
- (228)-(235) P. Dominicus de Rosario in sua *Relatione Geraldinorum circa Immolacensis mortem duo maxime notanda, et tria maxima admiratione digna quae sub hoc tempore contigerunt, tradit.* P. Fabianus O Mulreanus postea Romae obsidionis et deditioinis Limericensis Relationem composuit 650
- (236)-(248) Clanricardius Comitia ejus iussu Jacobopoli mense Novembri celebranda, in 6 Februarii prorogavit. Primas et Clerus Provinciae Ardmachanae Jacobopoli 10 Novembris quaedam acta condiderunt. Habetur ex Antonii Relatione quomodo acta in duabus Ardmachanae et Dubliniensis Congregationibus circa Regiminis mutationem effectum sortirentur 650
- (249)-(254) Dantur libelli supplices Romae praesentatae a Joanne 655

Paragraphus		Pagina
	Vangyrishio ut subsidia in Iberniā transportanda obtineret. In hoc negotio apud Urbem non profecit .	660
(255)	Hoc anno Archiepiscopus Firmanus residentiam Firmi continuavit aduersa valetudine. Galviae hoc anno mense Augusto diem obiit Archiepiscopus Dubliniensis. Ad ineuntem Maium Galviae decessit Episcopus Medensis	663

ERRATA.

Pag. 50 lin. 28	<i>pro</i> voluisse	<i>lege</i> noluisse
„ 84 „ 10 „	1645	, 1647
„ 88 „ 40 „	23 Januarii	, 23 Februarii
„ 247 „ 37 „	diremerentur	, dirimerentur
„ 365 „ 6 „	opportunum	, opportunam
„ 366 „ 29 „	furit	, fuerit
„ 545 „ 29 „	duae	, duo
„ 598 „ 3 „	23 Septembris	, 22 Septembris
„ 610 „ 33 „	formula	, formulam
„ 616 „ 6 & 7 „	litteras, apographis, dedit in Ibernia ad Episcopum Dromorensem quas etc.	<i>lege</i> apographis, dedit in Ibernia ad Episcopum Dromorensem litteras, quas etc.



De haeresis Anglicanae in Iberniam
intrusione et progressu, et
de Bello Catholico ad annum
1641 caepto, exindeque per
aliquot annos gesto

COMMENTARIUS

[VOL. IV.—PARS. I.—AN. 1649].

In Nomine Sanctissimae Trinitatis
incipit annus 1649.

(1) Exordimur hunc annum a pace demum cum Ormonio conclusa, cuius instrumentum Richardus Blakus, census equestris, pseudo-Comitiorum Prolocutor, 17° Januarii ejusdem conventiculi nomine in Castro Kilkennensi Ormonio tradidit, unaque habuit orationem Anglicanam, qua eum tanquam Regni hospitatem et Angelum pacis vernilibus blanditiis extulit et sacrilegis laudibus oneravit, positamque in eo a Regno | confidentiam expressit, demum rogans ut sua manu sigilloque instrumentum roboraret. Cujus ille votis acquievit, et ad pseudo-Comitia verba Anglice habuit, quibus persuadere conatus est pacem illam Faederatis esse perutilem, non solum ob conditiones in ea expresse contentas, sed etiam ob ulterioris (quo vanissimae spei fumo suos factiosos semper lactavit) lucri ac dignitatis in eorum quemque pro meritis a Rege conferendae expectationem. Deinde ostendit belli jam ab ipsis pro Rege adversus crudelissimos Parliamentarios suscipiendo justitiam, et docuit quam tristis esset Regis ad servitutem redacti conditio, quamque barbara illorum rebellium saevities atque immanitas. Omnes quoque ad concordiam et Christianae

1735

charitatis nexum exhortatus monuit ut belli sumptus haud aegre numerarent, ne nimia eorum tenacitas ipsis ruinam et hostibus victoriam procrearet. Denique peroravit spondens futurum ut ipse cum illis in defendendo Regno fortunam omnem et infortunium communicaret. Pace autem 17^o Januarii 1649 Kilkenniae promulgata, articuli in lucem editi non fuerunt quamdiu Nuncius in Regno commoratus est, idque (opinor) ne eam ille cum Clero ab ipso stante trutinaret, et tanquam minime tutam novis censuris prohiberet. Verum ille Cardinali Panzirolo notis arcanis Galvia scribens : " Loci (inquit) in quo me teneo distantia, et mea cum partibus Ormonicis opinionum discrepantia id efficit ut mihi futurum sit facile exequi Suae Sanctitatis | monita, nempe nullum exercere actum positivum, nullique rei intervenire, velut in negotio quod cum haereticis tractatur et concluditur." Haec ille 23 Januarii 1649. Porro pax illa mihi prae manibus non est. Articulorum autem ejus ad religionem spectantium summam Philopater plus nimio Ormonii et Ormonistarum studiosus esse dicit, quam alii fide digni dicunt ab ipso adulteratam. Illam tamen ex ipso hic insero ut *ex ore suo judicem servum nequam*. Locos etiam numeris intextis notatos scholiis illustrabo.

Vindic.
Lib. I.
p. 166.

(2) " Imprimis Romano-Catholici Iberni eximuntur a Juramento primatus Regis Angliae in spiritualibus simul et ab omnibus paenis et multis sibi religionis nomine antehac impositis, omnesque paenales leges in liberis Regni Comitiis primo quoque tempore post factam pacem habendis abrogabuntur.

(3) " 2. Sicut basilicae ipsae et ecclesiastica (1) praedia ac jurisdictio per hos articulos non conceduntur ipsis, conceptis verbis, ita nec auferuntur; imo quieta ecclesiarum, quas (2) jam occupant, possessionis retinendae securitas datur usquedum Regis voluntas (3) super ea re in liberis Comitiis declarata fuerit.

(4) " 3. Intra sex menses a pacis conclusione celerabuntur libera illa Comitia; aut si id tum propter belli distractiones fieri non possit, fiet primo quoque tempore quo expedire videbitur duodecim Catholicis Assessoribus, quorum omnium aut (4) partis eorum majoris consensus Proregi necessarius erit, | pro re qualibet in Catholicis regionibus pertractanda ac statuenda.

(5) " 4. Acta omnia, scita ac statuta per utramque Anglicorum Comitiorum Cameram, contra hujus Regni Catholicos hactenus edita, irrita manebunt et cassa.

(6) " 5. Ante inductionem Comitiorum illorum eximentur omnino ac liberabuntur Catholici ab omnibus impedimentis, quibus antehac a jure sessionis in ejuscemodi Generalibus Regni Comitiis in religionis odium arcebantur.

(7) " 6. Leges omnes ac statuta, quibus indigenae a gerendis in republica quibuslibet muneribus distinebantur, contrario eorundem Comitiorum statuto abrogabuntur.

(8) " 7. Licebit Catholicis (5) unam aut plures academias aut studiorum universitates erigere, ac in Catholicae juventutis usum possidere.

(9) " 8. Romano-Catholici ad universa publica in Regno tam belli quam pacis munia exercenda pro cujusque sufficientia (6) ac merito non secus quam alii (7) Regiae Majestatis subditi admittentur.

(10) " 9. Exercitum ex 15000 peditum et equitum 2500 Romano-Catholici propriis sumptibus (8) usque ad dicta Comitia sustentabunt, quem armatorum numerum minuere et augere, prout res postulaverit, licebit duodecim illis Catholicis Assessoribus Proregi in partem sollicitudinis assignatis.

(11) " 10. Ex consensu utriusque Camerae dictorum Comitiorum declarabitur hujus Regni Comitia ab Angliae Comitiis nullo modo pendere, aliumque ea nullum quam Regem superiorem agnoscere statuetur. |

(12) " 11. Statuta, quae vellerum et lanarum commercio Ibernis cum aliis ullis quam Anglis et Scotis mercatoribus interdicunt, futurorum (9) Comitiorum decreto abrogabuntur.

1736

v

(13) " 12. Monasteria omnia, iisque annexa caemeteria, horti, aliaque quibus praecinguntur, modo certum jugerum numerum non excedant, monasticae (10) seu Regularis vitae hominibus tam nunc ac in posterum quiete possidenda relinquuntur.

(14) " 13. Urbium omnium, arcium ac propugnaculorum, quibus nunc potiuntur, (11) quietam ac imperturbatam possessionem servabunt Catholici, donec omnia in saepius nominatis Comitiis plenius ac cumulatius ordinata fuerint." Hactenus illa articulorum ad religionem pertinentium summa juxta Philopatrum, Ormonii et Ormonistarum parasitum, in Nuncii partes iniquissimum. Jam scholia quae pollicitus sum, addo.

(15) 1. Non de aliis quam de Cleri saecularis, nempe Episcorum et parochorum, praediis ecclesiasticis hic locus intelligendus est. Nam quid de aliis latifundiis ecclesiasticis decretum sit inferius declaratur. Itaque (inquiunt) illa bona et annexae

1737

Episcopalis jurisdictionis exercendae facultas per hanc pacem conceptis verbis non conceduntur nec auferuntur, sed media via initur, nihil per hos pacis articulos super hac re pro aut contra concludendo, sed relinquendo hanc controversiae partem Regis voluntati in Comitiis liberis declarandae. Quam tamen re ipsa non medium viam fuisse, sed (praesertim acto Poyningano per hanc pacem non refixo) articulum positivo subtiliter aequivalentem, quo Praeclati Catholici ex Regis sententia ecclesiis, bonis ecclesiasticis, et jurisdictionis exercendae licentia spoliandi | essent, cum nemini sanae mentis dubitandum foret quin Rex haereticus nullo positivo pacis contractae articulo ligatus, sed suo arbitrio relictus, pseudo-Episcopos ante bellum ortum legibus Anglicanis tamdiu in Ibernia stabilitos, sed ab Ibernis Machabaeis inter hoc bellum disturbatos, postliminio restituturus, et antistites Catholicos depressoressus esset, rebus semel in Anglia, Scotia, atque Ibernia pactis, atque in eum statum redactis, in quo Ibernos susque deque haberet, et metueret ne a suis in Anglia, Scotia, atque Ibernia haereticis lapidaretur, novoque bello impeteretur, si secus se gereret. Quibus addo eum ab haereticis Consiliariis ducendum nunquam futuris authoribus ut per expressum pacis cum Ormonio contractae articulum suo arbitrio relictus leges ante bellum ortum circa haec capita in pseudo-cleri haeretici favorem a se et retro Principibus haereticis lata, in tot haereticorum Parlamentis confirmatas, et tot annos intrusas ac violenter observatas suapte sponte refrigeret, et Episcopos Catholicos atque e Clero saeculari reliquos inferioris ordinis in bonorum ecclesiasticorum bello recuperatorum possessione ac jurisdictionis exercendae licentia confirmaret. Denique secus judicasse delirasse fuit, sicut et experientia postea secuta docuit.

(16) Ad decidendum melius hoc controversiae caput in memoriam revoco die 25 Maii 1645 inter Comitia Generalia, quae tunc Kilkenniae celebrabantur, Cleri Congregationi ibidem propositam quaestionem, nempe nunquid ex faederis juramento vel aliunde Confaederati Catholici tenerentur nunquam arma deponere, nisi obtento articulo positivo quo Clerus de ecclesiis ab hoste per bellum recuperatis securus | redderetur. Ad quam quaestionem Clerus respondit teneri, Ormonio vero premente ut haereticis ecclesiae restituerentur, Comitia Generalia 9 Junii eodem anno 1645 statuerunt non ut positivus articulus hic spectans pacis tunc contrahendae tractatui insereretur, sed ut pacis Commissarii Ormonii postulationi non subscriberent

1737

v

atqui recusarent. Parum autem dubito quin hic subtilissima Ormonii et Ormonistarum tunc haud perinde atque postea nota, astutia intervenerit. Etenim quaestio illa 25 Maii Clero ab anonymis Comitiorum membris laicis, sed causae Catholicae (ut conjecto) fautoribus proposita, et Cleri responsio 31 Maii data fuit. Comitia autem Ormonistis scatentia 9 Junii in praefatam viam medium iverunt gravi deinde in Clerum tempestate concitata, usque adeo ut concordiae fovendae gratia Clerus (sicut ibi fusius diximus) flaccide resilierit, fidem habens laicis asserentibus medium illam viam positivo articulo aequivalere, quod re ipsa fuit falsissimum, sed tunc minus suspectum, quod de occulta Ormonii atque Ormonistarum conspiratione et cuniculis subterraneis minus constaret. Porro Ormonius vix dubitarit suo pseudo-Clero suffecturum ut Clerus Catholicus positivum illum articulum non obtineret. Quo non obstante congrue postulavit ut ecclesiae pseudo-Clero restituerentur, sic suis Ormonistis in Comitiis aperturus viam, qua per Comitiorum actum ejus postulatio repudiaretur, per quod magnalia in Cleri Catholicci favorem gesta fuisse censerentur, et sic simplicibus ac sinceris fucus fieret ne acto positivo in Cleri Catholicci favorem obtinendo insisteretur, arbitrantibus *veris Israelitis* Ormonium haud positive institutum | fuisse ut ecclesiae pseudo-Clero restituerentur, nisi Clero Catholicco ad eas continuo possidendas suffecturum judicasset ut nulli ejusmodi acto positivo in ejus ac pseudo-Cleri favorem subscriberent, non autem suffecturum callidissimus haereticus probe sciverit, haud refixis legibus et statutis Anglicanis, per quae pseudo-Clerus tot annos ante hoc bellum ecclesias usurpaverat, per eadem nullo pacis articulo abrogata in earundem possessionem restituendus.

1738

(17) Inter eadem etiam Comitia 2° Junii 1645 Clerus consultus respondit non licere cum haereticis Protestantibus pacem inire ea lege ut Praelatis Catholicis auferretur jurisdictione fori, quod talis jurisdictione Praelatis Catholicis competenteret jure divino. In disceptationem quoque inter eadem Comitia venit quo pacto procedendum esset circa remedium adhibendum contra tyrannicam jurisdictionem ab haeretico clero in Catholicos antea per tot annos usurpatam, cumque Ormonius in suo Concessionum Catholicis offerendarum compendio inter Comitia 14 Augusti 1645 lecto tria remediorum genera per suos proposuisset, neutrumque, quia omnia ipso morbo penes pejora erant, arrisisset, demum Comitia 28 Augusti 1645 statuerunt nunquam a se committendum ut Catholicci pseudo-Cleri jurisdictioni

1738
v

submitterentur. Alia quoque magni momenti puncta in disceptationem eodem circiter tempore venerunt, nempe ut pax non contraheretur, nisi ea lege ut Clero ecclesiastica bona bello recuperata confirmarentur, et Episcopis Catholicis sedendi ac suffragandi in Iberniae Parlamentis jus haeretico furore antea extortum restitueretur; quibus omnibus | Confaederatorum votis semper inimicissimam aurem Ormonius praebuit. Glamorganus autem eodem anno mense Augusti in Regnum appulsus ejus in hoc atque aliis articulis defectum haud mediocreiter supplevit, sicut suo loco retulimus. Nuncio etiam deinde in Regnum eodem anno advecto, atque articulis inter Confaederatos et Glamorganum paulo ante ejus adventum clanculum pactis non contento, Glamorganus per actum 20 Decembris 1645 datum plura in fidei et Ecclesiae progressum concessit, et conditionibus, quibus Innocentius X. illa ipsa hyeme anni 1645 per pollicitationem Kenelmo Digbaeo Romae traditam se Reginae Angliae suppetias ibi contentas daturum sponderat, 18 Februarii 1646 subscripsit, easque authoritate Regia sibi commissa ratas habuit longe ampliores illis omnibus, quas Catholici antea postularint, vel ipse concesserit. Verum haec Glamorgani pacta ob rationes suo loco relatas ad nihilum reciderunt. Quare in primis Comitiis Generalibus anno 1647 celebratis sancitum ut Confaederati totis viribus insisterent quatuor propositionibus ibi in medium productis, quarum summa fuit: 1°. Ut. Catholici liberum fidei exercitium in toto Regno obtinerent quale ante haeresim introductam viguerat. 2°. Ut Clerus saecularis jurisdictionem, immunitates, et praerogativas omnes recuperaret, quibus tempore Catholicorum gavisus erat. 3°. Ut omnes leges paenales ab Henrico 8 vel aliis posterioribus Principibus haereticis in Catholicos latae antiquarentur. 4°. Ut idem Clerus ecclesias et possessiones ecclesiasticas cum annexis emolumentis omnibus assequerentur tam in Regni partibus tunc a Catholicis possessis, quam in aliis locis bello expugnandis. In | secundis vero ejusdem anni 1645 Comitiis Generalibus ita de pace cum Regina Angliae et Principe Walliae apud Galliam per legatos destinandos contrahenda decretum ut articuli circa religionem eidem paci inserendi Suae Sanctitatis arbitrio relictii fuerint. Anno autem 1648 Ormonistae ita legationem illam frustrarunt; sub in-
duciarum pallio cum haereticis conjurationem coierunt; Clerum Clerique fautores depresso-resserunt; Ormonium revocarunt; et pseudo-Comitia sua celebrarunt, ut in iisdem cum eodem

Ormonio pacem hoc anno 1649 ineunte promulgatam contraxerint, in qua nec sacras basilicas, praedia ecclesiastica, nec jurisdictionis ecclesiasticae libere exercendae permissionem pacti sunt, sed haec Regis haeretici et infinitis obstaculis aliunde detenti voluntati in Parlamento libero declarandae manciparunt, licet ex faederis juramento iis, quae huc spectantia primus et secundus anni 1647 consessus generalis decreverint, quaeque in legatorum anno 1648 peregre profectorum monitis continebantur, insistere tenerentur.

(18) Ad haec forsan respondebunt in primis jam dictis anni 1647 Comitiis decretum fuisse ut praefatis quatuor propositionibus non absolute, sed *pro viribus* insisteretur, eademque Comitia 22 Februarii 1647 statuisse ut aliorum deinde Regni Comitiorum esset de faederatorum *viribus* judicare, et non obstantibus illis propositionibus quicquid ad Regni bonum conduceret, secus decernere, nec aliud quam hoc ipsum in pace ad annum 1649 ineuntem promulgata successisse. Sed contra hoc militat quod ista pax cum Ormonio contracta non fuerit a Regni Comitiis, | atqui ab Ormonistarum conventiculo faedifrago haereticis et haereticorum nequissimis in Cleri fautorumque perniciem adhaerente, ipsos Catholicorum bonis saginante ditanteque, et eorum viribus in Ecclesiae ruinam utente. Deinde haec frivola responsio non efficit quin alio laqueo a secundis illis anni 1647 Comitiis et legatorum (sicut dixi) peregre profectorum monitis, in quo juratum erat, petito se expedire nequeant.

1739

v

(19) Est praeterea cur credamus eos responsuros se sperasse futurum ut Catholicci in illo Parlamento, in quo circa dicta capita Regis voluntas declaranda esset, haereticis numero et suffragiis superiores evaderent, proindeque fore ut Regis voluntas quamlibet contraria non noceret, praesertim legitistis, qui illi Ormonistarum conventiculo Kilkenniensi intererant, asseverantibus in more positum ut in Parlamento libero Regis voluntas contra suffragiorum pluralitatem nihili haberetur. Sed hanc eorum responsionem, quam in Fernensis Apologia Romae anno 1653 ab ipso tradita lego, nugatoriam pariter esse constat, cum ipsi haereticis ad praevalendum in illo Parlamento viam straverint. Nam 1°, per illam pacem haereticos postliminio restituerunt, proindeque ipsos ad confluendum in illud Parlamentum invitarunt. 2°. Clerum Clerique partes in dicto Parlamento alias suffragia laturas haereticorum coaliione depressoresserunt, et usque in finem deprimendas secum

1740

statuerunt, cum quibus re ipsa non secus ac cum rebellibus et exlegibus egerunt, et usque in finem egissent, nisi ipsi demum ad disceptationem acti copiarum Ultoniensium (sicut videbimus) auxilio in Cromuellum indiguisserent. 3°. Nullo pacis articulo (sicut ipse Ormonius ad objectos sibi iniqui regiminis abusus mense Januario vel Februario 1650 respondit) caverunt, ne pseudo-Episcopi saltem ecclesiis et possessionibus ecclesiasticis usque ad illud Parlamentum destituti remearent, novique in demortuorum locum substituerentur. Quare pro certo habendum est futurum fuisse ut hi pseudo-Praelati in illo Parlamento sederent, cum ante caeptum bellum ex legibus Anglicanis illud privilegium possederint, nulloque pacis articulo extinctum fuerit. 4°. Nullo pacis articulo cautum fuisse videmus, ut Episcopi Catholici in illo Parlamento sederent, licet illa praerogativa non nisi haereticorum furore spoliatis, eamque proindeque ipsis Glamorganus restituendam pollicitus sit, reque ipsa restituta fuisse, nisi Ormonistae a pacis contrahendae norma a binis anni deinde 1647 Comitiis praescripta descivissent. 5°. Ormonistae non Catholicum fidei Clerique causae sincere prudenterque consulturum, sed haereticum, eumque Ormonium, fidei, Cleri, fautorumque hostem infensissimum, et jam tantopere exacerbatum, in Proregem cooptandum curarunt. Quare quis dubitet quin homo astutissimus omnes sagacitatis nervos intendisset ut illud Parlamentum talibus convocaretur circumstantiis, quibus fieret ut sui haeretici ex dispersione gentium congregati suffragiis praevalerent. 6°. Inter ipsos Ormonistas Catholicos extitere greges integri de Ecclesia Iberica usquequaque in integrum restituenda parum solliciti, praesertim bonorum ecclesiasticorum et agrorum sub haereticis Angliae retro Principibus in odium fidei fisco addictorum, qui horum Ormonistarum majoribus coronae Anglicanae militantibus concessi fuerant, possessores, aliique non pauci, quorum animos proprio commodo occupatos Ormonius atque alii haeretici in illo Parlamento facile constuprassent, saltem ita ut Clerus Ibernicus ad sacras basilicas, praedia ecclesiastica, et suae jurisdictionis libere exercendae permissionem Parlamenti acto obtainendarum zelum desiderasset. Itaque ex his omnibus colligendum est Ormonistas se ipsos seduxisse, expectantes futurum ut in illo Parlamento haeretici sibi sententiis succumberent, atque adeo sibi ecclesias, praedia ecclesiastica, et jurisdictionis ecclesiasticae exercendae libertatem Parlamenti acto confirmarent.

1740

v

(20) Sed (ut liberalius cum Ormonistis agamus) ipsos in illo Parlamento suffragiis re ipsa praevalituros fuisse faciamus. Nunquid illa Catholicorum in suffragando pluralitas propterea cohibuisset Regem quominus suam voluntatem contrariam declarasset. Quo casu ex ipsa pace cum Ormonio inita Regis voluntati deferendum esset, praesertim cum Rex atque alii haeretici in legum paenitentia ante caeptum bellum observatarum, et Catholicis hac ex parte usque adeo praejudicantium, ut nec pacis contractu nec secus earum quatenus huc spectantium abrogationem obtinuerint, possessione se esse allegassent. Ex quibus omnibus manifestum est Ormonistas in illa sua pace cum Ormonio inita, fidei, Ecclesiae Ibernicae, et Cleri causam jugulasse, | cum sacras basilicas, Cleri possessiones, et jurisdictionis ecclesiasticae libere exercendae permissionem haud absolute pacti sint, haec omnia Regis haeretici et ab haereticis Consiliariis ac Ministris directi, atque infinitis prope aliis obstaculis, ne ipsis suffragaretur, detenti voluntati in Parlamento proxime futuro declarandae reliquerint. Et haec quidem sunt quae ad notarum pacis compendio superius posito intextarum primam dicenda habui. Jam ad alios numeros atque ad eorum scholia transeo.

1741

(21) 2. *Quieta ecclesiarum, quas jam occupant, possessionis retinendae securitas datur usquedum etc.* Hic religionis causa duabus gravissimis plagis confoditur. Tunc enim nec Rex (ut Praelati in sua Congregationis Jacobopolitanae postea 12 Aug. 1650 edita optime notarunt) in carcere apud Angliae rebelles detenus, nedum rebus omnibus spoliatus, nec Regina Angliae, nec Princeps Walliae Anglia exules, nec Ormonius Catholicis ad bellandum in Parliamentarios belli nervum subministrare, nec iisdem Catholicis, si pacem illam repudiassent, et aliam longe tutiorem viam iniissent, negotium facessere poterant. Qui etiam Catholici, si cum Parliamentariis concordassent, et faedus percussissent, facile meliores conditiones obtinuissent, seque invasionis Parliamentariae periculo liberassent. Quibus addo, pace illa cum Ormonio contracta, ipsis pugnandum fuisse adversus suos et Regis hostes in tribus Regnis, idque solis ipsorum sumptibus, in magnam sanguinis Ibernici proindeque Catholici profusionem, et manifestum nationis, nedum religionis Catholicae, si Parliamentarii (sicut postea successit) praevalituri essent, extirpanda periculum. Quibus omnibus non obstantibus, Ormonistae per hanc pacem | haud obtinuerunt ut ecclesiae in Lagenia et Ultonia illo bello 1741

v

1742

Parlementariis eripiendae Catholicis restituerentur, " sed quieta ecclesiarum, quas jam occupabant, possessionis retinendae securitas ipsis daretur usquedum " &c. Secus autem Glamorganus per actum 20 Decembris 1645 datum concesserat. Quo atque aliis pacis Glamorganicae capitibus a Rege refixis, prima anni 1647 Comitia Generalia quatuor propositionibus, quibus nisi obtentis pacem haud ineundam statuerant, inserendum curarunt, ut pax non contraheretur, nisi concessis Clero Catholico ecclesiis cum omnibus beneficiis et emolumentis, non solum in locis, quae tunc Confaederati possiderent, sed etiam quae hostibus bello postea erepturi essent. Cui articulo cum Ormonistae in contrahenda pace haud institerint, factum ut in his locis postea hoc anno 1649 Parlamento Anglicano apud Iberniam ab Ormonii atque Ormonistarum exercitu extortis, nulla Catholicis ecclesia aut beneficia ecclesiastica restituta, sed haereticis obsequium Regi voventibus relicta fuerint, idemque citra dubium in aliis praesidiis Parlamento apud Iberniam haud ereptis successisset, si eas Catholici sub Ormonii imperio pariter expugnassent. Quae faedissima causae Catholicae desertio, quantopere Deo Opt. Max. displicerit, lectori judicandum relinquo. Ad secundam plagam eidem causae Catholicae hic inflictam transeo. Siquidem ecclesiae a Catholicis ante contractam hanc pacem occupatae ita ipsis, usquedum Rex suam in Parlamento voluntatem declararet, per eandem pacem relictæ sunt, ut tamen haereticis Ormonistæ haud obviarint earundem quasdam invadentibus, et falso allegantibus non a Catholicis, sed a se pacis contractae tempore fuisse occupatas. | Cui malo occursum Clerus et post suam inducias cum Insequinnio contrahendas editam 27 Aprilis 1648 declarationem rogatus a Concilio quorsum inducias prohibuisset, inter alia haec objicit: " Quod (inquit) ecclesiae in assignandis Baroni de Insequin limitibus non essent Catholicæ professionis hominibus reservatae. Quod idem Baro sex Ministros ad repetendam possessionem Cathedralis Cluanensis nuper miserit, quodque per hanc cessationem earundem ecclesiarum possessio in futura pace perdenda sit." Haec tunc anno 1648 Clerus. Ad quae pseudo-Concilium: " possessionem (inquit) omnium ecclesiarum, quas tum habebant Faederati Catholici, cum hic tractatus inchoatus fuit, Clerus durante hac cessatione imperturbate retinebit. Ecclesiarum etiam conservationi in futura pace per associationis sacramentum adeo consultum est, ut hujus cessationis praejudicio ne earum

vel unica privari nos possimus." Haec Concilium. Quibus addo ea deinde a Concilio Commissariorum ad contrahendas inducias destinatorum monitis, atque ipsi induciarum pacto inserta fuisse, quibus illi Cleri objectioni satisfactum atque ecclesias cum emolumentis intra limites Insequinnio assignatas in tuto positas jactarunt, usqueadeo ut ipsi et fautores, praesertim varii ecclesiastici, qui libello Anglicano sub ementito Episcopi Ossoriensis nomine in eorum defensionem Kilkeniae autumnum superiore typis mandato subscriberant, ostentarint induciarum articulos post illam aliasque Cleri objectiones, ad ejusdem Cleri mentem fuisse correctos, nec nisi post hanc eorum emendationem conclusos, proindeque ogganierint fulminatas ob hanc | armorum cessationem censuras vel ex hoc capite fuisse invalidas et injustas. Quid memorem tot acta et protestationes typis mandatas, quibus id ipsum ad nauseam inculcantibus pseudo-Concilium et alii Ormonistae aestate atque autumno superiore totum pene Regnum oppleverant. Quibus omnibus non obstantibus, in hac pace concludenda haud per specialem articulum pacti sunt, ut ecclesia Cluanensis, aliaeque, quas cum emolumentis ante caeptum cum Insequinnio anno superiori induciarum tractatum Clerus Catholicus in tribus Comitatibus Corcagiensi, Kieriensi, et Waterfordensi, proindeque in quatuor Episcopatibus Adfeartensi, Corcagiensi cum Cluanensi conjuncto, Rossensi, et Waterfordensi possederat, eidem Clero relinquenterunt, sed licet haereticos, in illis tribus Comitatibus Insequinnio per induciarum pactum modo alibi dicto in limites assignatis, etiam ante hanc pacem contractam postliminio (per secretas pseudo-Concilii et Insequinnii machinationes) restitutos fuisse, et per ejusdem pacis tractatum in agrorum ipsis antea bello Catholico ereptorum possessione confirmandos non ignorarint, proindeque ipsorum pseudo-Clero nugatorium titulum etiam in his Comitiis agitatum, quo ecclesias cum emolumentis in tribus illis Comitatibus usurparent, haud defuturum scirent, utra tamen partium ecclesias illas ante inchoatum induciarum tractatum et pacis contractae tempore possederit, in medio reliquerunt, et generali articulo contenti fuere, quo conventum ut utraque pars ecclesias, quas contractae pacis tempore possidebat, exinde possideret, usquequo Rex circa ecclesias Catholicis | relictas suam in libero Iberniae Parlamento voluntatem declararet. Qui articulus generalis atque indefinitus cum Ormonii atque Insequinnii imperio et Ormonistarum ignavia conjunctus haereticis ad

1742
v

1743

proventus ecclesiasticos in tribus illis Comitatibus sibi vindicandos suffecit, quod in ipsorum favorem et exponeretur et executioni mandaretur, licet ante inchoatum anno superiori induciarum tractatum totus Comitatus Kierriensis, et totus vel pene totus Waterfordiensis, peneque omnes ipsius Comitatus Corcagiensis ecclesiae, exceptis quae in aliquot praesidiis Insequinnii nutum manentibus continerentur, penes Catholicos fuerint. Ex quo rerum eventu liquet Nuncium atque Iberniae Clerum induciis cum Insequinno tractatis, per quas ad haec aliaque plurima causae Catholicae detrimenta haereticorum atque Ormonistae viam sibi straverant, anno superiori prudentissimeque intercessisse, et Ormonistas in contrahendis atque exequendis induciis et pace iniquissime se gessisse.

(22) 3. *Usquedum Regis voluntas* etc. Haud ignoravit Ormonius quod jam satis superque expertus erat pacem repudiandam, si respondisset ecclesias, praedia ecclesiastica, et exercenda jurisdictionis ecclesiasticae permissionem Clero Catholicum minime concedendam. Quare cum suis Ormonistis medium excogitavit viam astutiae plenissimam, qua Clerum soporaret, reque ipsa nihil Clero hac ex parte concederetur praeter quam praefatarum praerogativarum continuatio usque ad proximum Parlamentum, vel (quod perinde erat) usquedum Rex super ea re in libero | Parlamento suam voluntatem declararet, quam utique nemo dubitet futuram ut leges edictaque a se et retro Principibus haereticis latae, quibus Clerus Catholicus dictis praerogativis spoliatus, et pseudo-Clerus haereticus ante hoc bellum in locum substitutus erat, semper vigerent, praesertim cum per hunc pacis articulum declaratum fuerit inter partes non convenisse ut abrogarentur, et illae praerogativa Clero Catholicum relinquenterentur. Notatuque dignum est per hanc pacem haud inter partes convenisse ut Clerus Catholicus illis praerogativis gauderet usquedum hic articulus in Parlamento libero suffragiorum pluralitate decideretur, sed usquedum Rex suam in Parlamento voluntatem declararet. Unde Jesuitae Ormonio studentes, aliique Ormonistae inter hanc pacem concludendam verba solitis decipulis plena dederunt, asserentes futurum ut Catholici in illo Parlamento libero haereticos suffragiorum calculo vincerent, proindeque Regis voluntas quamlibet futura contraria causae Catholicae non praejudicaret. Qui murus haeresi objectus, quam expugnatus facilis haereticis fuerit, ex Parlamentis binis anno 2º Elizabethae et anno Regis Jacobi 10º Dubliniam convocatis comper-

tum habemus, in quibus, licet Catholici numero superiores fuerint, causa tamen Catholica ita male successerat ut in primo per haereticorum fraudes et violentiam, et quamdam Catholicorum perfidiam atque ignaviam haeresi intrudendae porta aperta sit, quam secundo Parlamento Catholici magno zelo suas partes agentes concludere nequiverunt, Rege Jacobo eorum votis non acquiescente, sed leges haereticas | in illo primo Parlamento surreptitie (ut aiunt) latae confirmante. Quanto ergo magis credamus futurum ut contraria Regis Caroli voluntas in Parlamento post hanc pacem de qua agimus promulgatam celebrando declaranda Clero Catholico circa puncta controversa praejudicaret, cum per ipsos pacis articulos haud obtentum sit, ut Regis voluntas suffragiorum pluralitati cederet, vel leges haereticae antea super iisdem capitibus latae atque intrusae abrogarentur. Denique quis persuasum habeat etiam Catholicos in illo Parlamento suffragiis praevalituros, perpensa Ormonistarum ad Ormonii nutum magnam partem ambulantium ignavia, Ormonii, Insequinnii, atque aliorum haereticorum fraude et tyrannide, et partium ter Catholicarum Nuncio atque Iberniae Clero adhaerentium depressione. Quibus addo per hanc pacem obtentum non fuisse ut actum Poyningam refigeretur, quod solum ad frustranda Catholicorum omnium suffragia sufficiebat.

(23) 4. *Quorum omnium aut partis eorum majoris etc.* Sicut ante contractam hanc pacem Confaederati inter hoc bellum a Concilio Supremo regebantur, ita in his pseudo-Comitiis extincta Concilii autoritate et nomine, assignati fuere Ormonio jam in Proregem admisso Assessores Catholici, quos etiam a non nullis Commissarios fiduciarios vocitari video, quod eorum fidei commissum esset ut hujus pacis articulis exequendis invigilarent usque ad illud Parlamentum, in quo iidem articuli per leges et statuta confirmandi erant. Verum cum illi Assessores Ormonistae fuerint, quid expectandum quam | ut Ormonio in Ecclesiae Ibernicae ruinam plurima molituro suam operam accommodarent, vel certe non nisi tepide resisterent, sicut de facto postea successit. Porro 12 Assessores fuere Dillonus et Muscrius Vicecomes, Athenrius, Alexander MacDonel, Lucas Dillon, Nicolaus Plunkettus, Richardus Barnwell, Zepherinus Brounus, Donatus O Ceallachan, Terentius O Nellus, Milesius O Relliis et Geraldus Fenellus.

(24) 5. *Licebit Catholicis etc.* Ormonius in concessionum suarum compendio Confaederatis Dublinia Kilkenniam anno 1645 misso obtulerat erigendi universitates facultatem, sed ea

1744

1744

v

lege ut regulis a Rege praescribendis gubernarentur. Nuncius autem in Regnum advectus prudentur cavens ne a Rege haeretico regulae haereticae vel ad haeresim ducentes praescriberentur, a Glamorgano per actum occultum 20 Decembris 1645 datum obtinuit ut non aliae quam Catholicae forent. Verum Glamorgani pactis a Rege recisis, pax cum Ormonio anno 1646 contracta fuit, in qua inter ipsum et suos tunc Ormonistas de conditione illa, quam anno 1645 obtulerat, convenit. Illa autem pace eodem anno jure merito proscripta, in hac pace anno 1649 cum ipso inita ita erigendarum Academiarum facultatem concessit, ut non videam obtentum quatenus non aliis quam Catholicis regulis gubernarentur.

(25) 6. *Pro cuiusque sufficientia ac merito* etc. Ante Nuncii appulsum in Iberniam Ormonius Catholicis obtulit futurum ut pro cuiusque sufficientia ac merito ad munera publica assumerentur, demumque post Nuncii appulsum illa conditio pacis inter Ormonium et Ormonistas anno 1646 contractae articulo 8° inserta fuit. Verum pax illa hac etiam ex parte displicuit, quod ille articulus verbis generalibus conceptus totam pene munerum publicorum distributionem, perinde atque antea, Regis vel Proregis haeretici arbitrio reliquerit, cum nec ad certas personas de causa Catholica antea bene meritas, nec ad certum personarum numerum descenderit, nec expectaretur ut Rex, Prorex, aliquie Ministri Regii nisi ad suum ipsorum genium, illam cuiusque sufficientiam ac meritum, pro quo Catholici assumendi essent, ponderarent. Quare Congregatio Ecclesiastica pacem illam anno 1646 contractam etiam ob hanc clausulam proscripsit, et cum inter partes supremas illa discep-taretur certas obtulit conditiones cum sua epistola Waterfordiae 24 Augusti 1646 scripta Kilkenniam missas, quibus concessis, nec secus, spopondit pacem illam admittendam, quarum 24 (sicut ibi habes) eo spectabat ut ille articulus verbis magis causae Catholicae determinate prospicientibus conciperetur. In quam atque alias propositiones tunc a Clero oblatas, licet Concilium haud ita consenserit, ut Clero satisfecerit, proindeque pax illa tanquam iniqua evanuerit, ita tamen quoad articulum, de quo nunc agimus, consensit, ut remedium oblatum propositione tunc per pacem Ormonicam conclusa, et per hanc secundam anno 1649 repetita millies tutius fuerit, sicut ex responso a Concilii Agentibus 10 Septembris 1646 Waterfordiae Congregationi tradito liquet. Denique ab Ormonio haud expectandum quam ut juxta hunc pacis anno 1649 conclusae articulum haereti-

cos magno numero et Catholicos non alios quam suos Ormonistas ad publicas provincias obeundas assumeret, exclusis Cleri et causae Catholicae fautoribus.

(26) 7. *Non secus quam alii Regiae Majestatis subditi etc.* Quam iniquum fuit ut soli Catholicci (sicut postea | successit) belli sumptus suppeditarent, et in exercitu pene toto Catholicco praefecturae in haereticos perinde ac in Catholicos conferrentur. Quam etiam iniquum fuit ut in magistratibus civilibus inter Catholicos tractus par regula et methodus observaretur, quae de facto juxta hanc pacem cum tempore observata fuisset, licet minime futurum esset ut Catholicci in civitatibus, oppidis, et tractibus, in quibus haeretici dominabantur, praefecturas vicissim exercerent.

(27) 8. *Propriis sumptibus etc.* Catholicci non solum exercitum Catholicum, sed etiam vires haereticas sub Insequinnio in Momonia militantes aliasque sustentabant, nec tamen nisi iniquas conditiones iniquius executioni mandatas obtinuerunt.

(28) 9. *Futurorum Comitiorum etc.* Cum hic author hanc conditionem ad civile tantummodo commercium spectantem articulis in religionis favorem obtentis, de quibus solis hic a se agi profitetur, accensuerit, ostendit se in hoc suum compendium plus quam deberet transtulisse, ut suis Ormonistis patrocinaretur.

(29) 10. *Monasticae seu Regularis vitae hominibus etc.* Quam parum hic Monachis et Religiosis Ormonistae concesserunt, licet bellum Ecclesiae Ibernicae postliminio restituenda studio susceptum fuerit, ipseque Ormonius et magno numero Ormonistae praediis ecclesiasticis iniquissimo titulo per haereticorum furem olim obtentis ditarentur. |

(30) 11. *Quietam ac imperturbatam etc.* Hic tantum Catholicis urbium atque oppidorum, quae haeretici inter hoc bellum nec perfidia intercipere nec Marte expugnare potuerant, civibus et oppidanis utcunque de securitate providetur, neglectis eorum locorum civibus Catholicis, quos haeretici antea fraudulenter et violenter deturbaverant. Siquidem ad belli initium Catholicci cives Corcagiae, Kinsaliae, Yeogheliae, et Dungarvaniae in Momonia municiporum praerogativis amplissimis per nescio quot saecula possessis, quas haeretici Gubernarchae saepius tollere conati erant, sed nunquam funditus sustulerant, fruebantur, internistis paucioribus haereticis, sed tam parvo numero ut Catholicci non tam potiores quam soli fere in civicis atque urbanis praefecturis, tribunalibus, suffragiis, sententiis, et electionibus dominarentur. Orto autem bello, omnes

1745
v

1746

praeter Dungarvaniam, haereticis provinciae Praefectis Angli-
canis vel Anglia oriundis et militibus ex eodem fermento com-
pactis tanquam Regi fidis pree nimia in Regem fidelitate januas
aperuerunt. In cuius obsequii mercedem, belli ab illis haereticis
atque ab aliis subinde ex Anglia transmissis in Catholicos quasi
pro Rege gesti impensis primum onerati, demumque depresso
ac deturbati fuere, illique haeretici in Regem nefario Angliae
Parlamento adhaeserunt usque ad annum superiorem, quo
Insequinnius proprio commodo ductus ita se gessit ut haeretica
illa latronum colluvies specie quidem Regi obsequium professa
sit, sed de facto tempori servierit, ut occasione nata suo rebelli
Parlamento Anglicano utilius | militaret. Dungarvaniam aut-
em Insequinnius anno 1647 eidem Parlamento bellans in
potestatem recepit. Itaque (ut ad narrationis filum redeam)
in pace contrahenda obtinendum ut horum municipiorum cives
et oppidani Catholici postliminio restituerentur, et cum ipsis
fides Catholica in eadem municipia remigraret, inque iisdem
plena libertate refloresceret, quod tamen in hac pace contra-
henda usque adeo omissum est, ut Ormonistae in positivum
articulum (vel Bellingo authore) consenserint, quo haeretici
caverint ne Catholici Corcagienses, Yeoghellienses, et Kin-
salienses ad proprias lares redirent, donec pax (inquit Bellingus)
in proximo Parlamento stabiliretur. Quae fraudulenta articuli
modificatio effecit ut tyrannis haud tanta, quanta de facto
erat, appareret, sicut in multis aliis induciarum et pacis hujus
articulis utrinque processerunt. Quis autem ferat per hanc
pacem haereticos praedia domosque, quibus hoc bello antea
justissime excussi essent, recuperasse, et Catholicis civibus in
ipsorum hostium foro absolvendis nec obtinuisse Catholicos
Ormonistas, nec haereticos modo jam dicto introductos con-
cessisse similem conditionem. Concessum tamen, authore
Bellingo, ut hi Catholici sua praedia extra muros recuperarent,
et annuos ex sua quisque domo redditus reciperet. Idemque
Bellingus rationem subjungit, ob quam haeretici illis civibus
Catholicis per pacis articulos ad proprias aedes mox remigrandi
potestatem non fecerint, ut ipsi scilicet in municipiis illis usque
ad stabilitam Parlamento pacem fortiores essent, "quod
(inquit) | nequaquam eveniret si Catholicis ad proprias in illis
praesidiis aedes redeundi potestas concederetur." Verum
Bellingus aliisque Ormonistae nunquam pacem conclusissent,
nisi Catholicis illis mox postliminio restitutis ut non haeretici
latrones sed Catholici cives et legitimi possessores in illis

Annot.
in P.
Poncium.

P. 186.

I747
ibid.

municipiis etiam ante convocabandum Parlamentum praevalerent; partim ut in causae Catholicae ab illo Parlamento decidenda bonum suo in deligendis membris ad eundem concessum destinandis, atque ibi suffragia laturis, jure secus frustrando uterentur, partim ut haeretici illud jus sibi tanquam illorum locorum municipes non arrogarent, partim ut Catholici contra Parlamenti Anglicani, cum quo post hanc contractam bellandum erat, invasionem, loca illa in tuto collocarent ne haeretici praesidiarii, qui antea Parlamento militaverant, nec nisi foro utentes et tempori servientes se Regios simularunt, occasione nata eisdem suae nationis et sectae Parliamentariis Anglicanis loca illa proderent. Sicut re ipsa in extrellum nationis et Ecclesiae Ibernicae praejudicium postea successit, et tunc pacis contractae tempore nemo sanae mentis non judicasset successorum.

(31) Quid memorem aliorum Iberniae locorum Catholicos ab haereticis inter hoc bellum deturbatos vel spoliatos, quos haec pax prope oblivioni tradidit, eo iniquius quod Catholicorum impensis bellum prosequendum esset, ut loca illa, nempe Vadipontum, Dublinia, Trimmia, Dundalkia, aliaque Parliamentariis extorquerentur. Sane pacem cum Ormonio anno 1646 contractam Clerus fautoresque proscriperunt, quod inter alia | hujusmodi civibus Catholicis, minus quam par esset, de restitutione in integrum providerit. Quare Clerus inter conditions Waterfordia 24 Aug. 1646 Kilkenniam missas, quibus concessis, et non aliter, pacem illam admittendam obtulerat, institut hunc in modum: "Ut (inquit) in omnibus civitatibus, oppidis, municipiis, Comitatibus, Praetoriis, villis, aut locis quibuscumque per praesentem exercitum in fidem recuperandis a partibus Parliamentariis, cives Catholici et incolae in exilium missi postliminio in suas aedes, agros, possessiones et jura restituantur, et liberum ac publicum religionis exercitum ipsis securum reddatur perinde ac omnibus aliis Catholicis, quibus in locis his expugnandis libuerit habitare." Haec tunc Clerus. Ad quae illius pacis authores in responsionibus per suos Commissarios Waterfordiae 10 Septembris 1646 datis: "Exilibus (inquiunt) civibus et incolis Catholicis tam quoad fortunas quam quoad exercitum religionis provisum est per articulos et edictum, et providebitur illis juxta propositionem." Haec tunc Ormonistae. Quorum tamen pacem illam et pollicitationes tunc factas tanquam minus securas Clerus et universum Regnum rejicit. Ex quo liquet

1747
v

hanc secundam pacem anno 1649 celebratam hac ex parte fuisse non modo aequa iniquam, sed et longe iniquiorem. Et haec quidem sunt, quae ad articulorum religionem spectantium compendium a Philopatro, Ormonistarum patrono, in medium productum dicenda habui.

(32) Jam restat ut hanc pacem aliter probem fuisse iniquissimam. Siquidem ad ineuntem annum superiorē 1648 legati in Galliam atque in Urbem ex Ibernia destinati fuere, habentes in mandatis (in quae per Comitiorum Generalium paulo antea celebratorum, per Concilii Supremi, et per Cleri authoritatem praescripta | universaliter juratum erat) ut pacem conditionibus ibi limitatis cum Regina Angliae et Walliae Principe in Gallia contraherent, et illa sive contracta, sive secus, Regni in tuto collocandi vias alias in illis monitis superius ad longum positis legendas inirent. Haec autem illorum Comitiorum mense Novembri et Decembri anno 1647 celebratorum decreta saluberrima, hae legationes, et monita Ormonistarum artificiis evacuata fuere, coitaque cum haereticis sub induciarum praetextu nefaria conjuratio, ut Ormonius in Proregem vocaretur, et cum eodem haec pax anno 1649 demum conclusa iniretur, quae eo iniquior habeatur, quo deterior fuit illa quam, nec aliam, Comitia jam dicta contrahendam decreverint, et quo melius Regni bono consultum fuisse si Ormonistae legationes et monita praefata non evacuassent, sed (sicut juraverant) exequendis institissent. Has ergo duas vias in binis librae lancibus collocemus, et inter se comparemus. Itaque per illa Comitia Generalia et monita legatis praefixa decretum fuit 1°. Ut pacis articuli ad religionem spectantes non alii forent quam de quibus inter Pontificem et Reginam Angliae conveniret. 2°. Ut solus Catholicus in Proregem admitteretur, nisi Pontifex secus statueret. Pontificem autem nunquam consensurum fuisse ut haereticus in Proregem admitteretur, certissimum est. 3°. Ut efficacissima ibi contenta iniretur via in integrum restituendi Catholicos tot tantosque per iniquas confiscationes, et alia haereticorum articia, atque violentiam, ab anno Regis Jacobi 1° vastissimis atque avitis possessionibus spoliatos. 4°. Ut juxta limitationes ibi contentas, aliquis Princeps externus libenter et potenter subventurus | in Protectorem cooptaretur, et Regni propugnacula (excepta Duncania), Catholicorum quoque et hostium agri, aliaque Insulae commoda potius oppignerarentur quam deesset, unde Confaederati religionem bello defensarent. Quibus atque aliis, quae ibi legas, si in-

stitum fuisset, Confaederati mirum in modum Regnum in plenam libertatem asseruissent, et hostes demum in ipsa Anglia Scotiaque quassassent. Verum per inducias cum Insequinno contractas, reliquasque illius conjurationis machinas Ormonistae scientes prudentesque praefatis omnibus obicem posuerunt, revocato in Proregem Ormonio, et contracta hac pace inquisissima, quae determinata ex diametro opposita complectitur. Nam 1°, tria gravissima religionem spectantia capita, nempe ecclesiae, praedia ecclesiastica, et jurisdictionis ecclesiasticae palam et libere exercendae permissio non Pontificis sed Regis haeretici, pessimorum haereticorum consiliis ducti et minis detenti voluntati plenissimae in libero Iberniae Parlamento declarandae relinquuntur. 2°. Non Catholicus sed haereticus in Proregem obtinetur, isque Ormonius, Nuncio Apostolico, Clero Ibernico, et causae Catholicae per universum Regnum fautoribus jam infensissimus, et ad nationem fidemque technis occultissimis excidendam aptissimus. 3°. Catholici jam dicti per hanc pacem haud in integrum restituuntur, sed magis deprimuntur, partemque magnam tanquam suae Majestatis rei proscribuntur, et haeretici in eorum agris confirmantur. Quod usqueadeo verum est ut Eugenius O Nellus atque ejus exercitus ex hujusmodi nobilitate patrimoniis iniquissime spoliata conflatus, hac pace celebrata pene ad desperationem redacti sint, magisque sibi ab Ormonio et Ormonistis quam ab ipsis Parliamentariis ruinam et mortem metuerint. 4°. Non solum Principis externi in Protectorem asciscendi et subsidiorum procurandorum via per hanc pacem paecluditur, sed etiam misellis Catholicis reliqua (ut videbimus) substantia ad Ormonii imperium per crebras et gravissimas taxationes extorquetur, in hostes haereticos quasi Regi militantes, sed suo tempore ad Parliamentum Anglicanum reddituros distribuenda, ut Catholicci intus exhausti et subsidi ab exteris Principibus assequendi spe destituti exterminentur. Qui rerum exitus, si non ex Ormonii mente, certe ex ipsius atque Ormonistarum iniquo regimine demum (ut videbimus) successit. Denique pax secundum faederis juramentum, Regiminis normam, propositiones in Comitiis Generalibus ad ineuntem annum 1647 indictis statutas, regulas a Comitiis mense Novembri et Decembri eodem anno 1647 celebratis, a Clero quoque et Concilio Supremo praefixas, et secundum legatorum in Galliam atque in Urbem anno 1648 destinatorum instructiones, juxtaque alias faederis Catholicci leges, in quas omnes juratum erat,

contrahenda, vel (pace a Principibus tali non concessa) alia religionis et nationis servandae ratio juxta easdem regulas ineunda utramque sartam tectamque reddidisset. Haec autem pax anno 1649 celebrata neutram in tuto collocavit, sed partim praesenti excidio, partim ulterioris excidii periculo eique manifesto exposuit, cum non deessent millenae posticae, quibus conditions, quas ibi Ormonistae obtinuerunt, evacuandaes essent per dubiam verborum interpretationem, | Ormonii atque aliorum haereticorum fraudes, violentiam, non depositum sed dilatum ulciscendi animum, supra quam dici queat, damnis superiori bello sibi illatis exacerbatum, legum haereticarum apices in haereticorum favorem suo tempore interpretandos, ejusdemque pacis recessionem sub legitimae animadversionis pallio haereticis, ubi suum commodum postularet, et inter se concordarent in Catholicos atque Anglis in Iberos nunquam defuturo, praesertim cum Ormonio illius pacis contrahendae nulla esset authoritas, nisi quae valde nutaret. Etenim Rex arcta adeo custodia a nefariis Angliae Parliamentariis detinebatur, ut nullam ipsi ejusmodi recentem valerer facere potestatem. Quam utique nec in pseudo-Comitiis, a quibus haec pax cum ipso inita fuit, nec in aliis pseudo-Comitiis Loghreaghensis annō 1650 indictis, in quibus ultimis etiam a suis de ejus autoritate quaestio movebatur, unquam ostendit, nec re ipsa aliam ipsi fuisse praeter veteram illam, qua pacem anno 1646 proscriptam contraxerat, Nuncii Galliarum litterae notis arcanis Cardinali Panzirolo 15 Martii 1648, et Iberniae Nuncio 26 Aprilis eodem anno post rem a se in Reginae Angliae et Principis Walliae Aula apud Gallias diligenter investigatam exaratae ac superius positae satis docent. Verum authoritatem illam Rex 11 Junii 1646 revocaverat, nec nisi ad Kalendas Aprilis 1646 duraturam Ormonistis in Comitiis anno 1646 dixerant, et conclusis dictae pacis articulis suapte natura expirasse responderant ipsius Ormonii in Concilio Supremo fautores per actum ab eorum Commissariis 10 Septembbris 1646 Clero Waterfordiae porrecturi. Quod mandatum magis expirasse videtur, ubi deinde anno 1647 Ormonius Dubliniam aliaque praesidia, quibus in Ibernia praeesset, Parliamentariis tradidisset, ipseque tanquam districtu privatus eaque provincia defunctus in Angliam trajecisset. | Haud ignoro tamen Philopatrum Irenaeum et Bellingum scriptis mandasse eandem regendae Iberniae provinciam Ormonio in Angliam anno 1647 advecto a Rege fuisse prorogatam, et scio Nuncium Galliarum litteris

1749

v

Doctor
Enos
Just.
cap. 9.
num. 12;
et cap. 18.

num. 3.

1750

jam citatis significasse Ormonium in Iberniam destinandum, quod Rex potestatem ipsi antea factam non revocaverit. Verum cum Ormonius duobus ante contractam proscriptamque anno 1646 pacem mandatis et diverso tempore a Rege instructus, eorumque primo in Iberniae Proregem, secundo autem in pacis cum Confaederatis pangendae Commissarium assumptus fuerit, praefatorum loci ancipites secundum, de quo hic agimus, a Rege prorogatum fuisse haud expresse docent, usque adeo ut de primo potius intelligendi videantur, praesertim cum ipsius Ormonii fautores et consiliorum ejus probe gnari modo jam dicto in Ibernia anno 1646 circa secundum quasi jam exhaustum responderint, ipseque Bellingus Concilii Supremi, a quo responsum illud datum fuit, albo ascriptus, eique a secretis fuerit. Quibus addo nec Philopatro nec Bellingo, insignibus Ormonistis, circa facti probationem in tanti monenti re, et tantae controversiae, quam ambo ita tractarunt ut in multis palpabiliter caespitarint, cardine credendum, et Nuncium Galliarum significasse quae in Reginae Angliae et Principis Walliae aula apud Galliam affirmabantur. Atqui Reginae, Principis, et Ministerorum intererat ut Ormonius anno 1648 in Iberniam proficisci ceretur, ibique per suam factionem Confaederatos Catholicos et partes haereticas communi vinculo ad Regis obsequium revocaret. Quare non ipsum sed Confaederatorum intererat ut utrumque Ormonii mandatum suis ponderibus libraretur, antequam aut in pacis Commissarium aut in Proregem admitteretur. Catholicis autem inter se capitali odio discordantibus, eorum alii aeque mandatis omnibus ac nullis instructum horrebant, alii etiam nullo mandato munitum anhelabant. Restat ergo ut indagemus in qua potestate cum suis Ormonistis in Iberniam anno 1648 regressus de pace contrahenda egerit? In rationibus autem a Fernensi et Plunketto dictatis, et a Massario ad Nuncium Kilkennia Galviam missis, ut Episcopis ad Comitia Ormonica se conferendi licentiam daret, haec habentur verba: "Quod vero autoritatem Marchionis Ormoniae concernit, habet Reginae et Principis autoritatem, qua contenti erant Confaederati in ultima Assemblea, neque scitur adhuc an habeat dictus Ormonius etiam autoritatem ab ipso Rege?" Haec ibi mense Decembri 1648 missa, postquam per octo circiter septimanas anteriores pseudo-Comitia cum Ormonio de pace illa concludenda egissent. Quare quis dubitet eum totam suam pacis contrahendae potestatem ab ipso tractatus initio ostendisse. Quod autem hic Fernensi et

1750

v

Plunketto dictantibus habetur, nempe anteriora Regni Comitia contenta fuisse ut pax Reginae et Principis authoritate contraheretur, haec pseudo-Comitia aequa prudenter in hoc negotio se gessisse non probat, cum anteriora illa Comitia (sicut ex legatorum in Galliam anno 1648 destinatorum instructionibus liquet) tot alias firmissimas adhibuerint praecautiones, quibus tanquam inconcussis columnis pax suffulcienda esset, quibusque inter haec pseudo-Comitia ex maligna industria neglectis, plurimae haereticis ad inferenda damna ex diametro opposita non rimae modo sed etiam latissimae januae patuerint. Quibus addo videri ex earundem instructionum numero 17 colligendum anteriora Comitia haud aliam intellexisse Reginae et Principis authoritate quam Regis mandato communicatam. Supponerent enim Regem haud adeo arcta detentum custodia quin Reginae et Principi ejusmodi potestatem fecerit, vel facturus | esset, cum ad ipsum legatis aditus non pateret. Factam autem non fuisse colligo ex praefata epistola Iberniae Nuncio a Galliarum Nuncio Parisiis 26 Aprilis 1648 in Iberniam data, et ex eo quod Ormonio factam a Regina et Principe potestatem Fernensi et Plunketto praefata verba Massario dictantibus, haud constaret a Rege fuisse derivatam, licet plures retro dies rem in pseudo-Comitiis discusserint. Denique idem Fernensis in sua Apologia postea anno 1653 tradita non affirmit Ormonium tunc Regis sed Reginae et Principis fuisse Commissarium. Ex quibus omnibus concludo Ormonii facultates haud fuisse alias quam veteres illas et obsoletas ante pacem anno 1646 contractam a Rege concessas nunc tot minis fatiscentes, ideoque a Regina et Principe potius commendatas quam resarcitas. Verum Ormonio ea Regis facultas anno 1647 antequam in Angliam trajecit, aut Dubliniam aliaque annexa praesidia Parliamentariis tradidit, magis quam hanc pacem anno 1649 publicatam pangenti astipulabatur, et tunc anno 1647 a Regina et Principe subscriptas (latore D. Wintero Grant) acceperat ex Gallia quatuordecim puras (ut Bellingus loquitur) papyri schedulas, vel (ut Poncius in Bellingum scribens vocat) commissiones in albis, ad suum ipsius nutum in pacificationem cum Catholicis absolvendam replendas, et litteras ab utroque Principum missas, quibus (authore vel Bellingo) Reginam et

Bellingus
Annot.
in Pong.
p. 176. et
Poncius
Vindiciar.
eversar.
p. 60 et 61.

1751 *Principem Walliae propensissimos in Ibernos fuisse | dignoscitur.*
v *et enixe Ormonio commendasse ut cum Faederatis pacem iniret.* Legati etiam a Gallo tunc in Iberniam missi, et praefatus Dominus Winterus Grant a Regina et Principe allegatus nullum

non moverunt lapidem ut potius pacem anno 1646 contractam proscriptamque aliquot melioribus conditionibus reformaret, quam praesidia illa nefariis Parliamentariis cederet. Confaederati etiam in omnes se facies, ut id assequerentur, verterunt. Quibus omnibus non obstantibus, Nuncius Cardinali Panzirolo Kilkennia in Urbem 28 Maii eodem anno 1647 scribens: "Winterus Grant (inquit) et Agentes Gallicani mihi clare dixerunt Ormonium super quantulocumque articulo ad religionem spectante nec posse nec velle concordare sine novo Regis mandato, nec ipsi sufficere Reginae commissionem." Haec tunc Nuncius, reque ipsa (sicut vidimus) Ormonius hanc responsonem a se factam usquadeo opere complevit ut praesidia jam dicta Parliamentariis tradiderit. Nunc vero praesidiis nudo, atque ex Anglia per Galliam in Iberniam regreso eadem facultas se longe deterior peneque nulla redditia sufficit. Nec mirum, cum Dublinia aliisque praesidiis in Lagenia Parlamento Anglicano tunc anno 1647 traditis insigni experimento docuerit, se in votis habuisse ut Catholicorum Confaederatio ad nihilum recideret, et abominabiles illi sicarii Anglicani potius quam Iberni in Ibernia triumpharent. Valde autem stupendum est et Catholicos et Ibernos eo dementiae progressos | ut ad ejusmodi praestigiatoris haereticis et infensissimi votum se fascinari permiserint, pene non curantes in religionis causa quam, ut aliquam cum ipso pacem absolverent, licet Rex 25° Novembris 1648 ejus mandata antea nutantia effecerit debiliora, data ad eum hac epistola:

Reg:
p. 462.

1752

"Fidelissimo et dilectissimo cognato et Consiliario salutem.

(33) "Cum diversas ab utroque Parlamenti nostri subsellio de tuis cum Faederatis Romano-Catholicis in Regno Iberniae progressionibus acceperimus informationes, cuius vota varia et compendia ad te hiscum transmittimus, cumque modo tractatu pacis cum utroque nostri Parlamenti subsellio involvamus, in quo concessiones detulimus adeo amplas ut speremus illas beatae pacis fundamenta futuras; cum denique per quoddam tractatus caput (si tractatus succedat) ductui et consilio amborum nostrorum subselliorum prosecutionem et oeconomiam belli in Ibernia committere consenserimus; eapropter, ut ab omnibus super res in dictis chartis contentas ulterioribus progressionibus abstineas, tibi imperandum duximus. Eam vero huic nostro mandato expectamus obedientiam, qua amborum subselliorum votis plene fiat satis. Datum in Portu Novo in Vectae Insula 25 Novembris anno regni nostri 24."

Doctor
Enos.
Just.

c. 17. n. 4.

(34) Hoc mandato spreto tanquam sua Majestati in custodia

1752 v detentae a Parliamentariis extorto, Ormonius in contrahenda pace processit, haud in hoc culpandus, si | caeterae conditiones ad actionem rectificandam necessariae concurrissent; sed cum facultas ejus antea rimas nec paucas egerit, et hoc Regis mandatum supervenerit, nemo neget pacem illam hac etiam ex parte infirmis nixam fuisse fundamentis, atque adeo suo tempore tanquam araneae telam in haereticorum foro, ubi semel inter se concordassent, facile refigendam, sicut de facto successisse videbimus.

(35) Itaque cum Comitia Generalia anteriora, praesertim bina ad ineuntem et exeuntem annum 1647 celebrata, decreverint ut pax tantum juxta tutissimas conditiones utrobique praefixas contraheretur, vel illis denegatis alia via juxta juramentum faederis et legatorum anno 1648 in Galliam et in Urbem destinatorum instructiones Nationi et religioni de securitate provideretur, cumque per inducias cum Insequinno postea contractas, per illarum legationum frustrations, per Ormonii revocationem, per Ormonistarum pseudo-Comitia, per eorum ad haereticos defectionem, per Cleri fautorumque depressionem, perque alias plurimas illius conjurationis machinas factum sit ut, illa pace et via tutissima posthabita, Ormonius, Ormonistae, et haeretici ipsis adhaerentes hanc pacem anno 1649 conditionibus millies iniquioribus conclusam intruserint, consecutaneum est inducias jam dictas aliasque conjurationis praefatae machinas in tam perniciosum finem adhibitas fuisse iniquissimas, ipsamque pacem hoc anno contractam extitisse iniquorem, cum praecipua illorum perversorum mediorum malitia a tam horrendo fine originem traxerit, illisque | Nuncius, Clerus Ibernicus, fautoresque intercesserint, praesertim ne tam funestus rerum exitus ex ipsis sequeretur.

1753

(36) Jam mihi restat ponderandum nunquid haec contracta anno 1649 pax iniquior fuerit illa quam anno 1646 proscriptam fuisse tradidimus. Quam quaestionem ut solvamus, in memoriam revocemus quod alibi fusius vidimus, nempe pacis anno 1646 proscriptae duas fuisse partes, unam cum Glamorgano et alteram cum Ormonio celebratam. Cum Glamorgano Confaederati primos sui tractatus articulos ante Nuncii appulsum 25 Augusti et 3° Septembris 1645 concluserunt. Quibus Nuncius eodem anno appulsus cum contentus non esset, ille per actum 20 Decembris 1645 datum ubiores addidit. Postea vero Nuncius Comitiis ad anni 1646 initium celebratis proposuit ut articuli, de quibus Romae Pontificem et Reginam Angliae per suum Oratorem Digbaeum transigendis egisse vidimus,

expectarentur, et illis insisteretur. Commissarii autem a Comitiis ad Nuncium allegati inter alias rationes: "Cum (inquit) Glamorganiae Comes paratus sit ad pangendos ab integro cum Nuncio articulos ecclesiasticos, posito quod Suae Sanctitatis paci locus non esset, obligaret se jam Concilium ad expectandam unam vel alteram, et ad eam jam habendam pro stabilita, modo Ormonica impraesentiarum absolveretur." Haec illi. Ad quae Nuncius: "Id (inquit) quod a Comite offertur in supplementum venit, si Suae Sanctitatis pax aliquo eventu locum non haberet. Unde tractatum alter alteri non est comparandus." Haec Nuncius, inter quem et Comitia demum 19 Februarii 1646 pactum est, ut articuli Pontificii in ipso autographo per Digbaeum apportandi vel mittendi, usque ad Kalendas Maias expectarentur, iisque non apportatis nec missis, | Nuncius ratum haberet quicquid ipse ex parte Summi Pontificis, et Glamorganus ex parte Regis paciserentur, et huic tractatui tractatus cum Ormonio habendus non praejudicaret. Glamorganus autem per actum anterius 18 Februarii 1646 datum, et per aliud, cui eadem die 19 Februarii subscrispsit, articulos Pontificios Regis nomine concessit, qui quam ampli fureint suo loco legas. Denique aliis articulis cum Ormonio eodem anno postea pactis inserta fuit clausula, qua cautum ut aliae Regis concessiones, in tractatu Ormonico non contentae starent, quam clausulam Ormonistae toties affirmarunt intextam ut articulis cum Glamorgano pactis tractatus Ormonicus non praejudicaret. Itaque cum pacem hoc anno 1649 contractam cum altera anno 1646 proscripta comparo, per pacem illam anno 1646 rejectam intelligo non solos articulos cum Ormonio pactos, sed et alios cum Glamorgano initos, ex quo utroque articulorum genere una integra pax compacta fuit. His in fundamentum jactis, in duabus lineis parallelis collocemus pacem anno 1646 repudiatam et hujus anno 1649 promulgatae summam a Philopatro in medium productam, et tredecim articulis superius positam. Quorum primus partim in primo pacis Ormonicae ad annum 1646 proscriptae articulo, partim in ipsa pacis Glamorganicae parte ante Nuncii appulsum celebrata, nedum in posterioribus ejusdem additamentis, longe melius continetur. 2m testatur ipse Philopater anno 1645 ab Ormonio oblatum sed a Catholicis fuisse recusatum. Glamorganus autem articulis secum 25 Augusti conclusis concessit millies meliorem, nempe ut Clerus Catholicus teneret, fruereturque | in perpetuum ecclesiis, terris, tenementis, decimis, et haereditamentis qualibuscumque ecclesiasticis, exceptis

1753
vVindic.
lib. 1.
p. 12 et
13.

1754

quae tunc de facto a pseudo-Clero haeretico possidebantur, deindeque per instrumentum 20 Decembris 1645 datum concessit ut in locis bello postea hosti eripiendis eadem circa religionem Catholicam in omnibus ratio, quae in ipsis Catholicorum tractibus antea haeresi purgatis haberetur. Denique per actum 18 Februarii 1646 datum omnes tractatus inter Innocentium Xm et Digbaeum, Reginae Oratorem, Romae anno 1645 celebrati articulos Regis autoritate sibi concessa confirmavit, atque longe ampliores huc spectantes conditions ibi legendas concessit. Quod articulus 3us, 4us, 5us, et 6us complectuntur, aequa bene, si non melius, in articulis anno 1646 cum Ormonio contractis, longeque melius in praefatis Glamorgani conditionibus habetur. Articulus 7us in pactionibus cum Ormonio anno 1646 celebratis conceditur, cum eo tamen additamento, ut universitatum regulae a Rege praescriberentur. Quod hic ita omittitur, ut non videam fuisse obtentum quatenus regulae illae Catholicae forent. Quod si chartae ab illius pacis Ormonicae anno 1646 initae authoribus per suos Commissarios Clero Waterfordiae 10 Septembris eodem anno datae fidem habeamus, non aliae etiam ex illa prima pace Ormonica ab ipso Rege praescribenda erant universitatibus leges quam Catholicae: quo jacto fundamento illam primam Ormonicam hac ejus secunda quoad hunc articulum haud video fuisse deteriorem. Cum Glamorgani autem additamentis etiam hac ex parte longe meliorem fuisse constat, cum | Glamorganus per praefatam instrumentum 20 Decembris 1645 datum concesserit, ut non aliae universitatibus Regulae quam Catholicae praescriberentur.

8us articulus et aequivalenter 9us inter Ormonicos anno 1646 proscriptos reperitur. 10us eorundem Ormonicorum 11^a aequivalet, similemque conditionem legimus in capitulis Pontificiis 18 Februarii 1646 a Glamorgano confirmatis. 11 non ad religionem sed ad lanas et vellera pertinet. Quoad 12^m articulum, quo de Regularium Monasteriis agitur, tradit ipse Philopater eas ab Ormonio ante proscriptam anno 1646 suam primam pacem oblatas fuisse conditions, *quibus fieret ut cuiusvis Ordinis Monasteria, cum non exciperentur, Catholicis reliqua essent.* Id verum est et primam et secundam pacem Ormonicam quoad hunc articulum fuisse iniquissimam. Siquidem Religiosis, Monachis, et Canonciis Regularibus non solum Monasteria cum septis hic expressis, sed etiam vastissimae eorum possessiones ex conscientiae legibus restituendae essent, potissimum illae circa quas Cardinalis Polus nunquam dispensaverat, cuius etiam circa alias dispensatio multas ob causas

1754

v

Vindic.
lib. I.
p. 20.

jure merito nulla censeatur, praesertim ob turpem eorum, quibus Sedes Apostolica p[re]e resipiscentiae spe beneficium illud contulerat, relapsum, et summam ingratitudinem atque in se rebellionem. 13us in articulis Ormonicis anno 1646 repudiatis occurrit, eundemque Glamorganus per actum 20 Decemb[ri]s 1645 datum melius concessit. Quibus omnibus addo maximi momenti conditions inter Glamorganicas reperiri, quae hic omittuntur, nempe ut Catholici a pseudo-Cleri haeretici jurisdictione, qua jugum Turcico crudelius ad multos annos bello anteriores experti erant, eximerentur; ut Prorex Catholicus concederetur, aliaque Regni officia principalia Catholicis decernerentur; ut Episcopis Catholicis suum in Parlamento sedendi et suffragandi jus restitueretur; aliaeque in maximam Ibernicorum atque Anglicorum Catholicorum utilitatem cessurae inter capitula Pontificia a Glamorgano confirmata legenda, quas deprecandae prolixitatis studio hic non repeto. Denique vel per solos articulos cum Glamorgano ante Nuncii appulsum anno 1645 pactos, et per alios cum Ormonio anno 1646 transactos millies melius quam per hos anno 1649 conclusos religioni prospectum fuisse; sicut manifeste reperiet quisquis ad trutinam revocaverit.

(37) Objici autem potest dupl[icem] illum pacis partim Glamorganicae, partim Ormonicae tractatum re ipsa plures quidem et potiores citra comparationem articulos ad religionis Catholicae profectum conductentes continuisse, sed Glamorganicos infirmo nixos fuisse fundamento, eamque ob causam Clerum populumque pacem Ormonicam anno 1646 et in Comitiis anno 1647 proscriptissime; hanc autem anno 1649 conclusam praecelluisse, quia nixam Ormonii, adeoque Regis autoritate et potestate. Ad quae respondeo de facto Glamorgani tractatus fuisse repudiatos tanquam authoritate minus firma fultos, vel postea evacuatos, | sed pacem hoc anno 1649 cum Ormonio conclusam vix potioris fuisse firmitatis. Nam 1°, si Rex per actum 29 Januarii 1646 datum Glamorgani articulos refixit, Ormonii quoque potestatem contrahendae pacis nedum 21 Junii 1646 et 25 Novemb[ri]s 1648 suspendit, sed etiam illam authoritatem Ormonicam, antequam pax hoc anno 1649 conclusa esset, aliunde nullam fuisse vel expirasse colligendum videtur ex iis quae superius diximus. 2°. Siquis dixerit Regem non nisi coactum facultatem Ormonio concessam suspendisse, quidni eadem ratio in Glamorgani casu militabit. 3°. Rex post illud actum 29 Januarii 1646 editum, quo articulorum Glamorganicorum authoritatem defugerat, Glamorgano litteris 5 Aprilis

1755

1755

v

eodem anno datis significavit se pactis ab ipso celebratis staturum juxta ea, quae Glamorganus ab ipso Rege in monitis haberet hunc in modum: "Si (inquit Rex) infaelici aliquo casu consiliis ullis potestati tibi a nobis traditae quoad speciem contrariis involvi nos contigerit, alia eorum ratio tibi habenda non est, nisi quatenus te in eum statum perducere possis, nobis ut succurras, nosque liberes." Quod etiam posterius Rex epistola ad Glamorganum 5° Aprilis 1646 data, et suo loco superius posita, confirmavit. 4°. Pace Ormonica anno 1646 promulgata dum Clero apud Waterfordiam congregato circa illam cum Concilio Supremo controversia intercederet, Concilium ad Clerum destinavit Commissarios, qui inter rationes antea Nuncio a Concilio Limerici et tunc mense Augusto Congregationi Ecclesiasticae porrectas: "Inter (inquiunt) Glamorganiae Comitem et Confaederatos intercesserunt articuli, quibus multa sunt concessa religioni Catholicae proficia, uti ex iisdem articulis fusius constat, et prudenti judicio relatio in articulis 1756 Proregis ad sua Majestatis | ulteriores concessiones ita intelligi potest, ut comprehendat articulos cum Glamorganiae Comite transactos, qui a sua Majestate mandatum habuit, cuius originale Regia manu subscriptum Glamorganiae Comes depositus apud Confaederatos Catholicos. Porro juxta generalis Consessus, Supremi Concilii, et additionalium Commissariorum praescripta statutaque Faederati Catholici his Glamorganiae Comitis concessionibus tenentur insistere, suamque unionem et juramentum associationis continuare usquedum plenum ipsarum, aut saltem articulorum ipsis in materia religionis aequivalentium effectum obtinuerint, et casu quo dicti articuli violati fuerint, protinus Generalis Consensus est convocandus." Haec ibi. Cumque Clerus per declarationem et propositiones una cum epistola 24 Augusti 1646 data ad Concilium missas postulasset ut Catholici de exigendis Glamorgani conditionibus securi redderentur, Concilium per actum 10 Septembris 1646 Waterfordiae a suis Commissariis datum respondit: "Articuli (inquit) Comitis Glamorgani imprimentur, et distributione exemplarium eorundem in singulas corporationes et parochiales ecclesias Regni publicabuntur, et quemadmodum jam ex parte Regis obligant, sic Confaederati Catholici juxta sensum et declarationem Comitiorum Generalium et Commissariorum Instructionum in prosecutionem juramenti associationis pro consideratione liberi exercitii Catholicae religionis insistent ut validi fiant, et confirmentur ii articuli in proximo Parlamento,

et usque ad illud tempus nulla interruptio dabitur illis articulis vel eorum alicui." Haec ibi, praeter quae et alia majoris securitatis additamenta per idem actum oblata fuere, sicut ibidem legere est. Quae omnia licet tanquam minus tuta Clerus populusque rejecerit, satis tamen liquet haud tantam fuisse paci hoc anno 1649 cum Ormonio conclusae securitatem. Ex quibus omnibus concludo pacem ex articulis cum Glamorgano et Ormonio pactis compactam, et anno 1646 proscriptam, hac altera cum Ormonio anno 1649 inita longe fuisse praestantiorum, praesertim cum Ormonius a suis Ormonistis in Proregem intrusus hac ultima vice intensissimo Cleri fautorumque odio flagraret, proindeque ab ipso haud aliud expectandum quam ut ejus atque aliorum haereticorum malis artibus articuli cum ipso pacti paulatim ad nihilum reciderent, quod ille haud alio cohiberetur fraeno quam Ormonistarum suorum fide atque integritate, quae quam constuprata fuerit, anterior experientia satis superque ita demonstraverat, ut ei rerum successus postea secutus plenissime responderit, sicut prudentes futurum judicaverant. Et haec quidem sunt quae circa hujus pacis anno 1649 conclusae articulos ad religionem pertinentes dicenda habui. Quod autem ad alios ejus articulos attinet, notorium est ex eo etiam capite fuisse iniquissimam, cum ab Ormonistis, Ormonio, et aliis haereticis in unum conjurationis corpus coalitis, etiam in Nuncium, | Iberniae Clerum, totoque Regno fautores hostiliter grassantibus inita fuerit in eorundem fautorum depressionem et excidium, usqueadeo ut Eugenium O Nellum ejusque exercitum ex iisdem Cleri fautoribus compactum proscrisperint, et e facie terrae delere conati sint. Porro ex omnibus hactenus dictis patet Ormonistas a se nec pacem, quae anno 1646 proscripta fuerat, resumendam, nec aliam, nisi quae ad Comitiorum Generalium anno 1647 celebratorum decreta, et legatorum anno 1648 peregre profectorum monita quadraret, ineundam, toties anno superiori pollicitos, fidem etiam actis publicis superius collocatis populo datam demum fefellisse, cum nedum a decretis et monitis jam dictis scientes prudentesque palam mundo resilierint, sed et pacem, quam anno 1646 proscriptam fuisse vidimus, mangonizatam, et se ipsa deteriorem intruserint. Patet etiam inducias in hunc perversum finem anno superiori contractas fuisse iniquissimas, et a Nuncio atque Iberniae Clero prudentissime justissimeque prohibitas, proindeque eundem Nuncium et assistentes ipsi Praelatos interpositam a pseudo-Concilio Appellationem jure merito

1756
v

1757

1757

v

tanquam nugatoriam haud admisise, et denique Nuncium ejusque partes eximio zelo et prudentia, Ormonistas vero in tota illa induciarum controversia aliisque exinde natis contestationibus iniquissime processisse, nec minus constat Pontificem Innocentium haud personarum acceptione sed ipsa justitia ductum, rejecta illa frivola Appellatione, totam causam ad Nuncium | per litteras 7 Sept. 1648 a Cardinali Panzirolo scriptas remisisse. Nam sicut Ormonistae inducias illas atque alias innumeratas suae coniunctionis machinas ad hunc perniciosum finem assequendum applicuerunt, ita Nuncius, Iberniae Clerus, fautoresque hanc perversam eorum mentem compertam habuerunt, ob quam praecipue causam ab eorum molitionibus abhorruerunt. Pontifici etiam ante remissam ad Nuncium, modo jam dicto, causam, idem eorum scopus sane malignus satis innotuerat. Nam 1° per superiorum annorum experientiam sibi ex Ibernia sedulo significatam ita Ormonii atque Ormonistarum voluntates degustaverat, ut eodem genio in hac controversia ductos fuisse validissime praesumpserit, nec Nuncio et assistantibus ipsi Praelatis id per litteras et scripta mense Junio 1648 data, et Romae ante remissam ad Nuncium causam recepta sibi significantibus nisi prudentissime fidem habuerit, praesertim re moram non paciente. 2°. Ante natas anno superiore circa armorum cessationem controversias Concilium Supremum duas ad Pontificem et S. Congregationem rebus Ibernicis in Urbe praefectam epistolas 18 Januarii 1648 Kilkenniae datas cum Fernensi et Plunketto scripserant, supplicantes ut iisdem legatis plena fides haberetur. Cleri quoque Congregatio per litteras eodem die et indidem datas Pontificem id ipsum rogarunt. Nec silentio praetereundum eorum, qui litteris illis manus apposuerant, plerosque postea coniunctionis capita nec ultima gessisse. Fernensis autem et Plunkettus Romam appulsi ita legationem exposuerunt, | ut Pontifici partim hac, partim alia via, quid ipsi et legati in Galliam missi in mandatis haberent, quidque anteriora Iberniae Comitia decreverint, satis superque innotuerit, antequam de induciarum, censoriarum et Appellationis controversiis posterius ortis audiisset. Per litteras etiam a Galliarum Nuncio Romanas missas, et per relationes ab ipso Fernensi et Plunketto Romae scriptas porrectasque antea rescivit, quo pacto machinarum una in Ibernia et altera in Galliis adhibita esset, ut ab illis decretis et monitis recederetur, et Ormonio in Iberniam regresso, ejus factio causam Catholicam pessundaret. Qua rerum notitia

1758

per vias adeo evidentes jam imbutus Pontifex causam non nisi suis ponderibus satis librata ad Nuncium mense Septembri 1648 aequissime prudentissimeque remisit, haud dubitans quin Ormonistae nugatoria Appellatione usi sint ut populo fucum facerent, et Ormonium valentius in throno collocarent, sicut de facto eventus docuit. Quid autem nocebit hic subnectere carmina, quae tunc Kilkenniae typis mandata inter multa alia phreneticae laetitiae a partibus Ormonicis palam testatae specimina impius Richardus Blakus, Eques auratus, et pseudo-Comitiorum prolocutor, Ormonio cecinit, vernilis adulator :

"Soteria de Iberniae pace anno 1649 mense Januario inita.

(38) " Quis fuit ille dies, veterum quo saecula patrum

Fleverunt primas arma tulisse manus ? |

Heu ! quam securae peragentibus otia vitae.

1758

Heu quam funestus ? quam gravis ille fuit ?

v

Ille nocens ferrum melioribus abdita saeclis,

Signaque et horrendas protulit ille tubas.

Ilio caeperunt et vis, iraeque dolique,

Et lacrymae matrum, sollicitusque timor.

Crevit in immensum furiosa licentia ferri

Martis et in terris horror ubique fremit.

Infelix Ierna tuis didicisse ruinis

Hoc potes, exitii tristis imago tui.

Musa mihi memora tanto tria Regna tumultu

Brittona quid potuit volvere et usque premit ?

Anglia, Sanctorum mater pia dicta virorum,

Deliciaeque soli, deliciaeque poli.

Hominis est oblitera sui, Regisque Deique,

Opprobriumque soli est, opprobriumque poli est.

Scilicet innocuum rapto diadema Regem

Hei mihi ! Proscripta conjuge carcer habet.

Quid juvat O Reges tanto indulgere sopori ?

Surgite ; verticibus imminet iste dies.

Sceptra cavete dolis populi : jam proximus ardet

Ucalegon ; dubio stat diadema loco.

Hinc Ierna suas jam duxit in arma phalanges,

Et voluit vindicta Principis esse sui.

Nobilitas pro Rege simul vulgusque fidele

Pugnat et adversos territat ense viros.

Cernis ut effuso sparguntur sanguine campi !

Et variat dubias Pallas iniqua vices.

1759

Tecta vorant flammæ, saecli monumenta prioris;
 Quaeque aevum extruxit, destruit una dies. |
 Heu crudele malum, fatoque dolentius omni:
 Pene tua est scopolis obruta Petre ratis.
 Septima, quos potuit, fructus jam protulit aestas,
 Et toties verno Phœbus agebat equos.
 Nec genti pax ulla fuit; bella, horrida bella
 Viderat et populi tristia fata sui.
 Qualiter insolito percurrit compita motu,
 Et furit in medio plebs male sana foro.
 Sic hinc atque illinc saevis male curritur arnis,
 Et consanguinea caede madescit humus.
 Nam pater in Regem, natus pro Rege fidelis
 Certat, et in patrio sanguine laetus ovat.
 Parcite crudeles animæ, jam parcite ferro,
 Cernitis ut celeri pax venit alma pede.
 Jam satis iratum est. Saevas componite mentes
 Et redeat populo, quæ fuit ante, quies.
 Tu quoque maesta diu tandem erige Ibernia vultus.
 Et trepidi longos excute corde metus.
 Vidisti convulsa tuae tabulata carinae
 Pene procellosis obruta tota vadis.
 Jam venti posuere minas, posuere furorem.
 Et cecidit tumidi saevior ira maris.
 Ille tibi Ormonius longo promissus ab aevo,
 Ille erit una tuis ara relicta malis.
 Flos gentis, Regni columen, spes unica Regis,
 Certa salus populi, deliciaeque sui.
 Nempe viro natura dedit, dedit alta parentum
 Nobilitas, animi candor, honoris amor.
 Testis avi pietas magnos imitata Philippos,
 Cum Carolo genitor funeris author erat. |
 Ormonii proles Regi cum bella moveret
 Infelix patrio perdidit ense caput.
 Tam ferus in natum quam Regi fidus inultum
 Indignumque atavis non tulit esse nefas.
 Vive diu tanti soboles animosa parentis
 Et precor ad superum praemia serus eas.
 Tu quoque nobilium quisquis diversa movere
 Bella paras, facili projice tela manu.
 Et gentis miserere tuae, miserere tuorum.
 Hoc fac ut ad titulos culmen honoris eat.

1759

v

Si pugnare libet ; sunt qui per vulnera quaerant
 Praemia militiae sanguinolenta suae.
 Conjunge Ormonio vires. Socia arma reposcit
 Et patriae et Caroli sors miseranda tui.
 Sic vires unire decet. Sic prisca redibit
 Nobiliumque fides, Ormonioque decus."

(39) His assuam D. Edmundi O Meara, Doctoris Medici,
 carmina, quae ille Galviae se tenens Nuncio ibidem porrexit
 non politicum et tepidum Blaki genium, sed animum vere
 Catholicum spirantia :

" *Elegia contra pacem Ormonicam anno 1649 conclusam.*

" Ergone depositas ultro resubire catenas,
 Exclusoque libet reddere colla jugo ?
 Siccine quam caelo et superis promisimus ultro
 Polliciti sanctam stat renovare fidem ?
 Ah bene sacrilego quae pridem extorsimus hosti
 Contemeranda iterum prodere tempa lubet ! |
 Ergo ubi sacra pii resonant oracula Mystae,
 Impia blasphemus sacra Minister aget ? 1760
 Atque ubi Christicolum nunc corda salutifer Agnus
 Haereticos pascet caena profana canes.
 Frustra igitur mensos septenam in sanguine messem
 Septima rorantes sanguine vidi hyems.
 Frustra igitur pulchrae rapuit nos impetus irae
 In certam toties prosiluisse necem.
 Tam cito quis tantum credat tepuisse calorem ?
 Quis tantam in rigidum flammarum abiisse gelu.
 Scilicet armatos aggressi vulgus inerme,
 Expertos belli non bene docta cohors.
 Parvula plebs, imbellis, inops, male provida turba,
 Armorumque expers, militiaeque rudis.
 Albiones terra validos, dominosque profundi,
 Pollentes opibus, navibus, aere, viris.
 Sponte laccessitos (ansa licet impare) adorti,
 Non tamen indecori strinximus arma manu.
 Nondum Limerici saevum suae viscera Castrum
 Praebuerat patulo suffodienda sinu.
 Nondum diruptis subduxerat ora Lupatis
 Galvia, nec rigido subdita colla jugo.

*Deest
aliquid
de Dun-
cania*

1760
v

Petra viris numeroque ferax Manapia portis
 Invidiosa tuis, imperiosa mari.
 Petra minax uno cohibens tria flumina vinclo,
 Flumina tum nostra non adeunda rate.
 Ipse pater dura religatus compede Nereus
 Captivo famulas gurgite flebat aquas. |
 Non tamen infami indecores attendere paci
 Aut segni licuit ponere tela manu.
 Nunc postquam clausi reseravimus ostia ponti,
 Et tua reddidimus jam tibi jura Theti.
 Post tot prostratas armis vetricibus arces,
 Arte simul validas ingenioque loci.
 Postquam Scotorum tumulus, Benborba, propinquas
 Bannonis picto sanguine tinxit aquas.
 Firmanus postquam fatis divinitus actus
 Deseruit Latii rura beata sui.
 Tot per terrarum, per tot discrimina ponti,
 Visuros scopulos tristis Ierna tuos.
 Posset ut afflictis alacer succurrere rebus
 Nostraque munifico damna levare manu.
 Postquam Majestas triplicis veneranda Tyarae
 Suscepit nostri mite patrocinium.
 Nec fuit inter haec tantarum pondera rerum
 Innocui sacro pectore cura minor.
 Pannicus invadit temere praecordia terror.
 Immerito trepidis mensque manusque cadunt.
 Nec pacti violare fidem, nec pacis iniquae
 Faederibus populos implicuisse pudet.
 At non ista patri dedimus promissa Quirino
 Prodegit largas quando benignus opes.
 Longe aliam fovit spem nostri Roma laboris,
 Ac tantae (ut perhibent) aemula laudis erat. |
 Nunc pudibunda fidem, vultu prodente ruborem,
 Tam leviter dictis ante dedit dolet.
 Sed peccasse parum est. Tam diri criminis author
 Ipso suo motus crimine major erit.
 Lingua nefas refugit, fieri quod posse negabat.
 Sed quidnam est fieri quod modo posse neget?
 Luridus astrigero se miscuit Orcus Olympo.
 Obduxit tenebras Styx inamaena polum.
 Scilicet ordo sacer, sors et lectissima Christi
 Turpis Apostasiae portio facta rea est.

1761

Prodidit ipse gregem pastor. Jam sustinet ipse
 In medium Pastor ducere ovile lupum.
 O Patria ! O Divum domus inclyta, et Insula quondam
 Sanctorum haud uno nomine dicta ferax.
 Quae tot in externas fudisti examina gentes
 Florentum meritis et pietate virorum.
 O quam majorum vestigia splendida passu
 Dispare posteritas propudiosa premit.
 O Patria ! O fidei quondam jubar ! Huccine rerum
 Ventum est, ut possit deseruisse fidem.
 Plurima sed clades et longi taedia belli
 Dissidium quovis condere fine jubent.
 Quique animum in populos praefert mentemque benignam,
 Hostis in insidias credula corda trahit.
 Denique fallacis Siren blandissima pacis
 Illecebris miseris pellicit usque suis.
 Ah fugite hinc cives. Herba latet anguis in ista.
 Huic melli nocuum (credite) virus inest. |
 Creditis ingenium vulpem mutasse, datamve
 Quam toties fregit, servet ut ille fidem.
 Summa quidem sapido perfudit nectare labra.
 Impia sed tacito toxica corde latent.
 Rerum ille articulos et commoda tempora captat,
 In sua dum praedam retia blandus agat.
 At semel admisso sub imagine faederis hoste
 (Nam vestri dominus postmodo juris erit)
 Intus erit fatalis equus, vestrumque maligna
 Multus in exitium praeditus arte Sinon.
 Laacon nostro id denunciat ore, nec ipsi
 Fatidico tripodes certius ore canant."

1761

v

*Ormon-
ium
intelligit.*

(40) Nuncius tot licet tantisque curis obrutus, huic tamen
 Elegeiae ab Edmundo acceptae accinuit sequenti Epigrammate :

" O quicumque Elegis ploras lacrymabile tempus
 Et patriae damnas tempora iniqua tuae.
 Salve ac vive diu. Non te blandissima Siren
 Decipit; ambiguae sed neque pacis erit.
 Non tibi vulgus iners, fictae aut versutia mentis
 Transversim pectus abripit impavidum.
 Vera canis. Justo jam stridet Ibernia luctu,
 Heu nimium in veteres jam revoluta dies !

1762

Quid precor eductus toties ah profuit ensis !
 Quid sacer asperus lata per arva cruar ! |
 Scilicet ut partam Hesperiis a finibus usque
 Famam una obscuret, tollat et una dies.
 Stringens infelix. Placida hinc sub nube venenum
 Porrigit Ormonica falsa Megaera manu.
 Illinc Calvinus, pestisque Britannica caelum
 Inficere ac fontes caepit Ierna tuos.
 Quid facies convulsa ? Simul cum patre ab utraque
 Incidit in miserum saeva ruina dolum.
 At tu qui vatis praeclaro munere functus
 Certa secuturo tempore damna vides.
 Religio proprium merito te dicet alumnum.
 Quodque optas, tellus si neget, astra dabunt."

(41) Ad hoc Nuncii Epigramma respondit Edmundus altero,
 quod habe ex autographo :

" Ad Illustrissimum et Reverendissimum D. Joannem
 Baptisam Rinuccinum, Archiepiscopum et Principem
 Firmanum et in Regno Iberniae Nuncium Apostolicum
 extraordinarium.

" Epigramma.

1762
v

" Pierii lux alma chori, lux alma Tiarae,
 Cui religat sacras utraque vitta comas.
 Quem penes arcanos animi deponere sensus
 Mens Latii rectrix orbis et urbis amat. |
 Esse quid hoc dicam ? Tenuis quod tanta cicutae
 Dignetur modulis accinuisse tuba ?
 Quid quod in exhaustum faecundi gurgitis uber
 Fontis ad exigui murmura sponte fluat ?
 Sopitamne rudis mea movit arundo camaenam ?
 Quaeque mihi sterilis, fertilis illa tibi est ?
 Sic equidem res est. Parili sic aspera ritu
 Eos acuit ferrum, nec tu ipsa secat.
 Abstrusum in venis silicis elicit ignem,
 Excitat et flamمام, qua caret ipse, chalybs.
 Non sibi, sed Domino, rutili sic dona metalli
 Et terra promit divite fossor inops.

Ista Musa tamen placeat sibi rustica laude
 Quod numeris ansam praebuit illa tuis.
 Queis quum natales dederit, quantumlibet impar,
 Dicetur tali prole beata parens.

Sacras suas manus humillime osculabundus scripsit
 Edmundus Meara M.D."

(42) Nuncius tradit duos Archiepiscopos, Cassiliensem et Tuamensem in plenis pseudo-Comitiis omnium nomine Ormonium excelso throno elevatum rogasse ut pacis instrumentum confirmaret, deindeque confirmato instrumento et pace publicata omnes solemni supplicatione ad aedem S. Mariae Kilkenniensem progressos ibi decantasse hymnum *Te Deum Laudamus*, etc. Ormonio autem a Comitiis in Proregem | admisso, duodecim assessoribus Catholicis ipsi tanquam in Consiliarios usque ad promissum Parlamentum, quo pacis articuli majore autoritate confirmandi essent, quodque (ut videbimus) non nisi ad Kalendas Graecas convocatum fuit, assignatis, Confaederatio Catholica cum ejus regimine ad annum 1642 stabilito, exindeque hactenus multis bonis legibus roborato dissoluta hunc habuit periodum luctuosissimum, substituto in locum regimine ex Ormonistis et haereticis mixto, ut demum haeretici (sicut videbimus) paulatim praevaluerint, et Catholicos ad nihilum redegerint. Porro assumpti fuere in secundarios assessores duo Praelati Tuamensis et Fernensis, sed Ormonio adeo suam haeresim venerabundo ut nunquam consenserit, nisi ea lege ut inter subscribendum actis publicis nec ille suaे Archiepiscopal, nec hic Episcopal dignitatis mentionem faceret. Cumque Ormonius et Ormonistae metuerent, ne pacis articuli, si in lucem ederentur, in medio positi suam iniquitatem proderent, eamque ob causam potior Catholicorum pars cum Nuncio et Clero ipsi adhaerente, nec non cum Eugenio O Nello ejusque exercitu in tantae prodigionis authores insurgerent, excogitatum fuit remedium optimum, nempe ut edicto publico omnibus palam fieret pacem fuisse conclusam, sed ejus articuli non publicarentur, cumque timeretur ne hoc altissimum articulorum silentium eorum iniquitatem tacite demonstraret, et populus ideo se celatos fuisse argumentaretur, Ormonistae | cum suo Ormonio atque aliis haereticis hoc incommodum declararunt, usi Praelatoruni, qui Kilkenniae tunc essent, testimonio ipsa Januarii die 17, qua pax terminis

Diar.
ad. 20
Januar.
1649.

1763

1763
v

generalibus promulgata fuit, dato ut nemo praefatae suspicioni locum preberet. Illud pudendum Praelatorum actum ab ipsis Anglice scriptum hic Latine sequitur :

*"Proceribus, Equitibus, Nobilibus, et aliis indigenis
Comitatus et urbis Galviensis.*

" Domini.

(43) " Sicut bellum principaliter pro religione susceptum nobis toto mundo populi Catholici famam conciliavit, ita pax nunc inter Proregem et Romano-Catholicos conclusa docebit nos fidissimam esse nationem, cum suae Majestati inter summas ejus angustias adhaereamus. Nam licet durante hoc bello septenni nec cogitationibus nec actionibus ab hocce unquam obsequio deflexerimus, et ad id praestandum saepius nosmet ipsos juramento publico obstrinxerimus, nihilominus multorum suspicionem subivimus. Praesenti autem conventione omnis id genus nota evanuit. Arbitramur nostram de hac pace sententiam effecturam ut animo seculo eam admittatis, eidemque libenter et alacriter morem geratis. In quem finem per praesentes certificamus nobis per hanc pacem tam conditionibus re ipsa pacis quam ulteriorum gratiarum et favorum a suae Majestatis clementia assequendorum expectatione bene factum esse satis, non solum quoad religionis substantiam, sed etiam securitatem, adeo ut articuli ad religionem pertinentes sint meliores quam sonent. Per articulos temporales hominum vitis, praerogativis, et fortunis bene prospectum est. Quare jam causam ab omni suspicionis cogitatu et quantulocumque ejus colore liberam sustinetis. Etenim pure in hostes sectarios pro Deo et Caesare dimicatis, et sub his vexillis constanter nobis sperandum est futurum ut triumphum reportetis. Ex animo precamur ut cum gaudio multaque felicitate virentem hanc prospere pacis laurum gestetis, et sic finem facimus.

Kilkenniae 17 Januarii 1649.

Vestri in Jesu Christo Patres et servi.

Thomas Cassiliensis. Joannes Archiepiscopus Tuamensis.

Thomas Midensis. David Ossoriensis. Fr. Patricius

Waterfordiensis et Lismorensis. Franciscus Aladensis.

Edmundus Limericensis. Nicolaus Fernensis. Fr. Hugo

Duacensis. Fr. Oliverus Dromorensis. Andreas

Finiborensis."

(44) Licet Episcopus Ardachadensis pseudo-Comitiis interfuerit, et in hac iniqua pace intrudenda haud ultimas partes egerit, eum tamen huic acto manum apposuisse non video. Qui cum his omnibus (excepto Ossoriensi, Midensi, et Duacensi) cumque aliis Regni Praelatis, dum Comitia Generalia ad exeuntem annum 1647 Kilkenniae celebrarentur, per actum suo loco superius positum protestati erant se nunquam consensuros in quosdam articulos ibi contentos, *licet contingenter eos per majorem partem votorum in Assemblea congregatorum fieri ac declarari.* Contra quam protestationem haereticus in Proregem hoc anno admissus | est, plurimaque alia contra eandem introducta, Praelatis qui Comitiis interessent strenue cooperantibus. Respondebunt (credo) se in illis Comitiis anni 1649 fidem liberasse, nec protestatione illa se fuisse obligatos ad insistendum pollicitationi, nisi in illis ipsissimis Comitiis, nunc autem mutatis circumstantiis se ex prudentia mutasse sententiam. Verum observo ipsos non solum ibi protestatos fuisse se nunquam consensuros in illos articulos, sed etiam cum aliis Regni Praelatis, nedum Nuncio, procurasse ut protestationis succus et substantia paucis deinde diebus interjectis cum aliis maximi momenti articulis in Comitiorum jam dictorum decreta, et legatorum anno 1648 peregre profectorum monita transfusa fuerit, et cum aliis Confaederatis jurasse (quod faederis juramentum commune ab Ossoriensi quoque et Midensi susceptum fuisse vix dubitandum est) se totis viribus eorundem decretorum et monitorum executioni instituros, a qua tamen per induciarum deinde conjurationem, legationum frustrationem, Ormonii revocationem, pseudo-Comitiorum conspirationem, et infinitas alias his annexas machinationes, ac demum per hanc anno 1649 conclusam pacem articulis ex diametro oppositis constantem Ormonistas studiose recepisse adeo notorium est, ut probationis non egeat. Itaque ex Praelatis, qui in hac pace concludenda strenuam operam collocarunt, octo, nempe Tuamensis, Midensis, Ossoriensis, Aladensis, Limericensis, Dromorensis, Finiborensis, et Ardaghadensis, quo pacto fidem suam liberarint non video, cum inter induciarum conjurationem, per quam ad iniquam pacem itum erat, reliquaque hujus pacis intrudendae machinas suis partibus palam defuerint, usqueadeo ut ipsis pene ante alias omnes vitio vertendum, quod causa Catholica corruerit, cum fidem habeat Ormonistas alias nunquam fuisse praevalituros, | nisi hi antistites ingenti scandalo populum seduxissent. Ad Duacensem quod

1764
v

1765

attinet, paulo ante ex Hispania Waterfordiam advectus, et pridie quam subscrispsit, Kilkenniam appulerat, qui postea in epistola Londino Romam ad Massarium 17 Novembris 1653 scribens: "Alio (inquit) meam innocentiam aemuli impetunt telo. Paci enim cum Ormonio initae aiunt me adhaesisse. Advertant quaeso injuriarum et criminum mihi concinarum artifices. Pax illa fuit conclusa ante quam ego Ibernam attigeram. Publicata etiam fuit postridie quam Kilkenniam adveneram. Comitia Regni tum ibi sedebant. De summa rerum consultabant. Regno necessariam illam pacem ad unum judicarunt. Ejus auspiciis omnes jubilabant. Ora- bant. Eam religioni et Reipublicae unice commodam omnes dicebant. Quid ego facerem? rem factam, infectam? Et quis ego qui me paci a Comitiis Regni unanimiter conclusae opponerem? Si mea solius in tanto procerum, Praelatorum, nobilium, civilium legatorum multitudine resonaret querimonia paci obstrepens, bellum repetens, quo quaeso id fieret bono? Publico? Non mihi tantae facundiae eloquium vel ipsi Demos- theni, quod hoc Comitiis et Regno suaderet." Sic Duacensis, qui non Regni, sed Ormonistarum Comitia nuncupasset. Porro paucis ibi interjectis: "Sed (inquit) nec ipsum Nuncium paci ad- versatum mihi serio inquirenti innotescere potuit. Sancte enim affirmo quod cum Kilkennia Galviam tum profectus, unice ut eum inviserem, consilia conferrem, et tenuitatis meae offerrem obse- quia, ab eo petiissem quid de pace sentiret, quid me vellet facere de ea amplectenda vel respuenda, addens paratum mihi animum ejus mandatis obsequi modo judicaret non utilem religioni. Re- spondit se paci non intercedere vel de ea amplius curare." Haec Duacensis, qui addidisset quod ex industria siluisse videatur, nempe se per actum illud die 17 Januarii, qua pax promulgata erat, a se et decem aliis Praelatis datum Kilkenniae pacem suo calculo muniisse, nec nisi postea Nuncium consuluisse, Nuncium quoque (quod mihi constat) paci non intercessisse, quod jam suas partes egisset, sed ipso generosissime reluctantate | pax conclusa est.

1765

v

(45) Ad Fernensem transeo, qui postea in sua Apologia anno 1653 Romae porrecta ingenium torsit ut se de conatu ad contrahendam hanc pacem adhibito S. Congregationi purgaret, affirmans, inter multa alia ibi legenda, vel se invito fuisse ineundam, seque illam secundasse, tanquam malum minus altero secus nascituro. Sed de Fernensi superius satis dixi, et de ipso plura inferius dicenda restant. Quinetiam ex ipsissima

sua Apologia satis liquet eum saltem in prudentiam graviter peccasse, et pacem illam fuisse iniquissimam. Quod ad Cassiliensem et Waterfordiensem attinet, ambobus illa Fernensis ratio plusquam ipsi Fernensi patrocinatur, cum non solum induciarum, per quas ad pacem illam itum erat, culpa, ut ille, vacaverint, sed etiam, supra quam ille, praesentes in inducias atque alias ipsis annexas machinationes insurrexerint, nec aliorum multorum consciit fuerint, quae ille (sicut superius ostensum est) modo ipsius proprio molitus est, ut Romae, et in Ibernia Nuncio atque ejus partibus praejudicaret, et pacem illam maturaret. Verum licet hos duos a sua conscientiae dictatis haud aberrasse censendum sit de facto, tamen suas partes egisse non videntur, quod demum factioni, quam ad haereticos turpissime defecisse non dubitassent, et a qua vix aliud praeter quam Ecclesiae Ibernicae ruinam expectassent, sub majoris mali declinandi praetextu cohaeserint, nec potius cum Nuncio longeque majore Praelatorum ab eo stantium numero et cum saniori frequentiorique alterius Cleri parte in sententiam perstiterint nunquam approbandi pacem ab Ormonio et Ormonistis intrudendam. Denique licet Cassiliensi, Waterfordensi, Fernensi, et Duacensi concederemus quod Fernensis sibi in scutum prae tendit, nempe pacem vel invitis ipsis | fuisse intrudendam, seque illam secundasse tanquam malum minus alio secus nascituro. Hoc tamen haud aliud probaret quam ipsos in secundanda pace mala non deliquesse, tantumque abest ut inde sequatur pacem in se fuisse aequam et bonam, ut etiam iniquissimam et iniquissime intrusam esse validissime demonstret. “Non latuerunt (inquit Fernensis) nos omnino perversorum dolus et articia, sed mala, quae non potuimus curare, patienter pertulimus, pacem tanquam minus malum permittendo, cum penes nos non erat illam evitare.” Haec ille in sua jam dicta Apologia. Quorsum ergo ipse atque alii decem Praelati in praefato acto 17 Januarii 1649 dato Ormonii et aliorum Ormonistarum iniquos pacis articulos populum celantium fraudibus patrocinati sunt, et universo Regno fucum fecerunt: “Arbitramur (inquiunt) nostram de hac pace sententiam effecturam ut animo seculo eam admittatis, eidemque libenter et alacriter morem geratis. In quem finem per praesentes certificamus, nobis per hanc pacem tam conditionibus re ipsa pacis quam ulteriorum gratiarum et favorum a sua Majestatis clementia assequendorum expectatione bene factum esse satis, non solum quoad religionis substantiam, sed etiam securitatem, adeo ut articuli ad religion-

em pertinentes sint meliores quam sonent." Haec illi, ubi
 observo ipsos non testari pacis articulos fuisse absolute bonos,
 sed sibi *bene factum esse satis*, quod contenti essent conditionibus
 malis *non solum quoad religionis substantiam, sed etiam securi-*
1766
atem. Porro Waterfordiensis speravit futurum | ut suae diaecesis
 v proventus in ejus constantiae inter induciarum controversias
 anno superiori natas demonstratae paenam proscriptos ex hujus
 pacis articulis recuperaret. Qua spe usque ad finitam tragaeidam
 inescatus erat, sed demum post paucas hebdomadas a promul-
 gata pace ita frustratus, ut Ministelli haeretici justo Dei judicio
 in illius diaecesis proventus ecclesiasticos et praedia ad Clerum
 saecularem pertinentia involaverint, tanquam subnixi ipsissimae
 pacis articulis ad eorum genium explicatis, et ex eorum voto
 ibi executioni violenter mandatis, perinde ac in trium aliorum
 vicinorum Episcoporum Corcagiensis, Rossensis, et Ardfeart-
 tensis diaecesisbus, quorum Corcagiensis, paulo antea a Nuncio
 in suam Momoniam ex Conacia digressus suo et (credo) Rossensis
 nomine ei epistolam scripsit, quam ex autographo Latino
 subjungo :

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(46) " Ex quo ad hanc Provinciam veni, nihil auribus vestris
 dignum occurrit, praeter publicam et solemnem pacis procla-
 mationem, in qua omnes Illustrissimae Dominationi vestrae
 hactenus adhaerentes omni favore ac securitate sunt exclusi.
 Episcopatus Corcagiensis, Cluanensis, et Rossensis usque ad
 futurum Parlamentum haereticorum dispositioni relinquuntur
 per dictae pacis articulos, et (quod magis dolendum est) hoc de
 consilio et approbatione Praelatorum in Assemblea assistentium.
 et ut suas redimerent vexationes, nos venales fecerunt, neque
1767
 ex articulis pacis colligi potest, nos in nostris | diaecesisbus tute
 vivere posse. Omnia beneficia, decimae, et emolumenta in
 usum *Protestantium* Ministellorum quiete reservantur. His
 miseriis mature consideratis obnixe rogamus Dominationem
 vestram Illustrissimam quatenus curam nostri, data occasione,
 habere dignetur, et Illustrissimae Dominationis vestrae manus
 humillime osculatur

Illustrissimae Dominationis Vestrae filius et servus,

Robertus Corcagiensis et Cluanensis

Waterfordiae,

29 Januarii 1649.

(47) "Humiliter ante pedes Dominationis vestrae prostrati rogamus ut, si ex hoc Regno discessura (ut fertur brevi fore), nos tempestive moneat, ut in ipsa navi manus vestras deosculemur, et suam benedictionem recipiamus." Haec ille.

(48) Pacis articuli populum celabantur etiam cum hanc epistolam scripsit Corcagiensis, qui propterea quicquid significavit, aliorum (credo) relatione non articulorum lectione rесciverat. Interea Episcopus Fernensis Nuncio scripsit his verbis a recto haud parum deviantibus :

"Illustrissime Domine.

(49) "Conabor quamprimum deosculari sacras manus Illustrissimae Dominationis vestrae, sicuti ardenter optavi. Nunc paulisper abesse licebit, quia tractatus pacis perductus est ad exitum religione atque pietate haud indignum. Temporales vero articuli irreprehensibles sunt, quippe vitis, libertatibus, et fortunis Ibernorum securi. Aspirabant, anhelabantque ad hanc conventionem plurimi variis argumentis adducti. D. Plunkettum et me (ita nos amet Deus) permovit ingens timor unionis inter Confaederatos Catholicos penitus extinguendae delendaeque. Cogitare | incipio *quam esset res per universam Christianitatem gloriosa, si eam sua consensione vestra Dominatio Illustrissima approbaret.* Sed quod negat Dominus non concedet Minister. Non possum satis maerorem meum afferre cum mente recolam Dominationem vestram Illustrissimam exeuntem ab hoc populo sine animi tui satisfactione. Non tamen interibunt sine praemio tot itinera, vigiliae, labores, pericula exantlata. Utinam ego Jonas essem in mare projiciendus, ut Ibernia universa esset restitura in pristinam amicitiam D. vestrae Illustrissimae. Tristis haec dico, quia quid mali huic genti evenire potest praesagio. Faxit Deus ego falsus inveniar, sed invident nobis (id valde timeo) eam gloriam astra nubila et infaelicia. Sperare tamen non desinam, sicut nec veraciter laborare et Deum orare, ut populo Ibernico det gratiam concordandi cum Dominatione vestra Illustrissima. Reputamus loco magni infortunii Dominus Plunket et ego quod officiis et diligentias sincerissimis procurare nequeamus amicitiam et pristinam concordiam inter partes. Attamen sua Dominatio Illustrissima bonam nostram voluntatem acceptabit. Absens perquam reverenter salutat Dominationem vestram Illustrissimam Dominus Plunket, qui verus est et sincerus servus Dominationis vestrae Illustrissimae,

1767

v

Nota
impia
suggesti-
onem.

paratus in quavis re suum servitium praestare, sicut in omnibus
rebus ex corde servire studet

Kilkenniae

19 Januarii 1649.

Dominationis vestrae Illustrissimae,

Addictissimus servus,

Nicolaus Fernensis." |

- 1768 (50) Quam multa absurdia hae litterae paucis complectuntur, quae breviter redarguo. 1°, eum nullo modo Nuncium invisere voluisse ex multis argumentis colligendum videtur. 2°. Ecclesiasticos et temporales pacis articulos iniquissimos fuisse superiorius ostendimus, et ex ipsius Apologia Romae 1653 tradita satis constat. 3°. Non alios ad illam pacem quam Ormonistas vel haereticos aspirasse vidimus. 4°. Ormonistae anno superiori Catholicorum unionem dissuerant et haereticis coaluerant, ut ad pacem illam contrahendam sibi viam munirent, illaque demum pace conjurationem eandem magis strinxerunt. Ergo Fernensis et Plunkettus unionem potius inter duas Catholicorum partes resarciendam, et Ormonistas ab haereticorum societate avocandos, nec defectionem Ormonistarum firmiori iniquae pacis sigillo roborandam curassent. 5°. Quantopere ineptit cupiens ut Nuncius illam pacem approbet. 6°. Operе Nunciī adversarium infensissimum egit, et hic vernilibus blanditiis contrarium profitetur. 7°. Quid mali Ibernis ex hac rerum mutatione eventurum sit praesagiit, et tamen caeptis non destitit, sed in ea mutatione promovenda multus fuit. 8°. Non partium concordiam sed majus dissidium ipse et Plunkettus procurarunt, cum id cum aliis egerint, quo factum, ut Ormonius, aliquie haeretici et Ormonistae voti, nempe iniquissimae pacis compotes evaserint, Clero, Clerique fautoribus toto Regno depressis, in ordinem redactis, spoliatis, proscriptis citra ullam remedii expectationem. Ex quibus Eugenius O Nellus, ejusque exercitus, ab Ormonistis ad se Ormonio submittendos invitati, cum se Ormonistarum atque haereticorum viribus longe inferiores esse vidissent, demum ad haec pseudo-Comitia allegarunt, qui de sua suorumque causa cum eodem Ormonio et Ormonistis agerent. Inter legatos ab Eugenio missos fuisse comperio Richardum Butlerum, ipsi Ormonio contribulem juxta ac amitinum, Vicecomitis Ikiriniaе filium, juvenem generis quidem splendore nobilissimum, sed educationis, comitatis, et virtutum laude, praesertim animi magnitudine et rei Catholicae zelo longe nobiliorem, qui inter has patriae pertur-

v

bationes carni et sanguini nuntium remisit, et Nuncio atque Eugenio O Nello tam constanter adhaesit quam qui maxime, ut Ecclesiae causam propugnaret. Verum Kilkenniae inter obeundam legationem hoc anno 1649 mense Januario pustulis laborare caepit, et morbi die 4a expiravit, quem Nuncius *maximae expectationis juvenem* fuisse tradit. Defuncto pseudo-Comitia honorificentissime parentarunt. Reliqui ab Eugenio ejusque exercitu et Provincia Ultonensi Kilkenniam una missi, re infecta, remearunt, quod iniquissimis ab Ormonio et illo consensu oblatis conditionibus subscribere noluerint. Quo viso Eugenius cum citra copias se suosque defendere nequiret, nec alias ipsi suppeteret unde exercitum sustentaret, suis militibus permisit ut Ormonistas, praesertim in Midia et Lagenia positos, miserandum in modum diriperent, tanquam malorum sibi suisque illatorum maxime conscos. Idemque cum aliis suarum partium Ultoniensium primoribus partim ecclesiasticis partim laicis scripsit ad Nuncium his verbis, quae ex autographo in medium in medium produco :

Diar.
ad 20
Januarii
1649.

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(51) " Quantum hactenus laboraverit una Provincia in | causa religionis Catholicae tuenda, quantasque difficultates sustinuerit ac sustineat, non ignorat vestra Illustrissima Dominatio ? Utinam rerum eventus acta probaret. Certe eadem studia et effectus in praedicta causa etiamnum prosequimur, abhorrentes quidquam quod tendat in Ecclesiae Catholicae praejudicium. Et vero pax Kilkenniae conclusa est, et a reliquis hujus Regni Provinciis ibidem per suos respective Commissarios accepta ac publicata, inde transmittenda in easdem Provincias ulterius acceptanda, executionique mandanda. Propterea nos nolentes quidquam ea in re aliave ejusdem conditionis facere, nisi de consensu Illustrissimae vestrae Dominationis, destinamus ad suam *Gratiam* latorem praesentium, D. Nicolaum Bern, ut exponat praesentem nostrum statum, et nobis deferat suae *Gratiae* opinionem, bonamque veniam ineundi aliquam viam (qua securitati hujus Provinciae prospicere valeamus) et benedictionem. Praefatus lator exponet fusius hoc compendium nostrae intentionis, eique ut fidem adhibere dignetur, ejusque ad nos redditui prospere consulere, enixe rogamus. Illustrissimae et Reverendissimae suae Dominationis manus devotissime deosculamur.

1769

Apud Terbart,
Kalendis Feb. 1649.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
Addictissimi servi :
Emerus Clogherensis. Fr. Arthurus Dunensis et
Connerensis. Ouen O Neill. Philip O Relly. Torlogh
O Boyl." |

1769 (52) Quis praeterea fuerit hujus legationis scopus, mihi
v non liquet ? Conjectare tamen licet Eugenium per praefatum
D. Nicolaum Bernum, sibi fidissimum et sui exercitus Vicarium
generalem, cum Nuncio egisse de aliqua ineunda via qua bellum
innovaret, idque juxta Ormonistis et haereticis indiceret, quo
causam Catholicam in throno collocaret. Verum Nuncius,
non plus quam Eugenius, re numaria, quae belli nervus est,
abundabat, nec pares illi consilio a Pontifice Innocentio, nec
ab alio Principe Christiano suppetias, stante Catholicorum tunc
discordia, suppeditandas sperabat. Invenio tamen his angustiis
non obstantibus Eugenium semper a Nuncii, dum in Ibernia
versaretur, nutu ita pependisse, et Nuncium ab omni cum
rebellibus Angliae Parliamentariis ineunda conventione adeo
abhorruisse, ut interea temporis Eugenium a coalescendo iisdem
sicariis, qui prece et pretio ejus animum sollicitabant, continuerit,
nec tamen unquam author fuerit, ut Ormonio et Ormonistis
se submitteret, sperans forsan futurum ut ambae Catholicorum
partes Ormonii atque haereticorum Ormonio adhaerentium
regimen pertaesae intra aliquot menses priorem confaederationem
redintegrarent, et Ormonii jugum excuterent.

1770 (53) Inter haec, Comitiis absolutis, pax illa solemni ritu in
Faederatorum urbibus, oppidis, et praesidiis promulgata fuit,
exceptis iis quae in Lagenia penes Eugenium essent, et Galvia.
In illis enim nullo modo, in hac autem urbe pacem quidem 3°
Februarii publicatam | fuisse reperio, sed absque solemni
Cleri supplicatione alibi locorum inter promulgationem celeb-
rata.

(54) Diximus O Sullevanum Bearrensem, suae in Ibernia
Dunboiae, quam Angli *Beerhaven* vocant, Comitem, ad anni
1648 et anni 1649 confinium in Iberniam ex Hispania appulisse,
legatum a Rege Catholico Philippo 4° ad Iberniae Confaederatos
destinatum, qui post appulsum Nuncio 3 Januarii scripsit
Hispanice hanc epistolam :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(55) " Meo ex Hispania appulsu in hoc Regnum summopere

laetatus sum, quod Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculari decrevissem. Verum id per tempora turbulentia non licuit, quod moleste admodum fero. Desidero tamen hisce litteris defectum supplere, et suam obtinere benedictionem, rogans ut Illustrissima Dominatio vestra me de sua optima valetudine certiores reddere, et meam operam in res ad sui obsequium spectantes impendere dignetur. Siquidem magni favoris loco ponam, ut Illustrissima Dominatio vestra meam in multis occasionibus voluntatem experiatur, cum ad id curandum teneor, non solum quod Illustrissimae Dominationi vestrae ob magnam sui notitiam mihi a D. Nuncio Hispaniarum relatam haud mediocriter addictus sim, sed etiam quod ministerium geram suae Majestatis Catholicae, in quam innotuit Illustrissimam Dominationem vestram studio et affectione ferri adeo benevolia, sicut tot experimenta manifestant. Itaque cum ob tot titulos meum sit Illustrissimae Dominationis vestrae mandatis obtemperare, | maximopere cupio, ut me non teneat otiosum. Inclusa hic epistola scripta erat ab Hispaniae Nuncio valde studioso Illustrissimae Dominationis vestrae, cui supplico ut, cum virorum et mulierum mihi assistentium familia sint omnes Hispani, nec in hoc Regno sint confessarii, qui linguam Castilianam intelligent, dignetur Illustrissima Dominatio vestra D. Matheo *di Casares*, Licentiato, apud Canarias nato, qui Madrito in meum Capellatum venit, paenitentiae sacramenti per totum hoc Regnum ministrandi et Missae in domo privata celebranda potestatem facere, tum ob illam quam proposui difficultatem, tum quod sit Religiosus bona vita et morum probitate, nec non litteratus, tametsi nondum plusquam trigesimum aetatis annum transegerit. Et cum ex Hispania accesserit, proindeque hujus Regni abstinentiis non assueverit, et haec causa, acris quoque et ciborum mutatio non nullum sanitati detrimentum inferre valeant, Illustrissimam Dominationem vestram humiliter obsecro ut nobis quantum visum fuerit indulgere non gravetur, consideratis magnis angustiis, quibus quotquot sumus ex hac familia omnes implicamur, ut destituti favoribus, qui in Hispania per sanctae *Cruciatae* Bullam participantur. Quare Illustrissimae Dominationi vestrae supplico ut, quantum ipsi sua clementia et affectus pastoribus permittit, nobis faveat, unaque Illustrissima Dominatio vestra, quod prima ipsam salutandi occasio tot includat instantias, det veniam, cum id qua vellem frequentia praestandi difficultas huic rei ansam praebeat. Deus Opt. Max. Illustrissimam |

1770
v

1771 Dominationem vestram, sicut hujus Regni Catholicis opus est,
in multos annos conservet. Waterfordia 3 Januarii 1649.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae
manus deosculor.

Comes de Beerhaven."

(56) Quid Nuncius ad hanc epistolam responderit, me latet? Notatu autem dignum est (quod mecum saepius mente revolvi) quantopere antiqui Iberniae caelites in ea Insula severas jejunandi et carnibus, etiam feria 4a, perpetuo abstinenti leges stabilierint alienigenis in Iberniam subinde appulsis adeo graves ut laxioribus suarum nationum ritibus assueti, praesertim Angli, qui prae omnibus aliis exteris in eam Insulam inundarunt, illum ibi sanctum macerandae carnis rigorem haud mediocriter remiserint non modo haeretici ex Anglia advecti, sed etiam ipsi inde transmissi Catholici vel haereticorum indidem transmissorum filii, atque alii eorum posteri, qui in Ibernia fidei Catholicae nomen dederint. Quibus addo haud fidei parum ad restinguenda haec antiquae sanctitatis vestigia contulisse omni tempore ipsos Iberos tam ecclesiasticos quam laicos in Hispaniam, Galliam, Flandriam, Germaniam, Italiam, aliasque continentis regiones identidem digressos, deindeque domum regressos, sed minus stricta jejunandi vel carnibus abstinenti consuetudine apud exteris nationes inolita jam imbutos. Quod etiam in hoc satrapa Iberno 40 | amplius annos apud Regis v Catholici aulam et alibi in Hispania exuli, atque interea a puerulo prope in Hispanum transformato experientia docet. Utinam abjectis novis corruptelis insisteremus, etiam in hoc, sanctissimis antiquorum Iberniae Divorum vestigiis, cum valde timendum sit ne recentiore Iberniae Clero per humanam sapientiam partim procurante, partim connivente, haec severae abstinentiae et rigidioris jejunii introducta relaxatio supremum numen graviter offenderit, et toti nationi etiam in spiritualibus flagella promeruerit. Sed pergamus.

(57) Praefatum Regis Catholici legatum rem numariam, quam sexaginta vel septuaginta librarum sterlingarum millia fuisse non nulli tradunt, Philippi 4 nomine Confaederatis in subsidium distribuendam secum in Iberniam transportasse ferunt. Sed fidem habet eum in mandatis habuisse ne suppetias elargiretur, nisi certo casu et conditionibus, de quarum tunc spe eum decidisse liquet, pace paucis post ejus appulsum diebus promulgata, Ormonio in Proregem admisso, Confaederatione Catholica dissuta, et denique Catholicis inter se discordantibus, ut Eugenii

O Nelli exercitus, qui multo magis quam altera pars Regi Catholico studeret, longe esset debilior. Nonnusquam tamen mihi occurrit D. Mac-Mauritium, quem Robertum Mac-Mauritium, Thomae, nobilissimi et ter Catholici Lixnaviae Baronis filium fuisse parum dubito, ab Eugenio, cui in his belli civilis incendiis ab aliquot mensibus adhaeserat, | ex Ultonia in Momoniam sub ementita specie destinatum, ejus ac partium ab ipso stantium nomine instanter rogasse Comitem, ut ipsis in fidei progressum pecuniam elargiretur, oblatis nescio quibus conditionibus, sed Comitem renuisse. Tradit etiam Nuncius Ormonium duas eidem Comiti legiones ex Ibernia in Hispaniam transmissas decrevisse, ut eum pecuniis emungeret. Verum ille ita milites praesertim sub Christophoro O Brieno, Insequinnii fratre, sed Catholico, in Hispaniam praemisit, ut ipse, auditio Ormonium ejus pecuniis insidiari, et perpenso in Regis Catholici mentem apud Ibernam proficiendi jam dilapsam fuisse occasionem, conclamat ex improviso vasis cum uxore Hispanica, comitatu, pecunia, rebusque omnibus navem concenderit, et demum in Hispaniam remigrarit.

1772

(58) Pace in Regni partibus Ormonio morem gerentibus stabilita, Clanricardius Kilkennia in suam Conaciam rediit, ubi ex suo Augustali Loghreaghensi ad Nuncium scripsit Galviam his verbis :

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

" A multis nobis suggeritur plurium gregariorum numerum in hac Provincia se coadunasse, et indies magis ac magis coadunare, patriaeque devastationem ac ruinam moliri, ut de factores gestae testantur, a quibus, si non brevi compellantur desistere, in irreparabile subditorum proveniet damnum. Requisiti autem in qua potestate praefata patravere facinora? jussu et imperio D. Eugenii O Neill vestraque ratihabitatione facta et hactenus facienda se fecisse gloriari non erubescunt. Quod quam | alienum ab utroque reproto, et praesertim a sancta vestra professione. Eatenuis obnixe rogo Dominationem vestram Illustrissimam (ut famae vestrae *denigraturae* et damno Reipublicae quantocytus subveniam, injunctique officii munus debite exequar, aliisque in hac parte satisfaciā) ut non dedignetur aliquo instrumento sub sua manu exarato se a consimili calumnia purgare, illudque cum harum latoribus, D. Theobaldo de Burgo et D. Joanne Broune, quos pro nobis

1772

v

alias
*denigrati-
oni*

deputamus, et quibus in omnibus fidem adhiberi volumus, ad eum mittatis qui, post manuum deosculationem, est

Dominationis Vestrae Illustrissimae

Humilis servus

Clanricarde.

Loghreagh,

19 Februarii, 1649.

(59) Ad hanc Clanricardii epistolam respondens Nuncius: " Tam (inquit) saepe voce ac litteris meis declaravi nunquam me ullis militibus sive autoritatem sive directionem dedisse, ac novissime D. Doctori Fallono tam aperte rescripsi, ut superfluum plane videatur idem repetere. Si tamen contra hos praedones et vagos nova declaratione opus est, nulla major esse potest quam haec epistola, quae ad manus Dominationis vestrae Illustrissimae debet pervenire. Certe ego etiam in hac re famam meam apud Deum et sapientes securam tenebo. Nam si ex mendaciis talium hominum, qui nihil scripto ostendunt, debeat perclitari fama, nullus mortalium, neque etiam | Summi Principes poterunt esse securi. Haec debui respondere litteris Dominationis vestrae Illustrissimae, cui a Deo Opt. Max. bonum precor, et manus illi deosculor." Haec Nuncius.

1773

(60) Eodem etiam tempore Kilkennia Atloniam remigravit Vicecomes Dillonus, qui 16 Februarii 1649 ex Atloniae castro ad Nuncium dedit litteras querelarum plenas adversus Franciscanorum observantinorum Provincialem, quod nuperas quibusdam Franciscanis, quos ipsi Dillonus et aliis Ormonistis in induciarum controversia militasse et caeptis desistere voluisse conjecto, censuras inflixerat. Addidit autem Dillonus eos sui ipsius causa durius fuisse multatos, se tamen de nemine unquam ex S. Francisci Ordine male meritum, nisi criminis loco haberetur, quod faederis juramentum observasset, et Regimini legitime instituto obtemperasset. Rogavit etiam Nuncium ut P. Provincialem litteris compelleret ad P. Patricium Plunkettum, Atloniae monialibus a confessionibus, P. Jacobum Carronum et P. Brienum Kellium, Franciscanos, iisdem censuris liberaret. Subjunxit quoque se, nisi Nuncius id litteris asserqueretur, ea, in quam alias non propenderet, severitate in P. Provincialem et alios secum consentientes processurum. Denique ad epistolae calcem: " Illustrissimae (inquit) Dominationi vestrae protestor me fuisse iturum Galviam, et manus vestras deosculaturum, nisi mihi in mandatis datum esset, | ut exercitui

1773
v

jam in hostes moturo invigilarem." Sic ille Anglice. Caeterum de horum trium Franciscanorum duobus, ac de alio ejusdem Ordinis alumno, P. Georgio Dillon, praefati Vicecomitis patruo, P. Petrus Tiernanus pariter Franciscanus, et in Ibernia Diffinitior, biduo post Nuncio scripsit hanc epistolam :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(61) " Adversa valetudo post redditum ex nostro Capitulo impedit quo minus vestrae Illustrissimae Dominationis praesentiam petiturus benedictionem ante discessum, traditus inclusas, et alia quaedam ex parte Diffinitiori communicaturus petam. Sed quod personaliter praestare non possum, per epistolam supplere contendo. Duo nostri Fratres, P. Bernardus Kelly et P. Jacobus Carron, ob quasdam insolentias et contra Ecclesiam et contra communem causam Catholicam, suspensi per P. Provinciale, per epistolam ad ultimam congregationem datam culpas agnoscentes veniam petierunt et misericordiam. Remissi sunt ad vestram Illustrissimam Dominationem, ut ejus prius benedictionem accipient et Ecclesiae satisfaciant, ac ut per hoc magis de caetero caverent. Precatur humillime Diffinitiorum, ut eos vestra Illustrissima Dominatio benigne recipiat, benedictionem concedat, et ad P. Provinciale iterum absolventos remittat. P. Georgium Dillonum fuisse absolutum ac pristinis officiis restitutum audio. Dignetur (quaeso) vestra Illustrissima Dominatio ipsum non animare | ad Guardianatum iterum resumendum, quia jam per decretum nostri Capituli alter de novo est institutus. Deus Opt. Max. conservet V. Illustrissimam Dominationem ut ex corde orat et optat

Vestrae Illustrissimae Dominationis

Humillimus filius et addictissimus servus,

Kilkconnel,

18 Feb. 1649.

Fr. Petrus Tiernanus."

1774

(62) Restat nobis nonnihil dicendum de P. Paulo King pariter Iberno Observantino, de quo superius haud pauca retulimus. Is Kilkennia, ubi anno superiori multa causae Catholicae studio et fecerat et passus erat, dilapsus, Galviam, ubi Nuncius resideret, se contulit. In ea urbe praefatum P. Georgium Dillonum, Conventus Franciscani Guardianum anno superiore, nec non P. Valentini Brounum Provinciae patrem, in Nuncium atque ejus censuras antea insurrexisse vidimus. Quos proinde Paulus ita excommunicatorum loco habebat, ut non nisi cogente necessitate ad eum Conventum diverteret, quamdiu Galviae de certis negotiis cum Nuncio ageret. Nam licet demum in

foro externo paenitentiam egerint, re tamen ipsa ita eodem
pene spiritu semper ducebantur, ut paenitentiam potius (ne
tanquam incorrigibiles punirentur) p^rae se tulisse quam egisse
viderentur, usque adeo ut postea (sicut videbimus) turbulentio
aliorum male feriatorum fratrum Ormonistis suis studentium,
et in legitimos Praelatos rebellantium gregi cohaeserint. Porro

1774 v Paulus postea saepius retulit sibi interea in eo Conventu
Galviensi omnia ad vitam | sustentandum necessaria fuisse
abunde quidem subministrata, sed ob censorum maledictionem
(sic enim pie interpretabatur) et causae Catholicae desertionem
adeo marcida et insipida, ut corpus plus inficerent quam
reficerent. Quare ubi paulatim tabuisset, quadam dierum ad
Capucinorum ibi hospitium digressus, P. Hieronimo O Diomosa,
illius familiae tunc moderatori, ejus maciem et tabem stupenti:
Hieronime, (inquit) ambo in Christo et S.P.N. Francisco fratres
sumus, et eandem regulam profitemur, quae praescribit inter
alia ut *fratres sint domestici invicem inter se, et unus alteri suam
secure manifestet necessitatem.* Quamobrem ingenue tibi fateor
me nimia corporis colliquatione consumi, licet esculenta et
poculenta etiam bona subministrari soleant, quibus praeter
consuetudinem ad saturitatem subinde usus sum, quo hanc
virium extenuationem etiam satie curarem. Sed operam lusi.
Nam quicquid est quo vescor, nec succum, nec saporem, nec
nutriendi, sed potius enervandi et tabefaciendi corporis vim
habere videtur. Cui Hieronimus: Est (inquit) in promptu
remedium, neque enim tu nec nos illas censuras incurrimus.
Quare supposita tui P. Provincialis, imo Provinciae, quae ex
parte longe maxima causam Catholicam generosissime sustinuit
sustinetque, venia ac benedictione, huc frequens accede, et
omnia juxta paupertatem Franciscanam erunt nobis communia.
Qua Hieronimi humanitate subinde usus confidenter Paulus

1775 non nullis postea Capucinis sibi charissimis haud raro |
protestatus est vel buccellam panis apud Capucinorum
hospitium mage sibi sapuisse, et ad suas vires restituendas
plus fuisse parem, quam omnia sui Conventus Galviensis
edulia. Denique non raro etiam Romae deinde miro animi
candore repetit se tunc dierum Galviae a P. Hieronimi charitate
pene a mortuis fuisse resuscitatum. Porro Paulus a suo P.
Provinciale et Diffinitoribus Romam hoc anno destinatus est,
negotia ibi peracturus, quae te sequens eorundem actum melius
docebit.

"Fr. Thomas Makiernan, Ordinis Minorum strictioris observantiae Provinciae Iberniae Minister Provincialis, dilecto nobis in Christo R. P. Fr. Paulo King, ejusdem Ordinis et Provinciae, sacrae Theologiae Lectori et Guardiano Kilkennensi, salutem.

(63) "Cum nuper non nulli degeneres filii nostri Seraphici instituti una cum quibusdam refractariis consiliariis immemores suae promissionis et professionis Catholicae, sacrilege et inhumane adhaeserint haereticis pervicacissimis atque saevierint in nos, nostros, et alios ecclesiasticos subditos et Praelatos, non parcentes Summi Pontificis Legato interponenti etiam Apostolica mandata, et usque modo conspirent, (etsi aliud praetexent) in ruinam religionis et restitutionem haereseos. Nos igitur solliciti de nobis, nostro pusillo grege, totoque populo fidei, quem isti nefarii assidue scandalizant enormi vita et doctrina insana, te horum fere omnium testem ocularem, et nostrae tribulationis consortem constituere duximus, sicut per praesentes constituimus, et destinamus, procuratorem ad Sedem Apostolicam | et Romanam Curiam, ut haec et hujusmodi alia Summo Pontifici, Eminentissimis Cardinalibus, et Superioribus nostri Ordinis exponas, opportuna quoque remedia proponas et postules. Imprimis ergo apostatarum et rebellium excessus et sclera insinues, et protinus condigna paena puniantur, procures. Ad haec petas et provideas commissarium Apostolicum Religiosum indifferentem pro hac nostra Provincia visitanda et ordinanda. Denique promoveas aut impideas ejusdem Provinciae divisionem in duas vel plures, prout tempus et reliquae circumstantiae tibi dictaverint. Porro ut ista omnia et singula, ac alia quaecumque nos et nostram Provinciam quomodolibet concernentia alacrius prosequaris, praeter plenam omnimodam et absolutam facultatem, quam ad haec tibi impartimur, meritum salutaris obedientiae adjungimus. Insuper quia plures hujus afflictæ nationis proceres utriusque status ecclesiastici et saecularis, confisi plurimum in tuo ardentí zelo, singulari prudentia, et sollicitudine Christiana, te elegerint ac deputaverint pro tractandis rebus gravioribus universum hoc Regnum et religionem concernentibus cum Sanctissimo D. N. Innocentio X°, Eminentissimis Cardinalibus, et aliis Ecclesiae ac saeculi Principibus, ad id etiam licentiam concedimus, humillime rogantes Sanctissimum D. N. Papam, et alios Praelatos, nostros Dominos, tibi in his omnibus fidem et favorem exhibere dignentur, considerantes te ingentes labores suscepisse,

1775

v

et immensas afflictiones devorasse pro fide et Ecclesia. In quorum omnium testimonium his subscrispsimus, datis in Ibernia Idibus Feb. anno 1649 stylo novo.

Fr. Franciscus Ferall, Sac. Theologiae Lector Jubil, etc.

1776

Fr. Petrus Tiernanus Diffinitor. Fr. | Bonaventura Conneus, Diffinitor. Fr. Joannes Molloghan Diffinitor.

Fr. Thomas Makiernan Minister Provincialis. Fr. Bernardus Connius provinciae pater. Fr. Antonius O Dochorty, Custos et provinciae pater."

(64) Paulus ex Ibernia navigavit, sed in Angliae Parlamentarios incidit, a quibus apud Milfordiam, maritimum Walliae locum, in carcerem conjectus, sed postea, nescio qua lege dimissus in Belgium trajecit, ubi illa de hoc bello Ibernico epistola Latina satis prolixa, quam Philopater Irenaeus Paulo ascriptam suo libello ad annum 1650 typis mandato refutare conatus est in lucem edita hoc titulo : "Epistola nobilis Iberni ad amicum Belgam scripta ex castris Catholicis ejusdem Regni die 4 Maii 1649." In hac epistola Paulus magno quidem zelo Nuncii fautorumque causam tractavit, et totius belli originem et progressum, et funestum demum Confaederationis Catholicae exitum paucis tractavit. Verum ibi Archiepiscopos, Episcopos, universos Jesuitas et Carmelitas censuris ob armorum cessationem cum Insequinno initam fulminatis obtemperasse falso traditur ; sicut ex iis liquet, quae de Archiepiscopo Tuamensi, atque aliis aliquot Praelatis Nuncio in ea controversia refragatis, juxta ac de Jesuitis et Carmelitis diximus et dicemus. Invenio quoque Nuncium postea Romae Paulo succensuisse, quod tam supina oblivione caespitasset. Verum Paulus veniam meretur, cum illi epistolae tumultuarie secum una operam dederint duo laici nostrates, Franciscus Edmundus et Jacobus Dillonus, quorum Jacobus solus subscrispit his tribus litteris | D.D.D. more Hispanico significantibus *Dom. Diego Dillon.* Nam quibusdam litteris ejus Hispanicis hoc anno ad Nuncium exaratis sic subscritbit, licet in aliis Latine ad eum scriptis se Jacobum Dillonum vocitet. Porro non nisi post Pauli discessum ex Belgio epistola illa, quae bellum Ibernicum hactenus compendium continet, typis mandata fuit. Quare aliorum (credo) negligentia in eam non nulla inserta fuerint minus exacta ad pondus veritatis. Porro R. admodum P. Daniel a Dongo, tunc Observantinorum Vicarius Generalis, per actum 26 Julii 1649 datum in Urbem progrediendi potestatem fecit Paulo re ipsa Romam

1776

v

exinde profecto, qui haud ita diu post appulsum Franciscanorum Ibernorum Conventus S. Isidori in Urbe Guardianum gessit, Pontifici et multis Aulae Romanae Cardinalibus, atque aliis Praelatis eo acceptus, quod in Ibernia causam Catholicam propugnasset, et Romae eandem prosequeretur. Duo autem illi laici quibusdam Eugenii O Nelli et Nuncii litteris commendatiis muniti, a Principibus, Praelatis, et Potentatibus per Belgium et Germaniam hoc anno subsidia, quibus Eugenii vires velut solae tunc rem in Ibernia Catholicam propugnantes sustentarentur, postulabant, de quorum progressu inferius redibit sermo.

(65) Interea in Ibernia P. Franciscus Nugentius, Capucinus Midensis, Thomae Nugentii census equestris frater, Episcopo Clogherensi, Eugenio O Nello, et ejus legato generali, Richardo O Ferallo, proposuit ea | circa quae iidem tres ad Nuncium scripserunt epistolam, quam ex autographo Latino habe.

1777

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(66) "P. Franciscus Nugentius proposuit nobis quasdam materias, quas supponimus notas affatim suae Illustrissimae Dominationi; desuper certas chartas et instrumenta confecimus et eidem Patri exhibuimus, eique de aliquali providimus viatico, quatenus eo usque itineretur, cum vestra *Gratia* conferat, et praedicta instrumenta ac totam negotii substantiam declaret. Caeterum si sua Illustrissima Gratia videat negotium magnae expectationis ac consequentiae esse, desideramus et rogamus ut dignetur inire viam et modum, quibus possit esse ipsi prospectum de mediis et sumptibus, quibus valeat negotiationem prosequi, donec ex ipsius negotiationis fructu possit subsistere, et benedictionem petimus. Datum 19 Februarii 1649.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae
Addictissimi servi:

Emerus Clogherensis. Don Eugenio O Neill. Richard
O Ferall."

(67) Postridie hujus diei iidem tres P. Franciscum mandato Anglicano munierunt, quo eorum nomine cum Angliae Rege, Carolo 2° (nam Carolus 1° paucis retro diebus ab Angliae rebellibus capite truncatus erat) et Regina ejus matre in Galliis ageret. Mandatum illud Latine redditum hic legas.

1777

"Serenissimae Majestates.

(68) "Relatum fore nobis est ex quorundam genio nos in pacem a Marchione Ormoniae concessam consentire noluisse. Cujus atque omnium aliarum rerum rationem committimus

v

pectori P. Francisci Nugentii, quem omni plenaque facultate et autoritate agendi cum Majestatibus vestris circa omnia, quae nos patriamque concernunt, munimus, vobis perhumiliter supplicantes quatenus ipsi fidem habeatis. Etenim vero pollet Dei zelo et aequitate, ambarumque partium procedendi modum apprime novit. Quamobrem hoc a nobis mandato munitur, quo cum Majestatibus vestris transigat. Datum 20 Februarii 1649.

Emerus Episcopus Clogherensis. Eugenius O Nellus.
Richardus O Ferallus."

(69) Franciscus etiam a Nuncio litteris commendatitiis et progrediendi facultate munitus hanc provinciam obeundam suscepit; in qua quid profecerit suo loco recensebimus.

(70) Dixi ad annum superiorem Iberniae Jesuitas magna ex parte in Nuncii censuras insurrexisse, et pseudo-Concilio Supremo militasse. De quibus per litteras praesertim 15 et 16 Junii 1648 notis arcanis exaratas, et superius positas, Nuncius apud Pontificem Innocentium graviter conquestus est. ^{4°} etiam Julii notis arcanis Suae Sanctitati significavit eosdem Patres more solito propriis commodis ductos in eam ivisse sententiam et traxerint secum non nullos Episcopos ac Regulares. Idem etiam Nuncius alias querimonias posteriores in ipsos apud Innocentium X. eamdem ob causam movit. Quare indignatus Pontifex accito R. admodum P. Vincentio Caraffo, tunc PP. Jesuitarum Generale, jussit ut remedium adhiberet. Quo factum ut Generalis R. P. Mercurium Verdier ex eadem Societate, natione (opinor) Gallum, in Jesitarum Ibernorum Visitatorem destinari, scripta Italice ad Nuncium epistola obsequii ac pietatis plena, et genuinum non modo Jesuitam sed etiam Jesitarum omnium Praelatum spirante, quam hic ex autographo Latine verto.

"Illustrissime ac Reverendissime Domine mi observantissime.

(71) "Observantia, quam Illustrissimae Dominationi vestrae profiteor et debo, id egit ut supra quam exprimere possum, moleste tulerim quam parum (sicut audio) ejus votis responderint non nulli ex istis Patribus. Quare exempli, quo S. Franciscus Xaverius circa debitum Nunciis Apostolicis respectum Societati praeiverat, efficacia me teneri judicavi ad mandandum istuc Patrem, qui ipsi hanc | meam epistolam tradet, et quicquid conscientia atque approbante Sua Sanctitate hic statui exequetur. His Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculor. Romae 5^o Septembris 1648.



(72) "Dignata est Sua Sanctitas querelam generaliter approbare, sed (animadvertisendi) modum mihi commisit, sicut ex Patre harum latore Illustrissima Dominatio vestra intelligere poterit.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
Humillimus et inutilissimus servus,

Vincentius Carrafus."

(73) Praefatus P. Mercurius Verdier anno superiori exeunte ex Gallia in Iberniam navigavit, et Galviam, Iberniae urbem, in qua Nuncius resideret, appulit. Quo loco Nuncius Jesuitam juniores, ejus socium, ordine sacerdotali insignivit, et ambos magna exceptit humanitate. In Iberniae etiam Jesuitas non omnes, sed in P. Malonium, eorum in Ibernia Commissarium Generale, aliosque sibi adversantes, accusationum capita exaravit, parumque dubito quin (sicut ex ipsius epistola ad R. admodum P. Generalem scripta, atque inferius collocanda, colligo) tunc eorum summa Visitatori tradita, atque ipsa in eum finem compilata fuerint. Illa hic ipsissimis Nuncii verbis sequuntur: |

(74) "1. Quod Patres Societatis ad congregationem coram Episcopo Ossoriensi in Civitate Kilkenniae pronunciaverint excommunicationem et interdictum D. Nuncii non esse servandum (licet Dominicani, Franciscani, Capucini, et forsitan alii, contrarium senserint), ac proinde persuaserint D. Episcopo ut illud non observaret. Ex quo exemplo multi alii ad idem prolapsi sunt, et omnia mala subsecuta traxerunt originem.

(75) "2. Quod iidem Patres de facto interdictum non obser-
vaverint Kilkenniae, cui obediebant caeteri omnes Religiosi
et multi saeculares, praetexentes fortasse exemplum Cathedralis,
quam tamen ipsi in suam sententiam traxerunt.

(76) "3. Quod publice et notorie sustinuerint sententiam
contra excommunicationem et interdictum, immiscentes se cum
Consiliariis Supremis, illos in contraria sententia firmando ac
defendendo, et declarando eos in conscientia securos propter
Appellationem interpositam.

(77) "4. Quod pendente eadem Appellatione sub judicio
Supremae Sedis, nihilominus subscriberint plures ex iis libro
edito (ut dicitur) per episcopum Ossoriensem, in quo praeter
defensionem Appellationis multa tanguntur circa autoritatem
et reverentiam Summi Pontificis, uti etiam D. Nuncii.

(78) "5. Quod P. Malonius Galviae statim auditis censuris
declaravit se contra illas, nullo verbo facto cum D. Nuncio,

1779

1779 et tam ipse quam alii Patres publice sumebant supra | proprias
v conscientias inobservantiam illarum cum scandalo bonorum et
pernicie animarum.

(79) "6. Quod idem Pater cum aliis praedictis semper
habuerint congregations separatas cum tribus Episcopis
Conaciensibus, qui licet subscripserint primae (censuram)
condemnationi, mutaverant postea cum magno scandalo
sententiam. Ita ut eodem tempore, quo habebantur congregations
coram D. Nuncio et septem aliis Episcopis ac omnibus
Theologis civitatis, idem P. Malonius fere suas haberet cum
illis tribus, atque ita videretur erectum altare contra altare,
in maximam irreverentiam Apostolicae Sedis, et praejudicium
irreperabile religionis Catholicae.

(80) "7. Quod idem P. Malonius vocatus in colloquium a D.
Nuncio 1° ostenderit se nihil curare de rationibus oblatis sibi
ab eodem Domino, ut per eum considerarentur, sed locutus sit
ipsi taliter de sententia contraria, ut nullo modo videretur sibi
dubitanda. 2°. Contempserit investigare de inobservatione
Interdicti in civitate Kilkenniae, prout rogabatur ab ipso D.
Nuncio. 3°. Ad talem interrogationem sibi factam ab eodem
Domino, *nonne esset melius habere Catholicos quam haereticos
in Momonia?* Responderit quandoque hoc verum non esse.
Quae vox parum religiosa certe videtur. 4°. Quod usus sit verbis
parum reverentibus, imo satis contemptibilis erga ipsum.

(81) "8. Quod idem P. Malonius scripserit Superiori Limeric-
ensi ut non observaret Interdictum.

1780 (82) "9. Caetera, de quibus hucusque notitia clare habita non
est, reservantur exprimenda cum tempus et | securitas dabunt
facilitatem.

(83) "10. Quod haec omnia Patres admiserint eo tempore,
quo recenter experti erant diligentem D. Nuncii benevolentiam
erga Societatem tam in asserenda illis ecclesia seu Monasterio
S. Joannis Kilkenniae, repugnantibus licet Canonicis Regulari-
bus, antiquis dominis, sed etiam in assignanda alia S. Petri
Waterfordiae, quam a pluribus annis obtinere non poterant,
obstantibus Episcopo, Clero et caeteris omnibus Religiosis
illius civitatis." Haec ibi.

(84) Alia accusationum capita, juxta id quod praefatorum
articulorum penultimo legisti, posterius addita fuisse crediderim,
mihique in Nuncii scriniis cum praefatis propria ejus manu
scriptis occurront, sed amanuensis, nempe Malatestae Bran-
cadori (nam apices internosco) calamo exarata his verbis:

(85) "P. Plunkettus, et non nulli ipsorum, qui sunt Kilkenniae saepe saepius apertis verbis expresserunt in aliis Interdictorum similium occasionibus suomet periculo, expressoque detimento fuisse expertos et praecipue Venetiis, ubi plus propterea amiserunt, quam in reliqua Ecclesiae ditione possideant.

(86) "Variis praecepsit tentarunt P. Eganum ut celebraret tempore Interdicti, et subscriberet deinde librum illum propositionibus fere prorsus erroneis plenum a P. Petro Valesio Ordinis Franciscani sub Ossoriensis Episcopi nomine typis mandatum.

(87) "Mandarunt juvenibus omnibus in ipsorum gymnasii litteris operam navantibus, ut tempore Interdicti sacram audirent, resistentes autem cum maximo | ipsorum detimento a scholis expulerunt.

(88) "P. Plunkettus Kilkenniae, P. Salingerus in Lageniae Provincia Rosponi praesertim, Wexfordiae et Waterfordiae contra Illustrissimi D. Nuncii autoritatem et honorem cum maximo Catholicae causae praejudicio falsas disseminarunt opiniones.

(89) "P. Robertus Nugentius Consiliariorum parti plus caeteris aliis adhaerens in hisce negotiis nobilibus populoque efficaciter persuadebat Insequinnum esse virum probum ac patriae amatorem, cuius rei evidentius signum ostendere non poterat quam subditos, arma, ipsumquemet in Confaederatorum beneficium offerendo.

(90) "P. Malonius Provincialis in scribendo contra fulminatas censuras ab Illustrissimo D. Nuncio ac Episcopis deputatis cum P. Petro Valesio pari semper gradu concurrit, et Appellationis validitatem defendit, actorumque omnium per Supremos Consiliarios editorum, qui sese ideo jactarunt consilio peritorum Theologorum omnia semper gessisse.

(91) "Patres dictae Societatis Kilkenniae interfuerunt congregationibus secretis et Conciliabulis habitis contra Illustrissimum D. Nuncium ejusque autoritatem, nec non contra Decanum Firmanum, P. Paulum King, aliosque religionis amatores.

(92) "In eorum opinionibus confirmarunt quamplurimos arbitrantes D. Eugenium O Neill in cessatione cum Insequinno habita aliis de causis adversari Supremis Consiliariis quam ratione religionis Catholicae, | addentes praeterea Illustrissimum D. Nuncium et D. Eugenium fuisse et esse, nec non futuros totius Regni exterminium.

(93) "In festo S. Ignatii permiserunt ut P. Petrus Valesius

1780
v

1781

in eorum ecclesia concionaretur, etiamsi prius fuerint admoniti dictum Patrem nullo modo concionem habere posse ob mandatum sui superioris. Quo non obstante concionem habuit magno populi concursu et juxta morem solitum repugnabat verbo Dei, virtutum laudi, et vitiorum reprehensioni.

(94) "P. Guillelmus Dillonus de mense Septembris proxime praeteriti una cum Jacobo Talbotto petiit castrum D. Terentii O Neill, ejusque uxori persuasit ut D. Terentium induceret ad sumendas partes Concilii, et relinquendum Clerum, variis etiam additis promissionibus, sperans per ipsum facili postea negotio quod traheretur D. etiam Marchio de Antrim." Hac-tenus illa capita.

(95) P. Visitator Nuncio aperuit quid in mandatis haberet, suaque ipsi monita a R. admodum P. Generale missa, ex quibus inter visitandos Iberniae Jesuitas procedendum esset, ostendit. Cui Nuncius dixit ne Kilkenniam peteret, quod metuendum foret ne machinis ibi ad concutiendam ejus constantiam adhibendis succumberet, vel falsa rerum palliatione deciperetur. Verum ille, ratus se nisi Jesuitas Kilkennienses coram visitasset, partibus defuturum suis, Kilkenniam perrexit, ubi auditio ejus appulsa, nullus non est motus lapis ab Ormonistis, ut suos ipsorum Jesuitas juxta varia edicta, per quae anno superiori omnibus e Clero sibi adhaesuris patrocinium polliciti erant, non tangeret, sed controversiam, in qua non solum Jesuitarum sed etiam sua causa verteretur, communi appellationi a Sede Apostolica dirimendae relinqueret. In quem finem Archiepiscopus Tuamensis et alii sex Praelati magnis cervicibus ibi Nuncio in censorum lite adversantes ad eum hanc dederunt epistolam solitis Ormonistarum absurditatibus scatentem.

"Admodum Reverendo in Christo Patri P. Mercurio Verdier ex Societate Jesu.

"Adm. Reverende Pater.

(96) "Cum intellexerimus Paternitatem vestram ex directione Sanctissimi Domini per admodum Reverendum Patrem Generalem vestri Ordinis fuisse missum in hoc Regnum ad inquirendum et examinandum quomodo Religiosi Patres vestrae Societatis hisce distractis et turbatis temporibus sese gesserint et nunc gerunt. Et cum videamus Paternitatem vestram sinistris informationibus ab Illustrissimo D. Nuncio, apud quem fuit Galviae, tum de nobis, tum de ipsis Patribus esse praeoccupatam, notum facimus Paternitati vestrae quod Patres vestri modeste, religiose, prudenter semet gesserint cum

nostra et communi omnium satisfactione et aedificatione per conformitatem animorum et unionem, quam inter se servaverunt et aliis monstrarunt, nullis turbis, molestiis, vel seditionibus se immiscendo. Quas ob causas nos et totum Regnum magnas illis et vestro Ordini gratias debemus. Quodsi aliter quam fecerunt semet gessissent, tum | se, tum posteros suos in hoc Regno exosos reddidissent, sicuti fecerunt aliorum Ordinum non pauci Regulares, qui severis nostris monitionibus et decretis refractarii, inter se ipsos divisi, et cum omnium scandalo factiosi, seditiones, turbas, caedes, conjurationes per Regnum procurando, se et suos Ordines traxerunt in magnas angustias et inextricabiles difficultates, de quibus nos cogimur strictam exigere rationem, et statuere condignam paenam pro remedio. Quapropter hortamur Paternitatem vestram ut admodum Reverendo P. vestro Generali significari faciat, quatenus causa vestrorum Patrum hic ita est conjuncta cum nostra, quod teneamur illam tanquam nostram sustinere, nec posse contra illos quicquam a sua Paternitate statui, quod in nostram condemnationem non cederet. Quod ab ipsius prudentia longe abesse nobis persuademus, praesertim cum debeamus causae nostrae simul et ipsorum aequitatem Sanctissimo Domino et toti mundo probare. Paternitati vestræ faelicitatem et incolumentatem precamur. Nos Kilkenniae 20 Januarii 1649.

Joannes Archiepiscopus Tuamensis. David Ossoriensis.
 Thomas Midensis. Franciscus Aladensis. Edmundus
 Limericensis Episcopus. Frater Oliverus Dromorensis.
 Andreas Finniborensis."

(97) Cum haec epistola scriberetur non solum praedicti Praelati (quod ex ipsis litteris liquet), sed etiam | (quod aliunde colligo) P. Visitator se Kilkenniae tenebat. Quare non alio fine scripta fuisse videtur, quam ut eam ille suo loco et tempore haberet ostendendam, si non in Jesuitarum Ibernorum Ormonistis adhaerentium, certe in sui purgationem, quod manus habens ligatas in ipsos non animadvertisset. Culpa tamen haud vacare videtur quod non Galviae nec alibi pro tribunalii sedendum duxit, sed Kilkenniae, ubi Ormonistae et Ormonius, aliquique haeretici dominarentur, a quibus haud aliud ipsi expectandum quam quod Nuncius futurum praedixerat, et re ipsa successit. Porro Kilkennia Galviam regressus illam epistolam Nuncio monstravit, ex qua ille apographum 15 Februarii transcribendum curavit. Caeterum rerum connexio postulat his addam litteras,

1782

1782

v

quas Nuncius in Galliam regressus Gallione, Normandiae loco,
ad R. admodum P. Generalem Jesuitarum Italice dedit:

(98) "Mense (inquit) antequam ex Ibernia discessi, Pater
Verdier a Reverendissima Paternitate vestra in Visitatorem

Reg. p. 75².

delegatus Galviae excendit, et ut mox ad me venit, non solum
missam mihi epistolam attulit, sed etiam quicquid ab ipsa in
monitis haberet mihi communicandum duxit. Ego ut eorum,

1783

quae mihi cum illis Societatis Patribus intercesserant, notitia
imbueretur, adjunctorum his capitum | compendium et sub-

stantiam ei tradidi, deindeque exhortatus sum ne Kilkenniam
se conferret, sed quovis alio loco causam examinaret, quod in

illa civitate, in qua Concilium et totum eorum, qui a majore
parte ecclesiastica se alienaverant, corpus residebat, subiturus

esset periculum, ne multis modis impediretur, et forsitan (sicut
aliis contingit) minis tentaretur. Ille autem in hoc haud meam

duxit sequendam esse sententiam, sed illo conductus fuit a
Patribus, qui eum invitaturi Galviam usque venerant, et omni

modo spei portam ei aperuerant, eumque bene tractaverant.
Si negotium juxta ac praesagiveram successit, id ex parte

agnoscendum est Patri Verdier, qui redux mihi autographum
ostendit inclusae hic epistolae ipsi ab illis Episcopis, qui totam

commotionem procreaverant, scriptae, in qua non solum artifia
ad eum metu concutiendum structa leguntur, sed etiam restat
absque controversia probatum Patres rerum omnium fuisse

causam principalem, cum Episcopi affirment ipsis communem
esse secum causae titulum. Et sane si ego in induciarum negotio

aliud a Patribus postulassem, quam ut aequos se arbitros ex-
hiberent, vel donec Sua Sanctitas altercationem diffiniisset, suas

silerent opiniones, et interea temporis pro me totaque pene
Ecclesia Ibernica mihi adhaerente praesumerent, eos de omnibus,

quae patrarunt, haud invitus excusarem. Sed cum P. Malonium
ejusque sequaces, ne una quidem linea ante mihi scripta, re

mihi nullatenus significata, meque non praemonito, eorumque
nemine | ad me allegato, denique nullo ne minimo quidem facto

1783

v

indicio, se partis adversae duces et consiliarios declarasse,
libris subscrispsisse, Interdicti observationi intercessisse, aliaque

id genus patrasse liqueat, aequo animo ferat admodum Reverenda
Paternitas vestra, quod ipsi certificem me numquam vidisse,

nec audiisse, nec forsitan legisse similem novitatem, quae eo
gravior fuit quod toto Regno innotuerit me, ut Societati

commodarem, eodem tempore terminasse illis Patribus acquisitionem
ecclesiae Abbatialis S. Joannis apud Kilkenniam, non

obstante omni Canonicorum Regularium, ad quos spectaret, renitentia, et dedisse Societati possessionem ecclesiae S. Petri Waterfordiae, Episcopo atque utroque Clero repugnante.

(99) " His circumstantiis fiet ut Reverenda admodum Paternitas vestra facile sibi persuadeat sub procedendi modo tam absurdo aliquem alium latere posse occultum finem, nec dubito quin sua etiam multa prudentia facili negotio eundem detectura sit. Perpenso enim Patres ex antiquis Iberniae familiis et ex Provinciis non *Anglizatis* ortos, licet numero inferiores, ab aliis dissensisse, et quantum possent meis praescriptis obtemperasse, continuo perspicuum hic erit, factum conscientiae et doctrinae Religiosae, an alicui alteri causae ascribendum sit? Et in summa, utra regnarit, charitas an factio? Inter quos Patres meminerim de Rectore familiae Limericensis, qui P. Malonii mandatis obedire renuit, domoque potius discessit, nec non de Rectore familiae Waterfordiensis, et aliis quorum jam non recordor. |

(100) " Spero me oretenus Reverendissimae Paternitati 1784 vestrae non nulla colloquii, quod P. Malonius, dum de modo, quo se gesserat, secum expostularem, mecum habuit, capita ob oculos positurum, idque effecturum ut sciat quo animositatis hic homo processerit. Interim sicut non aliam mihi proposui metam, quam ut hanc Suae Sanctitati et Reverendae admodum Paternitati vestrae veritatem demonstrarem, sic satis habeo id solum praestitisse. De caetero eandem rem relinquo dirigendam ad stateram illius bonitatis, quam jam in ipsa nemo non agnoscit, nisi quem persona vestra latet. Mihi superest ut plangam haereticum in Confaederatos Catholicos jam dominari, jam Momoni a Calvinista possideri, jam Episcopos et parochos Protestanticae religionis incipere deartuare in suam utilitatem redditus ecclesiasticos, et si haec exordia pari passu processerint, reliquum esse persuadendum, nec non P. Malonio cum suis id majore ex parte vitio vertendum. Faxit Deus ut in hoc non prophetaverim et concedat Paternitati vestrae Reverendissimae tale in suis filiis sanitatis et bonae operationis incrementum, ut non solum alibi gentium, sed etiam in Ibernia cum orbis Christiani jubilo succedat mali quod patratum est compensatio singularis. Ipsi manus amantissime deosculor. Gallione 19 Maii 1649." Hactenus Nuncius.

(101) Hujus rei seriem et epistolae exemplar Nuncius (sicut etiam ipse hic innuit) Cardinali Panzirolo et per ejus manus Suae Sanctitati transmisit. Verum Reverendo admodum | P.

Generale circa illud tempus vita functo, Vicarii Generalis in ea controversia minus versati usque ad novam Generalis electionem substitutio et eligendi Generalis dilatio effecit ut illa in Jesuitas Ibernos mota querela substiterit usque ad Nuncii in Urbem regressum, qui quo pacto hanc controversiae partem Romae coram prosecutus sit me latet? In Ibernia autem a P. Mercurio Verdier, jam dicto Visitatore generali, rogatus ut ipsi praefatos Iberniae Jesuitas a Censuris absolvendi faceret potestatem, ita acquievit ut ipsum postea in Continentem reversum (sicut inferius videbimus) ejus concessionis paenituerit, velut qua Jesuitis Ibernis non palam mundo sed in occulto de conscientiae remedio provisum fuerit in spirituale aliorum praejudicium, qui si Jesuitas paenitentiam egiisse compertum habuissent, ipsi quoque ad eorum imitationem resipuisserent. Visitatorem autem Kilkenniae Jesuitas absolvisse, atque eorum ibi sacellum Interdicto liberasse Doctor Enos tradit, addens ipsos Jesuitas ibidem id sibi alias in eorum Capella rem sacram non facturo retulisse. Haud tamen omnes tunc Kilkenniae absolutos fuisse invenio, quod P. Guillelmus a S. Leodegario, vel (ut communiter scribitur) Salingerus, P. Malonii in Jesuitis Ibernis moderandis successor, ardentissimus juxta induciarum propugnator ac censoriarum tanquam invalidarum contemptor, forsan Kilkennia cum P. Visitator alias absolveret, absens, non nisi aliquot annis postea transactis exul in Hispania ab Episcopo Laghleniensi absolutus fuit, juxta factam eidem Praelato et aliis tribus Episcopis Ibernis ab Alexandro septimo potestatem, suo loco inferius collocandam. Porro Jesuitae culpam absolute agnoverint et absolute absolvi voluerint, an autem absolutionem conditionatam seu ad cautelam tantum participarint, mihi traditum non est. Cum tamen Visitatore prima vice Kilkenniam profecto communi Appellationi insistendum duxerint, argumento esse videtur eos tantum ad cautelam absolvi voluisse. Caeterum authore Nuncio Visitator jam dictus in mandatis habuit a Societatis Generale ut P. Malonium ex Regno discedere compelleret, cui tamen mandato exequendo Visitator evitandi majoris mali causa supersedit, Ormonistis Malonii atque aliorum Jesuitarum Nuncio adversantium causam velut suam strenue agentibus.

(102) Nusquam melius quam hic tractari potest aliud controversiae caput, quae Nuncio cum Jesuitis intercesserat. Siquidem anno 1646 P. Robertus Nugentius, tunc Jesuitarum in Ibernia moderator, cum Cleri Congregatio circa procurandas ad explo-

*Just.
cap. 4.
num. 2.*

1785

dendam pacem Ormonicam et ad promovendam Dubliniae
obsidionem pecunias magnam pateretur difficultatem, boni
publici zelo pecuniae, quae ad suam Missionem attineret,
summam | Nuncio in eum finem mutuo dedit. Ad quam
rependendam semper expectabatur ut Massarius cum subsidiis
Pontificiis anno 1647 Romae decretis ex Urbe in Iberiam
remearet. Quo demum circa medium Martium anno 1648
in Iberiam regresso supervenit illa induciarum, deindeque
censurarum et Appellationis altercatio, ac funestum Catholicorum
bellum civile, quae solutioni obicem posuerunt, plerisque
Jesuitarum factioni Ormonicae in Nuncium insurgentibus.
Ad hanc pecuniam repetendam spectat praefati P. Roberti,
in cuius locum P. Malonius suffectus erat, epistola Novembri
superiore ad Nuncium Latine scripta, quam hic ex autographo
habe.

1785
v

"Illustrissime Domine.

(103) "Rogavi per litteras P. Nicolaum Nugentium, germanum meum, ut cum Illustrissima Dominatione vestra de pecuniis, quas mutuas dedi, repetundis tractaret. Isque ad me rescritbit Illustrissimam Dominationem vestram respondisse eas pecunias non solum Dominationi vestrae Illustrissimae, verum etiam toti Clero consignatas, ac proinde si Galviae (ut condictum erat) convenisset Clerus, Illustrissima Dominatio vestra sollicite pro sua virili parte conaretur urgeretque eas pecunias refundendas. Ita ille. Verum quid inter Illustrissimam Dominationem vestram ac Clerum hac de re transactum sit, paenitus ignoro. Hoc autem omnino exploratum habeo, me nunquam mutuas Clero pecunias tribuisse, cum praesertim probe nossem quo loco apud eum res essent, | scilicet dubio, angusto, turbulentio. Imo tantum absfuit ut mutuas dare vellem ipsis pecunias, ut potius nolle palam sciri quidquam ejusmodi apud me reperiiri. Illudque vere pronuntiare possum, me plane existimasse id quod Illustrissima Dominatio vestra mecum transegerat, ex praesulibus praeter Cassiliensem Archiepiscopum scivisse neminem, atque hoc ipsum non semel Illustrissimae Dominationi vestrae exposui, iteratisque pollicitationibus me jussit Illustrissima Dominatio vestra esse de solutione securum. Id D. Decanus Firmanus redux non solum mihi verum et R. P. Malonio, superiori, confirmavit, spe data solutionis ex ea summa, quam ipse nuper advexit. Illud praeterea memoria retineo, Dominationem vestram Illustrissimam promisisse, si quid humanitus nobis contigisset, rem tamen

1786

nostram in tuto fore, et Apostolicam ipsam Sedem (si non aliunde factum esset satis) abunde prospecturam. Ad extreum in mentem revocate (si placet) quo pacto cum D. Clanricardio Marchione Illustrissima Dominatio vestra transgerit. Illi enim plena facta est solutio (licet alioquin non deesset titulus solutionem subterfugiendi) hoc solo nomine, quod Illustrissima Dominatio vestra fidem suam illi obstrinxerit. Jam dignetur Illustrissima Dominatio vestra agnoscere fidem pariter vestram nobis esse obstrictam et scripto suo confirmatam, nec ullum hic dubium intervenire. Unde justitiae, honoris, charitatis, virtutumque plurium nexibus Dominatio vestra Illustrissima videtur obligata. His accedit extrema nostrorum indigentia. Non queror damna ob non solutos eos nummos a tanto tempore provenientia, sed illud plane astruo, domum probationis (taceo Residentiam | Cassiliensem), si tempori non fiat solutio, dissolvendam videri. Inde et tota missio laboret, necesse est. Plures enim jam nostri senes non possunt diu hac in vinea operari; atque si succrescens haec soboles impeditur, magnum inde Missioni et Ecclesiae nascetur detrimentum. Haec nos multum movent, et utinam Illustrissimam Dominationem vestram permovereant. De his pecuniis ad Reverendum admodum P. nostrum Generalem jam pridem, quando illas dedi, scripsi me de solutione minime dubitasse. Utinam nunc de facta solutione liceat scribere. Non addo plura. Tantum hoc verbum appono ut Illustrissima Dominatio vestra aequi bonique consulat, quae non tam animus quam necessitas nostra ut scribantur extorquet. Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculor.

Kilkenniae 25 Novembris 1648.

Illustrissimae Dominis vestrae
Humillimus in Christo servus.

Robertus Nugentius."

(104) Respondisse videtur Nuncius per litteras (sicut ex sequenti epistola colligere est) 12 Decembris 1648 datas, quae ad meas manus non pervenerunt. Solutione autem non facta idem P. Robertus hoc anno 1649 ad Nuncium scripsit his verbis:

"Illustrissime Domine.

(105) "Exposui D. Decano Firmano hinc discedenti spem ex litteris Illustrissimae Dominationis vestrae datis 12 Decembris proxime elapsi de solutione pecuniarum mutuo datarum conceptam, petiique ab eo an expediret ut iteratas de iisdem |

1787

pecunii per ipsum ad Illustrissimam Dominationem vestram darem, suasitque ut minime scriberem, sancteque promisit se serio rem promoturum, seque modum reperturum, et suggesturum quo Societati abunde satisficeret. Nihilominus rem totam Reverendo Patri nostro Visitatori candide aperui, et ad quas angustias reducta sit haec Missio, nisi Illustrissima Dominatio vestra praesenti earundem pecuniarum solutione eidem succurrat, pluribus ostendi. Quocirca obtestor Illustrissimam Dominationem vestram, ut benigne ipsum audiat, unaque solutionem procuret. Aliter Residentia Cassiliensis dissolvetur, uti P. Superior istius Residentiae nuperrime ad R.P. Malonium scriperit. Novitiatus corruet, et consequenter tota ipsa Missio patietur. Deus mihi testis est quam molestum mihi sit hac de re apud Illustrissimam Dominationem vestram agere. Sed necessitas nescit legem. Quare totam rem justitiae et charitati Illustrissimae Dominationis vestrae committo, cuius sum et semper ero

Kilkenniae,

7 Februarii 1649.

Illustrissimae Dominationis vestrae
Humillimus in Christo servus.

Robertus Nugentius."

(106) Nuncius haud melius tunc P. Roberti votis respondit quam ei et aliis PP. Jesuitis ex Missione Ibernica transcribendo jus in suam S. Ursulae fregatam pecunii Pontificiis anno 1645 in Gallia comparatam ab aliquot mensibus judicaria pseudo-Concilii Supremi sententia D. Didaco de la Torre, Regis Catholici legato, ob causas superius memoratas adjudicatam, deindeque cum Didacus ad alterius Oratoris ab eodem | Monarcha missi O Sullevani Bearrensis, seu Comitis de Beerhaven, mandatum, caeptis destitisset, hoc anno ab Ormonio publicatam, atque in portu Waterfordensi jam dudum anchoris firmatam. Ipsa Nuncii verba, quibus ad P. Roberti epistolam respondit, hic subnecto.

1787

v

"Admodum Reverende Pater.

(107) " In Concilio nationali, quod ego vocaveram ad componendas res spirituales et temporales, inter alia statueram a Clero simul congregato Societatis satisfactionem curare. Sed cum illud a multis, et ab iis etiam, de quorum interesse agendum erat, fuerit impeditum, et ego meis bonis hic et illic, variisque modis fuerim spoliatus, cogitavi ut et Cleri partibus et Reverentiae vestrae desiderio satisfacerem, Patribus relinquere

ac tradere, prout harum vigore et relinquo et trado una cum velis, funibus, aliisque pertinentiis, et simul cum tormentis fregatam S. Ursulae, quae est Waterfordiae, et empta fuit pecuniis a Sanctissimo Domino in hoc Regnum missis ad meam dispositionem. Optime huic negotio consuluisse arbitror, cum pecuniae Societatis ad bonum Regni et Congregationis Ecclesiasticae inservierint. Spero Reverendissimos Episcopos vos in hoc etiam adjuturos, cum et ipsi tali onere hoc modo liberentur, praeterquam quod semper Sanctissimi Domini mentem et Patris vestri Generalis sententiam sequar, et Reverentiae vestrae Deum propitium deprecor. Galviae 19 Februarii 1649." Haec Nuncius. |

1788

(108) Res ipsa loquitur quod his litteris tacite innuitur, nempe Nuncium persuasum habuisse PP. Jesuitas eorum doctrinis et opinionibus Ormonistarum factioni adminiculantes petram pene fuisse angularem eorum omnium, qui ad easdem partes transierunt. Quare cum Nuncii fautorumque causa justissima sanctissimaque, et adversiorum conjuratio inquisimia fuerit, continuo sequitur Nuncium jure merito in eam ivisse sententiam, ut non solum ad pecunias illas rependendas se haud teneri judicarit, sed etiam censuerit legitimum sibi competere titulum resaciendi ex Jesuitarum Ibernorum, si solvendo essent, bonis damna omnia multifariam multisque modis in spiritualibus et temporalibus Sedi Apostolicae, Ecclesiae Ibernicae, sibi et fautoribus illata ab Ormonistarum factione et haereticis, quorum dominio iidem Jesuitae et alii Ormonistae januam latissimam aperuerunt. Nuncio autem postea Romam exinde que ad suum Archiepiscopatum Firmanum reverso, Massarius apud Urbem (sicut videbimus) in Sacrae Congregationis Propagandae Fdei Secretarium ascitus, 3^o Junii 1651 Roma Italice scribens : " Huc (inquit) appulit Pater Yongus, Jesuita Iberius, et inter alia dicit sibi esse mandatum procurandi a Sede Apostolica restitutionem quater mille scutorum, quae Patres Societatis in expeditionem Dublinensem et pacis Ormonicae rejectionem suppeditaverant, speratque se Illustrissimae | Dominationis vestrae meaque opera a Sua Sanctitate assecuturum ejusdem summae solutionem instar eleemosynae. Verum ego ipsi, quin et P. Generali aperte dixi, ut de ea re ne cogitent quidem, et inter primam audientiam, ad quam forsitan proxima hebdomada admittendus sum, mecum statuo super eadem re Suam Sanctitatem alloqui et praemonere, nec non ipsi demonstrare pecuniam in publicos Regni, imo etiam

1788

v

in privatos Petrum usus fuisse impensam. Quare prima vice qua Romam veni, fui a P. Roberto Nugentio rogatus ut P. Generali Caraffo renunciarem, eum in publicam Iberniae causam ejus quod suppeteret, partem, ne totum perderet, libenter concessisse, et proinde cum universo illius Insulae Clero in quingentis libris contribuendis concurrisse. Praedictus autem P. Generalis audita legatione per me facta respondit non solum quod factum erat se ratum habere, sed etiam omnia, quae Societas intra et extra illud Regnum possideret, se insumpturum, si certo sciret ea in sublevandis illis bonis Catholicis utiliter collocanda. Porro P. Roberti, sicut postea reversus ipsi declaravi, consilium et opus commendavit." Sic Massarius, qui (ut mihi traditum est) adeo Pontificem rei notitia imbuit, ut Sua Sanctitas Iberniae Jesuitas Ecclesiae potius in immensum debitores, et longe majori satisfactioni obnoxios esse responderit. Quod est longe verissimum. |

(109) Licet in hac subinde historia Jesuitarum Iberniae moderatorem videamus vocitari Provincialem, de facto tamen non Provincialem sed Commissarium Generalem ab admodum R. P. Generale pro tempore delegatum fuisse comperio, qui Jesuitis in eo Regno praeesset, non in Societatis ibi Provinciam unquam, sed in Missionem Apostolicam erectis, ita tamen ut a multis retro annis in ea insula Novitios ad Religionis habitum admittere soliti essent, et in Regni civitatibus atque oppidis sub suis Patribus, hospitorum vel *Residentiarum* Rectoribus, in aliquot familias Regulares, quarum non nullae juventutem docerent, coaluerint numero auctas et imminutas pro alternantibus Catholicismi et haereseos in Regno vicibus, et fluxu refluxuque persecutionis, nemoque inficias iverit quin in ea vinea ligone Evangelico excolenda operam praecolare collocarint in magnum animarum lucrum, Catholicorum aedificationem, et haereticorum conversionem et confusionem usque ad hanc ultimam Ormonistarum ad haereticos defectionem, quam illorum plerique turpiter secundarunt. Caeterum P. Malonius, qui illis tunc in Ibernia instar Provincialis praeerat, non solum parentibus et majoribus Anglicanis, sed etiam (sicut a Jesuita nostrate, nedum ab aliis recepi) in ipsa Anglia natus, haud alio titulo tanquam Ibernus illi Missioni Ibernicae insertus erat, quam quod cum parentibus in Iberniam parvulus transmigrasset, ubi ut pedem fixerunt, ille hac occasione in Jesuitarum Ibernorum album relatus aliquot annos Romae, perinde ac si Ibernus esset, sacerdotum atque adolescentum Ibernorum ibi

1789

1789

v

Collegium gubernavit, multis conquerentibus quod in eo regimine plus Anglum quam Ibernum ageret. In Iberniam autem ad ineuntem annum 1648 appulsus, atque omne Regni pessimo illius Missionis moderator a Societatis Generale renunciatus, orta paucis post appulsum mensibus illa induciarum et censorum controversia, eandem intimis in venis ebullientem suae originis Anglicanae sympathiam ac naturalem affectionem plusquam supernaturalem genuini Jesuitae fidem Catholicam et fidei propagandae zelum exercere videbatur, ut sit cur conjectetur factum fuisse ab aliquibus politicis Anglicanis, vel certe ab eorum Romae fautoribus, Patri Generali fucum, quo eum ad illam provinciam obeundam cooptaret, ut, praeter Generalis mentem inter jam magna ex parte natas et propediem magis magisque nascituras Reipublicae disceptationes subditorum conscientiis vim inferret, et illius Missionis Patres vel invitatos cogeret in Nuncium, Iberniae Clerum, fautoresque, conquisitis undique et studiose palliatis probabilitatibus insurgere, et Ormonistis ipsique Ormonio atque aliis haereticis suo tempore astipulari. Sive autem ea conjectura ad ipsam veritatem omnino quadret, sive secus, id certe in confessu est Malonium a praefato scopo latum unguem non aberrasse, ejus nutum haud aegre | sequentibus plerisque ejusdem Missionis Patribus in Ibernia quidem natis, sed Anglia aliis olim, aliis recenti memoria oriundis, et agnatione, cognatione, affinitate, parentum clientela, communique illo originis Anglicanae vinculo cum factione Ormonica conjunctissimis, et ne iidem Ormonistae praedia monastica et aliter ecclesiastica, nec non optimorum Catholicorum sub Henrico 8, Eduardo 6°, Elizabetha, et Rege Jacobo in fidei odium deturbatorum possessiones male partas Ecclesia Ibernica triumphante restituere cogerentur metuentibus, sed pene omnibus Lageniensibus et Midensibus, quorum tractuum indigenas et Anglos instar Malonii in Iberniam translatos adeo in ea Congregatione jam ab olim praevaluisse comperio, ut in legem inter ipsos abierit, nequem nisi ex eodem fermento compactum in Missionis moderatorem admitterent, per omnia Missionis frenum tenentes sicut congrueret, ut semper in reliquos totius Insulae Patres, tam ex veteribus Ibernis apud Lageniam et Midiam natis, quam in Jesuitas utriusque originis Momonienses, Conacienses, et Ultonienses dominarentur, pene soli Jesuitarum Iberniae in hac magna controversia Nuncio adversati, nec tamen omnes, nam Jesuitas apud Wexfordiam, Lageniae emporium, pro Nuncio fecisse reperio.

(110) Quod ad Momoniam pertinet, in ea Provincia pene plura quam in toto Regno reliquo Jesuitis loca fuisse video. Quorum non nullis haereticorum furore inter hoc bellum extinctis et Patribus extrusis, | reliquas illius Provinciae apud Limericum, Waterfordiam, et Clonmelliam Jesuitarum familias Nuncii censuris morem gessisse liquet partim ex inserta nuper Nuncii epistola 19 Maii 1649 ad P. Generalem exarata, partim ex Cleri Waterfordiensis et Clonmelliensis libello supplici seu communi epistola ad Nuncium 12 Novembris 1648 data, partim ex D. Joannis Creaghi, S. Theologiae Doctoris et Vicarii Generalis Limericensis, epistola ad eundem Nuncium 6 Augusti 1648 scripta. Qua tamen ille de sola Jesuitarum familia Limericensi intelligendus est, hosque ipsos (excepto Rectore, quem propterea ab aliis magno zelo secessisse invenio) P. Mallonio ab initio in censuras obtemperasse, sed larva detecta caeptis destitisse non secus scio quam ille tunc Nuncio significavit his verbis: "Patres (inquit) Societatis Jesu mutata sententia interdictum observant. Non enim Oratorium, nisi in festo sui Patroni S. Ignatii, et hodie in Dominica infra ejus octavam aperuerunt, licet mandatum habuerint in contrarium a P. Mallonio." Sic ille Limerico Galviam 6 Augusti 1648. Porro dictum familiae Limericensis Rectorem, qui suos subditos P. Mallonii nutum aliquandiu sequentes deseruit, secessitque, fuisse (nisi male memini) didiceram P. Thadaeum O Sullevanum, praeclarissimum dynastarum, O Sullivani Magni ex filio et Mac-Cartii fisci ex filia nepotem, Jesuitarum totius Iberniae | longe nobilissimum, et eximia virtutum laude multo nobiliorem.

1790
v

1791

(111) Hic etiam notatu dignum est hos locorum Momoniensium Jesuitas Nuncio adiisse inter circumstantias sat difficiles. Nam proprii suaे Missionis Praelati P. Mallonii imperium in hoc generose detractarunt, idque in ipsa Momoniae Provincia, quae controversiae sedes esset principalis, totaque Ormonistarum et Insequinnii armis in Nuncii censuras districtis fremeret strideretque, nullo ibi exercitu Nuncii fautoribus opem ferente, et ipsis urbium, in quibus praefati Jesuitae commorarentur, civibus magna ex parte inducias saltem ex metu, qui in constantem virum cadere dicebatur, admittentibus. Alicubi etiam lego corde et animo a censuris stetisse tres Jesuitas a meo authore specialiter nominatos, nempe P. Joannem Mac-Eganum, Midensem, et PP. O Cearullum et O Cearullanum. Quorum Joannem aliis multis longe doctiorem fuisse tradunt. Nec dubito quin residentiae Cassiliensis ab haereticis anno 1647

restinctae, sed (sicut ex P. Roberti Nugentii litteris superius positis colligo) postea restitutae in Momonia Jesuitae a Nuncio pariter steterint, cuius loci Rectorem fuisse crediderim P. Joannem Yongum, eumque Cassiliensem, multa virtutum gloria conspicuum, et de sua Ibernia praesertim Momonia, in confessionibus audiendis, verbo Dei egregie disseminando, et aliis functionibus Apostolicis obeundis per multos annos optime meritum, de quo et praefatis Patribus, Roberto Nugentio et Joanne Mac-Egano, ut librum Anglicanum in Nuncii censuras Kilkenniae anno 1648 sub Episcopi Ossoriensis nomine editum approbarent, tentatis, alicubi haec | verba lego : "Reverendus P. Joannes MacEganus, doctissimus et optimus omnium Jesuitarum, etsi minis, blandit'is, et modis omnibus tentatus, noluit approbare has iniquas responsiones. P. Nugentius ex-provincialis ipsorum consulto se absentavit. Idem fecit religiosissimus et piissimus *Yong* ne manus haberet in tam execrando scelere." Sic ibi. Porro dominantibus in hac Jesuitarum Missione iis, qui Nuncio adversarentur, id factum ut viri doctrina et sanctis moribus conspicui, qui pro ipso fecissent, male multati fuerint, eorum non nullis e Societate dimissis, velut eam ob causam non idoneis, sicut ipsorum non nulli mihi protestati sunt, quos ob scientiam et vitae probitatem ab universa, in qua jam aliquot annos exulant, vicinia prope adorari testor.

(112) Specialem etiam a me sui mentionem postulat P. Mauritius O Conaldus, Desmoniensis, mihi olim in saeculo condiscipulus, et a teneris unguiculis notissimus. Is parentibus Catholicis, Mac-Cartii Magni clientibus, natus, et litteris humanioribus in Ibernia excultus, ad annum 1638 adolescens ulterioris literaturae studio Burdegalam trajecit, ubi ut biennium circiter in iisdem disciplinis humanioribus et Rhetorica ediscenda posuit, se anno 1640 Romam contulit, ibique ad ineuntem annum 1641 Jesuitarum habitum suscepit, tanto tyronis Religiosi progressu, ut omnes in suae pietatis admirationem rapuerit. Professus autem sanctum Jesuitarum institutum, et doctrinae virtutisque incremento ad aliquot annos exercitatus, mense Septembri 1648 ex Urbe discessit circiter trigenarius in vineam Ibernicam redditurus, ubi Limerici exscensione facta, inde | epistolam Italicam 10 Decembris 1648 Nuncio, tunc Galviae se tenenti, scripsit in ejusdem Nuncii Scrinis usque in diem hunc asservatam, quae miram plane sapit devotionem, oblatum Nuncio obsequium, et intimum cordis dolorem, quod

tota ipsi Ibernia tanquam Angelo Domini non obediisset. Is postea crudelis persecutio ad suum patruum, Richar-dum O Conaldum, Episcopum Ardfeartensem, se recepit, in cuius diaecesi apud Killarniam scholas aperuit, interea solitus diebus Dominicis ac festis in concionibus ad populum habendis et paenitentiae ac sacrae Eucharistiae sacramentis adminis-trandis haud segniter desudare. Ingruente autem furoris deinceps haeretici procella a mundo prope condito (sicut vide-bimus) truculentissima, atque adeo ea schola persecutionis impetu dissipata, cum alii ex utroque Clero plurimi mortis metu perterriti exilio saluti consuluissent, is in fornace Baby-lonica inconcussus permanxit, et vel agasonem, vel bubulcum, vel ovium pastorem subinde ementiens, inque multas quo delitesceret species identidem se vertens, in animarum salute procuranda praeclare perseveravit, et etiamnum ad plures annos constantissime perseverat. Et haec quidem sunt quae de Iberniae Jesuitis dicenda habui. Porro Nuncius sanctissi-mam Societatem de universa Dei Ecclesia optime meritam devotione videtur coluisse singulari, sicut ex ejus libro *de Episcopis* Romae deinde typis mandato liquet, in quo universum Jesuitarum institutum immensis prope laudibus effert, | licet illis Jesuitis Anglo-Ibernis sibi apud Iberniam refragatis ob culpas ipsorum proprias, quibus a S. Ignatii, S. Xaverii, et religiosissimi Ordinis pietate degeneraverant, haud injuria succensuerit.

(113) Antea dixi decretum fuisse a Sacra Congregatione propagandae fidei quibusdam Observantinis Ibernis juxta leges superius ad annum 1645 traditas missionem ad montana Scotiae et Insulas Hebrides, eandemque S. Congregationem 22° Januarii 1647 unicuique ex quatuor Missionariis ibi nominatis scuta sexaginta annua monetae ad triennium assignasse, et pecuniam in unum annum fuisse transmissam in Iberniam cum Massario, ac denique 31 ejusdem mensis Innocentium X^m Iberniae Nuncio amplissimas concessisse facultates iisdem Missionariis vel in totam vel in partem, prout ipse judicasset, communicandas. Hujus sacrae expeditionis progressum et exitum haud melius dixerim quam si in medium produxero spectantem huc libellum supplicem Nuncio Galviae hoc anno ineunte praesentatum a duobus strictioris observantiae Patribus, quorum primus in principio et progressu (nam hoc lector monendus est) suam solius tragediam perstringit, in fine vero suam et socii, tunc dum scriberet, absentis, sed postea ita appulsi ut subscriperit,

1792
v

causam communem agere videtur. Libellus ille multum animi candorem et zelum domus Dei spirat. Quare sua sancta simplicitate et spiritus fervore satis ornatus in medium hic prodeat ex ipso autographo et verbis propriis. |

1793 *"Missionariorum Hebridum Scotiae verax Memoriale,
justa et supplice petitio ad Illustrissimum ac Reverendissimum D. Joannem Baptistam Rinuccinum,
Archiepiscopum et Principem Firmanum, Sanctae Sedi Apostolicae in Ibernia Nuncium extraordinarium.*

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(114) " Cum post arduos conatus nostros in Regno Scotiae (facultate nobis a Reverendo P. Patricio Heagarty piae memoriae, Missionariorum tunc praefecto communicata) octingentos et amplius conversorum et relapsorum praeter baptizatos, cum magnis animae et corporis periculis tam mari quam terra perpessis, in magna etiam rerum necessiarum penuria et inopia illis tam incultae patriae incolis ministrantes, ad fidem orthodoxam perduxissemus, quorum authenticum Catalogum prima nacta opportunitate ad sacram Congregationem de propaganda fide transmitti curabimus; jam annum, eoque superius, ego militibus Scotis in hoc Regno, variis miseriis jactatus undique, inservivi, nempe D. Generalissimo, Alexandro Mac-Donel, magnanimo domi bellique, et suis a confessionibus in utroque Regno, militantibus pro re Catholica, idque ex obedientia Reverendi admodum P. Provincialis Fratrum Minorum per hoc Regnum, neque sine fructu (assistente Deo) cum quinquaginta eorum una cum praecipuo viro nobili, terrarum dynasta ad Catholicam fidem et Sanctae Matris Ecclesiae sinum perduxerim, sed ipsis modo ex infortunio, magna ex parte ita e medio sublatis, occisis, et injuriosissime a falsis fratribus incarceratis, ut in eorum infaelici consortio libros omnes, quos propriis amicorum procuraveram expensis, ad valorem quadraginta librarum Anglicarum simul cum vestibus tam Regularibus | quam saecularibus, furibundis Puritanis irruentibus in nos primo in Scotia, ex toto perdiderim. Insuper ego etiam in hoc ipso Regno in consortio degi generosi Domini de Glengaria, Colonelli electi atque victoriosi praedicti D. Alexandri successoris instituti, cum quo iniquissime atque impiissime captus et fere imperfectus fui, mox vestimentis

1793 v
rebusque aliis necessariis furiose et scelerose spoliatus usque

ad Rosaria obedientialesque litteras Reverendi admodum P. Provincialis, quibus omnibus hactenus injustissime privatus existo. Postea jussu cujusdam D. Esmondi, Majoris generalis D. Generalis Prestoni, Praefecto captivorum commissus, a quo ad vivum perscrutatus pro litteris, denique ab ipso statim calumniis oppressus, injuriis persecutus, tandem opprobriis vexatus, in carcerem seminudus et tumultuose conjectus, ita ut in Scotia perversissima a pestiferis et immanibus Puritanis ad ipsum habitum etc. denudatus, et in perturbatissima Ibernia, ubi respirandi locus sperabatur, ab infestissimis et diabolice fratribus re vera infectis ad ipsum Breviarium usque flagitiose privatus fuerim. Igitur cum ulterius in hoc Regno maxime afflito ullibi tute pene Deo atque homini inserviendi facultas negetur, sitque propterea nobis in nomine Domini in Scotiam prima expeditione habenda, pro qua Missionarii constituti sumus, migrandum, auxilium ad id et viaticum ex pecuniis sacrae Congregationis de propaganda fide ad nos ipsos per Dominum Decanum, simul cum novis facultatibus omnino et signanter ab eadem Congregatione destinatis (quas receptas esse a R. admodum P. Provinciale et ab ipsomet | latore, per illustri D. Decano saepius intelleximus, certiusque compemimus) consideratis prius (si placeat) damnis istis mihi et praesertim in Scotia illatis, et actualiter hac in Missione fideliter perpessis, laboribus praecedentibus, et sumptibus in Religiosis pariterque prophanis vestimentis et paramentis, aliisque rebus ad id requisitis, tam pro me quam pro me socio adhuc in vicinia parum infirmo humiliter postulo, ut in eodem Regno Scotiae, juxta quod Dominus gratiam suam est nobis elargitus, non nihil Ecclesiae Dei fructificare possimus. Rogo itaque humiliter Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem vestram quatenus in hunc finem favorable mihi responsum, quamprimum poterit, praebeat. Quod (sicuti clarum est) nostrae rei praeteritae status et praesentis urgentissima exigentia implorat, imo quasi flagitat. Datum Galviae in Conventu nostro Fratrum Minorum strictioris observantiae 9 Januarii 1649.

1794

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae
Humiles filii et obsequentissimi,
Fr. Daniel Mac Neill, Fr. Bernardinus Kelly,
Missionarii pro Regno Scotiae."

(115) Quid Nuncius ad hanc petitionem responderit me latet.

Conjectare autem et plus quam conjectare licet eum tunc horum votis defuisse, cum ipse rebus ad suum statum cum splendore sustinendum necessariis non abundaret, ab Ormonistis tantopere spoliatus.

1794
v

(116) Cum Nuncium e Regno navigaturum esse rumor jam tota Insula vulgatissimus percrebusset, litteras quasdam alio spectantes ad Episcopum Laghlenensem dedit, ad quas ille his verbis respondit :

"Serenissime Princeps.

impud-
entius
1795

(117) "Vestras laetanter accepi, et post diutinam expectationem alicujus consolationis tantum in illis Reverendum Dominum Edmundum Crifferty, sacerdotem laudabilis conversationis mihi a vobis commendatum reperio, qui quamvis sit mihi satis notus, eumque ob ejus innatam modestiam et ferventem religionis Catholicae propagandae zelum summo prosequar amore, tamen ob vestrae Illustrissimae Dominationis commendatitias multo gratior ejus ad me adventus, et longe serius aderunt obsequia, siquae illi praestare potero. Sed, Illustrissime Domine, afflictionem superaddit afflictis filiis rumor vestri ex hoc Regno discessus, cum (si rumor sit veritate fultus) possimus dicere uti dixere discipuli B. Martini : *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis?* Quia procul-dubio *invadent gregem tuum lupi rapaces*. Sed consideratis, visisque mansuetudine, comitate, candore, reliquisque animi tui pulcherrimis dotibus et ingenii ornamentis cum generis claritate et ardentissimo zelo religionis Catholicae propagandae, non possum quin aliquando consolationem expectem, et interim Apostoli verbis consolabor dicentis quod si fuerimus passionum socii, erimus et consolationum. Et parcat mihi vestra Illustrissima Dominatio, quia non possum quin ultra me, etsi imprudentius ingeram. Oro igitur, Illustrissime Domine, ut me, licet inutilem, servorum tuorum numero adnotare dignemini. Non promitto in me plurimam eruditionem vel cumulum virtutum, imo nec virtutis vestigium, aut amplas ingenii mei dotes, quas quidem nec ipse in me deprehendo. Tamen sincerum amorem, fidem integrum, et mutuam (pro posse) benevolentiam fidenter offero. Habebis me semper vestrae Illustrissimae Dominationis observantissimum, et summa animi promptitudine et alacritate mandatis vestris parere paratissimum, interim haud immemorem beneficiorum. Praetermitto illa quae copiose in Confaederatos contulit, et quae eos ab exterminio huc usque praeservabant. Etiam praetermitto

illa bona moralia, quae in utilitatem animarum copiosissime docendo et praedicando verbo et exemplo effudit. Sed intelligo, quae in me collata sunt beneficia, quorum immemor esse non possum. Quare gratiam ac pacem a Deo ac Patre Domini nostri Jesu Christi, nec non summam faelicitatem et dexteritatem in omnibus actionibus vestris cum salute animae et corporis optat vobis et omnibus vestris ex animo, flexisque genibus cordis, benedictionem vestram exposcit

Vestrae Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis
Inutilis servus et famulus,
22 Januarii Fr. Edmundus Laghleniensis Episcopus."

1649.

(118) In hac epistola locus, ubi scripta esset, tacetur, quod ideo factum existimo ne litteris interceptis | innotesceret ubi Episcopus delitesceret, in quem ipsi etiam Catholici Ormonio studentes, nedum haeretici, quod Nuncio fidelissime adhaesisset, excandescerent. Porro paucis diebus interjectis ad eundem Nuncium Episcopus Elphinensis ex Franciscanorum Ordine olim assumptus podagra et senio confectus hanc epistolam dedit : "Illustrissime et Reverendissime Domine.

1795

v

(119) " Non sine singultu et lachrymis, quas ultimo ad me dedistis epistolas perlegere potui, quibus significatis vestrum discessum ex hoc desolato Regno in proximo imminere. Heu me miserum ! Quid fiet de perseverantibus Catholicis ? Omnes praedae patebunt. Ex nobismet ipsis insurgent viri perversi loquentes mendacia, qui et electos examinabunt. Schisma radices aget, pullulabit dissensio. Germinabit perversitas, et (proh dolor) fructus maturabitur haereticus. O Praesul dignissime ! Vides quot mala ex vestro discessu proveniant. Coarctor sane. Nunc enim unum e duobus evenire necesse est, nisi Deus supponat manum suam. Oportet namque aut clavum haereticum haeretico clavo expellere, (et sic forte novissima erunt pejora prioribus) aut certe schismatico gubernio ad haeresim praeambulo parere, et fidei zelum dissimulare, et sic cum Christum Dominum coram hominibus non confitebimus, nec ipse nos coram patre caelesti confiteri dignabitur. Vae mihi, ut quid natus sum videre diem discessus Dominationis vestrae Illustrissimae. O utinam possem in lectica ad littus deferri, ut super collum illud Apostolicum semel procumberem. Sed quia pae tristitia et infirmitate non possum, vestrae | Illustrissimae Dominationis benedictionem humillime exposco, eique sacras manus deoscular, deprecans ut propter Deum hujus

1796

desolati Regni Catholicorum fidelium apud Suam Sanctitatem et Catholicos Principes statum aperiat et proponat, ac causam agat, si forte tandem aliquando respirare possemus. Haec unica spes nostra sub Deo; haec est quae nos alit afflictos. Illustrissime Domine, licet per Vicarium Generalem et officiales ac alios vigilantissimos pastores, nec non per quotidiana mea scripta super animarum cura et reformatione morum gregis mihi commissi pro posse diligenter invigilem, pungentem tamen habeo scrupulum de non residendo personaliter in mea diaecesi. Sed coram Deo et conscientia mea neque redditus habeo ibi, neque proventus honestae sustentationi necessarios, neque fratres Franciscani, apud quos pauperrime manere vellem, possunt sibi de annona providere. Imo omnes alii mei amici ibidem aut sunt deprædati et ad pauperiem redacti, aut adversæ partis socii et factores, apud quos seni deceptibili non est locus tutus. Apage perversorum consortium. Has verisimilis rationes vestrae Illustrissimæ Dominationi humillime repraesento, deprecans quatenus juxta Concilium Tridentinum dignetur authoritate Apostolica declarare meam non residentiam esse tolerabilem, utpote ex rationabili causa et urgente necessitate procedentem, ita ut scrupulum deponam, et manus Metropolitanæ effugiam. Sin minus, Reverendissimus Cluanfertensis insinuavit mihi se velle suum Episcopatum cum meo commutare. Quod si serio dixerit, | et ita velit fore, libenti animo ego annuo, et ex corde volo ut hoc negotium omni licto modo acceleretur. Deus Opt. Max. diu conservet incolumem vestram Illustrissimam Dominationem, eique ventum secundum et prosperum tribuat navigium, ut ex corde optat et oret

Vestrae Illustrissimæ Dominationis

Humillimus filius et addictissimus servus

Kilconnell,

13 Febr. 1649.

Frater Boetius Elphinensis.

(120) Nuncius 19 Februarii Episcopo Laghlenensi valedixit per has litteras.

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

" Decreveram Dominationem vestram Illustrissimam de meo discessu ex Regno opportune admonere, ut et ejusdem voluntati et mihi ipsi satisfacerem. Nihilominus quia certum tempus ac dies determinari nunquam potuit ob varias difficultates navium semper apparatu objici solitas, et jam e contra fregatam itineri paratam celeriter esse a mercatore mihi significatum,

ob ventorum faeliciter afflantium constantiam Dominationem vestram Reverendissimam nec admonere nec revidere ullo modo permittitur. Doleo sane hoc infortunium. Sed gaudeo etiam quod ipsa tanta incommoditate, quam mei causa subiisset, hujusmodi errore liberetur. Navim cras concendam, in alias partes navigaturus. Ubi cumque tamen vivam, eadem semper propensio et animus mihi erit erga Dominationem vestram Reverendissimam, cui et, quantum potero, inservire ac mea opera juvare libenter studebo. Dignetur ipsa id suis mandatis experiri, dum interim Deum Opt. Max. precari enixe non deero, ut illam incolumem servet | ad Catholicae religionis profectum et animarum salutem in hoc Regno, spondens me nunquam cessaturum, tam in Curia Romana et apud Sanctissimum Dominum, quam in quibuscumque aliis locis constantiam vestrae D. Reverendissimae et reverentiam erga Apostolicam Sedem omnibus viribus celebrare, et manus illi officiosissime deosculor. Galviae 19 Februarii 1649.

1797

Dominationis Vestrae Illustrissimae ac Reverendissimae Addictissimus servus,
Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus."

(121) Haud dubito quin ad alios Regni Praelatos tunc Galvia absentes, exceptis illis qui sibi adversati essent, Nuncius similes litteras dederit. Eodem etiam die sex ex Regni Praelatis absolvendi a censuris eos, qui paenitentiam acturi essent, fecit potestatem hoc mandato epistolatorio totidem exemplaribus ad eos missis multiplicato.

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(122) " Ut in hac praesenti rerum ac Regiminis mutatione quantum fieri potest securitati nostrae ac honori Sedis Apostolicae consulatur, decrevimus transacta jam pace ex hoc Regno discedere, ne praesentia nostra videamur aut pacem praedictam aut gubernium non Catholicum approbare, sive autoritatem et facultates nostras ludibrio exponere. Transferemus ergo in proximum littus ultra mare, tribunal nostrum ecclesiasticum, atque in bonum | hujus Regni, Deo dante, quidquid amplius suggerere poterunt vires nostrae toto cordis conatu prosequemur. Ne vero interim timoratis conscientiis scrupulus aliquis inferatur ex incursione censurarum a nobis et subdelegatis Episcopis emanatarum in causa iniquae cessationis cum Domino Barone de Insequin, statuimus intenti semper animarum quieti Dominationi vestrae Illustrissimae

1797

v

delegare facultates nostras specialiter super hoc a Sanctissimo Domino Nostro cum remissione totius causae attributas, ut per se ipsam et alios quoscumque sibi bene visos et approbatos absolvere possit in sua Provincia omnes et singulos, qui quocumque modo praedictae cessationi vel adhaeserunt vel faverunt, imposita iis ad arbitrium absolventium paenitentia salutari. Excipimus tamen, et exceptos omnino esse volumus, omnes illos sive de Concilio Supremo, sive in quacumque alia praefectura aut ecclesiastica aut civili aut militari constitutos, qui causam principalem vel favorem principaliter quomodocumque Cessationi praefatae dederunt, aut principaliter armis eam promoverunt. Quos tamen praevia praestita per illos satisfactione tam de praefato negotio cessationis, quam de omnibus et singulis subsecutis, parati sumus nihilominus Deo atque Ecclesiae per pastoralem clementiam reconciliare. Nolumus autem ut per hunc actum absolutionis, quem libentissime exercemus, et respective exercebimus in posterum, ulla ratione | existimetur nos paci praedictae et nuper conclusae inter D. Marchionem Ormoniae et Confaederatos Catholicos praestitissem ullum sive consensum sive approbationem. Imo cum repetita semper protestatione quod, quemadmodum in ejusdem pacis tractatu et conclusione nullam habuimus partem, ita declaramus nullum deditis vel daturos esse consensum. Poterit Dominatio vestra Illustrissima hanc nostram voluntatem manifestare quibus oportet, ut sciant omnes nos non animo licet corpore a Regno discedere, sed quocumque loco servaturos semper zelum et amorem erga Iberos, quem Catholicae religionis professio et Sedis Apostolicae delegatio imprimunt ac suadent, et Dominationi vestrae Illustrissimae manus deosculor.

Galviae 19 Februarii 1649.

Dominationis vestrae Illustrissimae et Reverendissimae Addictissimus servus,

Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus, Nuncius Apostolicus."

(123) Quatriduo interjecto Richardus O Ferallus, Eugenii O Nelli in suo exercitu legatus generalis, ex suis ad Nuncium dedit litteras his verbis :

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

" Continere me non potui, quin his exprimam dolorem, quo interius angor, quod ad cumulum et periodum miseriarum hujus infelicissimi Regni vestra Illustrissima ac Reverendissima Dominatio illud deserere cogatur, | nosque obedientes filii

tanti praesulis et pastoris privemur praesentia et assistentia.
Vae illis per quod tantum evenit scandalum et confusio. Quibus
(ut spero) illud imputabitur, et non iis, qui omni sedulitate et
bona et sanguinem pro Ecclesia impendere vellent. Inter
quos (obnixe rogo) vestra Illustrissima Dominatio dignetur
meam annumerare familiam de O Fearaill, quam sicut vestra
Illustrissima Dominatio hactenus in obsequium Ecclesiae et
Regni universim tam de Clero quam de populo nemine dempto
invenit obsequentissimam, ita (spondeo) inveniet constantem
in perpetuum. Hoc significare volui, tam in meae in vestram
Illustrissimam Dominationem observantiae signum, quam
ut confidenter sciat, quibus est fidendum tempore opportuno,
aliosque, quorum intersit, de eodem informare possit et velit.
His vestrae Illustrissimae Dominationis sacras deosculor manus,
et paternam exopto benedictionem. Ex campo nostro 23
Februarii 1649.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis
Obedientissimus filius ac servus

Richardus O Fearall."

(124) Verum haec epistola ad Nuncii manus non nisi in Gallia
pervenit, indidemque responsum dedit, quod ob rerum connex-
ionem hic antipro.

"Illustrissime Domine.

(125) "Duas Dominationis vestrae Illustrissimae accepi
per manus P. Francisci Nugentii, eo ipso die scriptas, quo ego,
aspirantibus ventis, ex Iberniae Regno discessi non sine
maximo animi dolore. Dominatio vestra certo persuadere
sibi debet quod inter alios, quos ego invitus reliqui, ipsa est,
eritque semper non solum in mei memoria cum tota ejus
familia, sed etiam in obligatione ipsi inserviendi ubicunque
fuero, sed Romae praecepue et apud Summum Pontificem.
Sit haec epistola pignus hujus obligationis, futuro etiam
tempore. Quid enim non mereatur vir tam insigniter meritus
de religione Catholica atque ipsius cultu, et sancte promittens
semper et ubicunque eandem sententiam servaturus. Deus
Illustrissimam Dominationem vestram faeliciter conservet,
prout praeacatur ei semper

Rothomagi

8 Maii 1649.

Addictissimus servus,

Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus."

(126) Sed in Iberiam redeamus, ubi Massarius, Decanus
Firmanus, mense Maio 1648 a Nuncio Kilkenniae relictus,

1799

exindeque (sicut vidimus) ubi a pseudo-Concilio, pseudo-Comitiis, et Legato Hispanico, D. Didaco de la Torre, varie jactatus, epistola 4^o Decembris 1648 Kilkennia Galviam ad Nuncium Italice scripta : " Ab aliquo (inquit) jam temporis spatio cum Illustrissima Dominatione vestra essem nisi D. Didacus de la Torre reclamasset, procurando mei prehensionem in illius sententiae a Concilio Supremo latae executionem. Jam autem plus quam hactenus in controversiam venit utrum haec potestas laica in me valeat exercere jurisdictionem. Spero futurum ut praefatum desiderium et instantia effectum non sortiatur." Sic ipse, cuius angustias sublevavit paucis deinde diebus interjectis, in Regnum appulsus, novus Regis | Catholici legatus, O Sullevanus Bearrensis, seu Comes de Beerhaven. Qui audita ejus tragedia jussit ut dimitteretur, et Didacus caeptis desisteret, quo facto Massarius Kilkennia Galviam ad Nuncium profectus, inde Florentiam ad Thomam Rinuccinum, Equitem S. Stephani et Nuncii fratrem, 8^o Februarii 1649 Italice scribens : " In publicis (inquit) Comitiis declaratum est me nunquam fuisse carcere detentum, idque ne, quae a Concilio Supremo gesta erant, condemnarentur. Quare mihi subito intimatum fuit penes me esse ut pro libitu vel Kilkenniae persisterem, vel discederem quo vellem. Unde Illustrissimum Dominum Nuncium conventurus 15 diebus jam elapsis me in viam dedi, ante discessum a dictis Consiliariis prosperum mihi iter optantibus visitatus." Sic Massarius.

1799
v

(127) Alii e Nuncii famulitio, ex quo Kilkennia mense Maio 1648 discesserat, ipsi semper assistebant, alii Waterfordiae, alii Duncaniae se tenebant. Quorum Albertum Paolettum et Marinum Pellicanum, sacerdotes Italos, in aliquam a Concilio suspicionem vocatos fuisse reperio. Quare ad 19^m Augusti 1648 Waterfordiam, ubi illi tunc commorarentur, Kilkennia Commissarii destinati, qui causam discuterent, illis monitis, ut in duabus vicecomitum urbanorum aedibus diversarentur, quo alter ab altero separati responderent. Verum ambobus imperium illud tanquam | immunitati ecclesiasticae praejudicantis detrectantibus, id factum ut Commissarii eorum libertatem non coarctarint, nec vim secus intulerint, metuentes ne commota civitate concitaretur seditio in eorum defensionem. Scripserunt autem Commissarii ad Concilium tunc rei successum, dumque novum mandatum expectarent, Paolettus et Pellicanus Waterfordia dilapsi Duncanianam, propugnaculum haud inde valde dissitum, transmearunt, sub Gubernatoris ibi a Nuncio

1800

stantis tutela omnem nacti securitatem, relicto Waterfordiae Ostermano, natione Germano, et reperto Duncaniae Petro Veolano, si non aliis Nuncii ministris. Porro ad Paoletti et Pellicani innocentiam demonstrandam, si omnes aliae rationes deficerent, illa pene sola sufficit, quod pseudo-Concilii autoritate litem illam Waterfordensem in ipsos prosecutus sit Eduardus Briminghamus, qui *insignis fuit ineunte bello pro haereticis Dubliniae contra Catholicos explorator*, quemque vel ex ipsis pseudo-Concilii epistola 18 Maii 1648 ad Nuncium exarata, et suo loco posita, liquet hominem fuisse ex eorum numero, qui turbata Republica de conscientia et fama parum solliciti, suam aliis ad pessima quaeque patranda operam accommodant, quibusque (ut Concilii ibi verbis utar) *aucupari gratiam obsequio et adulacione quaestus est*. Concilii etiam malam fidem haud mediocriter arguit quod nefarium illum nebulonem, nedum ante scriptam illam epistolam, qua ejus nequitiam in confessu posuerunt, sed etiam postea in exequendarum suarum | machinationum instrumentum delegerint, non solum in praefatis duos ex Nuncii comitatu, sed etiam in Zepherinum Barronum, quem cum Nuncio et Eugenio O Nello atque adeo causae Catholicae studere non ignorant, proindeque suas molitiones (sicut in praefati Briminghami epistola 11 Maii 1648 ad Felicem O Nellum, equitem auratum, scripta, et superius collocata, legimus) ei, licet Consiliario Supremo, communicare nollent, eum tanquam laesae Majestatis reum Concilii albo excludendum curarunt, usi accusatore, illo ipso Bretinghamo. De simili etiam artificio Fernensis in sua Apologia Romae anno 1653 tradita loquens: "Illi (inquit) de Supremo Concilio omnes Ormoniani timebant D. Eugenium O Neill tanquam supremum Dominum ambientem, a quo (si victor evaderet) nihil aliud expectabant quam necem vel exilium, incusabantque eum nefandae conspirationis in capita eorum et patriae exitium. Ad probandum hoc conjurationis crimen contra dictum Dominum Eugenium, Reverendissimum Dominum Episcopum Clogherensem, et praecipuos Tribunos et nobiles exercitus Ultoniensis obtulit se quidam Briminghamus, quem pro vaferimo et corrupto viri probi habuerunt. Illi hoc timore consternati maturabant conjurationem cum Ormonio, ut eo duce Eugenium ejusque amicos perderent." Haec Fernensis. O praeclaros Catholicos, Ormonistas, qui in Dei fideique causa promovenda usi sunt tanto zelo et animi integritate. Caeterum quotquot e Nuncii famulitio ab ipso (sicut jam diximus) separati

Doctor
Enos.
Just.
cap. 20.
num. 7.

1800
v

1801 essent, eum demum convenerunt. Idque (credo) cum ejus fregata S. Petro nuncupata, quae cum ad Duncaniae propugnaculum et sub fideli ejus protectione, diu anchoris fundata Concilii et legati Hispanici, D. Didaci de la Torre, minas ac tentamenta declinasset, tandem aliquando, non nullis etiam ex Concilio p[ro]ae conscientiae cauteriatae et famae stimulo conniventibus, post totius Momoniae et Occidentalis Conaciae circuitionem in portum Galviensem 17 Novembbris 1648 intravit, ibique hactenus in Nuncii discessionem requievit.

(128) Cum Massarius anno 1645 ex Urbe in Iberniam redditurus esset, accepit ibi multas Sanctorum reliquias in Iberniam transportandas, et iis, qui recens in illo Regno ad Infulas promoti essent, tradendas, partes ossium Sanctorum Martyrum corporibus extractas, "nempe de capite S. Justinae Martyris ad affectum consignandi Joanni de Burgo, Archiepiscopo Tuamensi; de capite Sanctae Saulae Martyris ad effectum consignandi Waltero Lynchaeo, Episcopo Cluanfertensi; de ossibus Sanctae Dignae Martyris ad effectum consignandi Roberto Barrio, Episcopo Corcagiensi; de ossibus S. Lucidi Martyris ad effectum consignandi Andraeae Lynchaeo, Episcopo Finniborensi; de ossibus S. Siri Martyris ad effectum consignandi Arthuro Magnesio, Episcopo Dunensi; de ossibus S. Aristei Martyris ad effectum consignandi Patricio Plunketto, Episcopo Ardaghadensi; de ossibus S. Marci Martyris ad effectum tradendi Terentio O Brien, Episcopo Immolacensi; de ossibus Sancti Candidi Martyris ad effectum tradendi Olivero Darcio, Episcopo Dromorensi; de ossibus S. Vincentii Martyris ad effectum tradendi Boetio Mac-Egano, Episcopo Rossensi; de ossibus S. Ciriaci Martyris ad effectum consignandi Antonio Mageoghegano, Episcopo Cluanmacnosensi; et de ossibus SS. Firmi et Constantii Martyrum ad effectum tradendi et consignandi Hugoni de Burgo, Episcopo Duacensi; et dictae Reliquiae in praefatorum Praelatorum ecclesiis Cathedralibus publice ad augendam et propagandam in partibus illis fidem Catholicam collocarentur et *exponerentur*. Recepit etiam idem Massarius ibidem tunc S. Fortunati Martyris, S. Calcidonii pueri Martyris, SS. Constantis Martyris et S. Leonini pueri, Martyris, corpora cum vase vitreo sanguine dicti sancti Martyris asperso, nec non corpus Sanctae Xistircorae cum vase vitreo sanguine ipsius asperso et signo palmae in calce inciso ad sepulchrum dictae S. Martyris repertis in signum Martyrii per eam passi, una cum Corpore S. Humilis, pueri, tradenda Joanni Baptistae Rinuccino,

Archiepiscopo et Principi Firmano nec non ibidem Nuncio Apostolico, cuius arbitrio relictum est ut dicta sacra SS. Martyrum corpora posset et valeret in totum vel in partem penes se retinere, quibuscumque personis donare tam in dicto Regno Iberniae quam in quavis alia mundi parte ad majorem omnipotentis Dei dictorumque Sanctorum gloriam et fidelium ejusdem Regni devotionis augmentum." Quas omnes sacras Reliquias Massario 8 Maii 1647 solemniter traditas, et in varias capsulas *cum authenticationibus* Romae reconditas fuisse testatur Instrumentum autographum 18 Maii 1647 sigillo et aliis solemnitatibus in Urbe roboratum, ex quo hoc compendium transcripsi in gratiam eorum, quibus forsitan in Ibernia totus hic pretiosus Reliquiarum thesaurus distributus fuerit, et apud quos forte etiamnum delitescens ab haereticorum Anglicorum Scoticorumque furore praeservetur. Mihi tamen in Iberniae Clerum populumve distributas fuisse non constat, excepto uno corpore sancto, quod in Nuncii Diario atque alibi S. Constantii fuisse lego, cum tamen in praefato authentici instrumenti autographo non S. Constantii sed S. Constantis corpus Nuncio transmissum legatur et nulla S. Constantii mentio ibidem habeatur nisi ubi traditur partem ossium ejus, nec non S. Firmi missam fuisse ex urbe Episcopo Duacensi tradendam. Quare in Nuncii Diario et aliis illis locis non S. Constantii sed S. Constantis corpus potius legendum puto in Ibernia ab ipso traditum. Porro Nuncius cum jam e Regno discedere decrevisset, illud sanctum corpus Roma allatum Collegii Galviensis S. Nicolai ecclesiae donavit, et die Mercurii 14 Februarii 1649 inter solemnem totius urbis supplicationem ideo transtulit collocavitque.

(129) Eadem etiam septimana juxta concessas sibi facultates universitatum ritu cum pompa et examine septem ibi Doctores creavit die Dominica 18 Februarii, et biduo circiter vel triduo subsequenti Episcopos sibi Galviae assistentes, amicos, et Magistratus visitavit, eisque valedixit.

(130) Multas anno 1647, 1648, et 1649 habuit Nuncius ad Clerum populumque Galviensem conciones Latinas, quibus haud mediocrem apud eos in spiritualibus progressum fecit. Verum speciali dignae sunt mentione duae ejus ibi conciones, quarum alteram pro suggestu dixit die Novembri 7a, eaque Dominica, an. 1647, cum Kilkenniam postridie profecturus valediceret, alteram vero ad eosdem habuit 22 Februarii 1649 die Jovis valedicens, ut e Regno in Continentem navigaret. Ambae

1802

1802

v

conclaves largos lacrymarum imbræ Galviensibus et aliis viciniae indigenis tunc praesentibus expresserunt. Quarum prima eo spectabat ut omnes ad religionis causam constanter tractandam exhortaretur, praemonebatque tunc Nuncius ut sibi a falsis fratribus caverent, quod Regnum ipsorum Catholicorum machinationibus velut multis et malignis febribus laboraret, eo tendentibus ut haeresis eorundem Catholicorum male affectorum viribus et molitionibus sensim sine sensu triumpharet. Quod Nuncius tunc potius praedixisse quam praedicasse videtur. In hac autem ultima concione longe expressius id dixit, jam Ormonio in Proregem admisso, et aperta per ipsum porta latissima ad haeresim plusquam postliminio restituendam. Notatu autem dignum est tunc recens in Ibernia innotuisse Carolum 1^m Angliae Regem 31 Januarii Londini a nefariis Parliamentariis capite demum fuisse truncatum, et ne ultima quidem hora haeresim abjurasse. Quod sceleratissimum rebellium facinus et Regis haeretici pertinacia Nuncio quoque in hac ultima concione non nullam orandi segetem suppeditavit. Hujus postremae concionis capita prima non a Nuncio (ut videtur) scripta, sed ab aliquo tunc praesente collecta, ad meas manus pervenerunt his verbis :

"Illustrissimi D. Nuncii valedictio Galviensibus 22 Februarii 1649.

(181) **"A vobis discessurus, statui vobis valedicere (cum vero simillimum sit, me nunquam visurum facies vestras) | insinuando vobis, quod hoc veniens tria mihi proposueram, stabilitatem scilicet religionis Catholicae, reformationem Cleri a supremo Praesulum usque ad infimum Religiosorum, et nexum quendam statuendum inter Summum Pontificem et vos. Neutrum praestiti, meis peccatis id impedientibus et forte vestris. Nec numerus Episcoporum auctus nec ulla mea opera rem a me propositam promovere valuit. Sum primus Nuncius post quadringentos annos a Sede Apostolica ad vos missus, et praescriptum mihi triennium jam explevi, nihilo ex animi sententia praestito. Quare sicut ex hoc ipso loco ante unum instar vaticinii praesagivi ea, quae jam evenisse doleo. Enarrō nunc non tam vaticinium quam historiam futuri temporis, nullum Nuncium Apostolicum ad vos missum iri ad multos annos, quia vos ipsi impedimentum posuistis ne ullus veniat, imponendo vobis caput haereticum. Puto historiam illam lib. 1°. Reg.**

vobis quadrare, de Israelitis, qui flagitabant importune a Samuele dari sibi Regem, malentes Regis terreni quam Samuelis gubernio subjici. Ego moneo ut subjiciamini Serenissimo vestro Regi, sed (si vera sunt quae narrantur) nunc miserrimo, modo non deseratis Samuelém. Monui Excellentissimum per litteras ut acceleraret conversionem, sed hoc non video fieri, nec placent istae rationes ab aliquibus assignatae quod nondum sit tempus, et quod status rerum id non permittat. Non est in potestate hominis suam conversionem efficere quandocumque volet. Non est instar pomi in sacco, quod quis ad libitum possit extrahere. Non omnibus contingit illud quod custodi carceris, in quo detinebatur in vinculis S. Paulus, qui carceris ostium apertum videns, incarceratos dilapsos fuisse arbitratus est, ac ideo sibi ferrum in pectus illico adegisset, | nisi S. Paulus accurisset, qui non solum a vicinae mortis faucibus eripuit, sed etiam verba salutis edocens baptismatis sacramento communivit, et sic uno momento e damnationis periculo ad salutis portum eduxit. Hoc (inquam) non omnibus contingit. Serenissimus vester Rex vel potius nunc miserrimus, quando fuit in Hispania, ducturus in uxorem Regis Hispaniarum filiam, eo fuit adductus argumentis P. Zachariae, Capucini, ut pollicitus fuerit evestigio se Catholicum declarare. Sed Dux Bokingamiae statim ingressus, et ad Principis genua prostratus, lacrymando persuasit ut differret consilium illud (donec consuleret patrem in Anglia) quod P. Zachariae promisit se facturum. Quod si praestitisset, esset nunc gloriosus Martyr, qui pro fidei agnitione mortuus fuisset. Ego multos labores pertuli, multas vigilias passus sum, multas pro vobis fudi lachrymas, nec cessabo, sed (ut potero) efficiam ut Gallia, Italia, et Belgium pro vobis aequa ac pro se ipsis orient. Concipio bonam spem de vestra urbe ex ejus situ et positione, et fortasse voluit Deus me diuturniore moram hic traxisse quam alibi, quia praeviderit aliquid prosperi vobis eventurum posthac. Urbs ista est extrema veteris orbis versus occidentem, et Canada versus occidentem. Auguror ego cum ipsa duo extrema religione Catholica florent, fore ut a duobus istis extremis religio Catholica derivetur in Regna intermedia. Nescio quo casu contingit ut reliquiae S. Constantii, quas hic habetis, a me nihil minus cogitante conservatae fuerint pro vobis, nisi Deus fortasse velit vos monitos ut non solum constantes, sed etiam constantiores sitis." Hactenus illud concionis compendium. |

(132) In hujus scriptae, quae Nuncii stylum non redolet, 1804

Ormon-
ium intel-
ligere
videtur.

1803

v

Act. 2. 4. margine lego Nuncium inter hanc concionem mira cum energia et Apostolica spiritus verborumque digressione applicuisse sibi atque Iberniae Catholicis illud Pauli locum : " Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes per quos transivi praedicans Regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annunciam omne consilium Dei vobis." Et infra : " Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi, et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se."

(133) Finita concione, Nuncius omnibus confuse lachrymantibus benedictionem impertit, et mox eodem vespere navim conscendit, Clero populoque cum militia et praetore Galviensi una cohonestantibus et collachrymantibus, dum ad navim duderent. Ipseque Nuncius Innocentium Xum alloquens : " Triumphus (inquit), quo inter comitantis populi planctus ad navim conductus fui, major extitit illo mei appulsus ante triennium velut jam soli Ministri (Apostolici) persecutionem passi et mendici Nunciaturae, non pecuniarum expectationi, qua anterius tenebantur, exhibitus. Nec Galviensium in omnis mihi intentatae injuriae semper repulsandae constantia, obsequium erga Sanctitatem Vestram majori compensaverim praemio, quam accumulando eorum | merita ad sanctos pedes vestræ Beatitudinis, et illustrando apud archiva Romana, in posteritatis memoriam, hoc exemplum fidelitatis singularis. Remotior orbis Christiani plaga in adorando Summo Pontificatu et defendendis ejus Ministris forsan praebit normam eorum corruptelis, qui sunt viciniores et ad ediscendam, quam fideles suo debent capiti, subjectionem, oportebit ut populi veritatis luce nutriti petant clima, in quo nunquam sol appareat." Sic Nuncius, qui et alibi dicit se inter Catholicas Iberniae civitates non reperisse reverentiores Sedis Apostolicae quam Waterfordiam et Galviam. Quo tamen loco labitur calamo, dum in Lagenia Waterfordiam collocat, Momoniae civitatem sed Lageniae proximam, quam etiam in articulis PP. Jesuitarum Visitatori traditis, et nuper in medium productis, pari oblivione eidem Lageniae Provinciae accensem.

(134) Nuncius illa nocte apud navim ibidem anchoris firmatam transacta, postero die, 23° Januarii 1649, ad auroram ventis vela dedit in eadem S. Petri fregata, qua ante triennium in Iberniam trajecerat. Illa autem die Veneris non nisi Aranias

*Rel.
cap. 36.*

1804

v

*Rel.
cap. 25.*

Insulas praetervectus, nocte sequenti vento aspirante factum ut die Sabbathi ad Sillinas Insulas accesserit. Die Dominica et feria 2a ita ad Angliae oras cursum tenuit, ut illius Regni portus et sylvas prospiceret. Feria autem 2a declinante, non nullis apparentibus navibus Parliamentariis, nautae se in defensionem praepararunt. | Sed ea erat fregatae velocitas ut longe a tergo relictæ naves hostiles ex conspectu evanuerint. Die Mercurii sperabatur futurum ut in Normandia *Portus Gratiae* pertingeretur, sed reflatu etiam inter noctem quinquaginta amplius millaria recessum est. Unde die Jovis ad meridiem non ventum est nisi ad Normandiae sinum S. Vedasto sacrum, ubi anchoris necdum jactis, accessit passis velis navis altera, quæ subito Parlamenti Anglicani insignia explicuit. Quare extrema gaudii luctus occupavit, quod ipso in portu infortunium immineret. Dum autem pugnam ornarent, innotuit esse celocem Waterfordensem, licet Parliamentariis fucum factura eorum insignia gestarit. Itaque a nautis utriusque navis pugnatum est potationibus et congratulatoriis tormentorum bellicorum fulminationibus. Die Veneris Martii 12 juxta Galliae stylum novum, sed 2° juxta veterem in Ibernia vigentem, summo mane Nuncius exscendit, per aliquot ibi dies a viriæ nobilitate Gallicana humanissime visitatus tractatusque, vicissim ab ipso visitata. Quod ad S. Petri fregatam spectat, illam cum ornamentis et instrumentis (sicut in contractus autographo lego) Kalendis quintilibus 1648 Arthuro Lynchæo, Stephani, mercatori Galviensi in 850 librarum sterlingarum mense Octobri 1647 ab eo mutuo receptarum solutionem transcripsit ea lege ut | Nuncius Arthuro fregatam in portu Galviensi traderet, et Arthurus Nuncium atque universum commeatum in continentem eadem fregata transportandum curaret. Porro illa S. Petri fregata ante unius circiter mensis deinde spatium tres naves hostiles cepit, quarum duas Galviam praemisit, tertiam opulentam Ostendæ reliquit, ipsaque ad medium Aprilim Galviam remeavit.

1805

1805

v

(135) Regis Christianissimi Orator, Monnerius, pace jam Kilkenniae promulgata, ex eadem urbe 20 Januarii 1649 cum Massario Galviam ad Nuncium litteras dedit, quibus se propediem ex Ibernia navigaturum significavit, nullumque ei obsequium non obtulit, addens se Galviam etsi Kilkennia valde dissitam ejus visendi causa profecturum, nisi timeret ne interea ventis aspirantibus transfretandi ex urbe Waterfordensi occasio dilaberetur, et subjungens: "Vellem (inquit) ex toto corde

quod Illustrissimi Episcopi, qui hic sunt, tecum ad concordiam redirent, et aliqua submissione id agerent ut non nisi redintegrata amicitia ex Regno solveres. In hoc negotium omnia mea studia intendam, eaque bene fuisse impensa arbitrabor, modo successero." Haec ille Gallice, qui etiam adjecit, se ea lege itinere maritimo supersessurum et Galviam prefecturum, 1806 quo cum Nuncio coram ageret. Ad quae Nuncius | quid vel nunquid responderit me latet? Conatus autem paucis diebus interjectis ab aliquot ex dictis Praelatis in eundem finem adhibitos discas ex ipsorum litteris hic sequentibus:

"Illustrissime Domine.

(136) "Ubi intelleximus Illustrissimam Dominationem vestram parare ab hoc Regno discessum, venit nobis in mentem censoriarum contra hunc populum nuper emissarum, et cum non ignoremus censuras ecclesiasticas sive juste latae sint sive injuste, communiter ab illis, qui tenerioris sunt conscientiae et scrupis vexantur, formidari; quibus, ut remedium adhibeatur, et nulla persona cujuscumque conditionis aut status virtute aut praetextu praedictarum censoriarum (solent enim non nulli pietatis velo perversas machinations et fraudes palliare) praesumat violare pacem jam conclusam cum Rege nostro, et passim per Regnum promulgatam, quae Catholicae religioni ejusque splendori pro temporum ac status nostri conditione bene consulti providetque, et quam populus excusso tandem haereseos jugo avide amplectitur, neve ullus audeat publicam gentis quietem perturbare, aut impedire concordiam. Haec enim natio non nisi per animorum consensionem et vires unitas reflorescat, neque alia excogitari potest aut iniri ratio religionem in hac Insula promovendi. Demum ut penitus deleatur memoria controversiarum, quae inter hujus Regni Catholicos, Sedis Apostolicae observantissimos, et Dominationem vestram Illustrissimam, eximium illius Ministrum, sunt exortae, nos tanquam |

1806 mediatores rogamus Dominationem vestram Illustrissimam, v quatenus populo hujus Regni absolutionem ad cautelam a censoris hactenus latis velit impertiri; quod tam Dominationi vestrae Illustrissimae quam populo gratissimum fore speramus. Data enim hac absolutione Illustrissima Dominatio vestra relinquet post se benedictionem, et universi populi preces ac bona vota vos prosequentur. Quod ad nos attinet, nequaquam tangebamur censoris inflictis. Unde haec nostra intercessio reputari debet ex charitate profecta. Cum itaque ad hanc deprecationem duabus praecipue rationibus permoti fuerimus,

nempe sollicitudine pro animabus ab omni scrupulo liberandis, et amicitia erga Dominationem vestram Illustrissimam, arbitramur nos paternum in gregem affectum et fraternum in Dominationem vestram Illustrissimam officium exhibuisse. Et hae nos rationes, non vanus timor, aut assentatio ad has preces (ita nos amet Deus) impulerunt. Illustrissimae Dominationi vestrae faelicitatem omnem adprecamur et manus deosculamur.

Kilkenniae

25 Januarii 1649.

Dominationis vestrae Illustrissimae

Addictissimi servi

Joannes Archiepiscopus Tuamensis. David Ossoriensis.

Thomas Midensis. Fr. Patritius Ardaghadensis. Oliverus Dromorensis."

(137) Hanc epistolam nullo sigillo munitam (ut ex sequenti Cassiliensis epistolio colligere est) sed apertam Archiepiscopus | Cassiliensis vigesimo deinde et sexto die Cassiliae accepit ab Episcopo Fernensi et D. Nicolao Plunketto, ipseque Cassiliensis in altera ejusdem epistolae (quae consulto haud obserata fuisse videtur ut plurium Episcoporum subscriptiones corrogarentur) pagina adjecit hanc appendicem eidem Nuncio scriptam.

1807

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(138) "Oblatae mihi fuerunt hae litterae Cassiliae per Illustrissimos Dominos Fernensem et Plunquettum, et ego meo nomine, ac quantum debeo ac possum aliorum etiam Praelatorum nomine, instanter oro, ac rogo Illustrissimam Dominationem vestram ut inclinet aures suas ad concedendum quod Domini mei a tergo subscripti, ac ego cum instantia pro bono populi Christiani petimus. Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae manus deosculor. Cassiliae 20 die mensis Februarii 1649.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae
semper studiosissimus

Thomas Archiepiscopus Cassiliensis."

(139) Verum hi libelli supplices Nuncio tantum in Gallia innotuerunt, crediderimque eorum autographum fuisse ulterius missum cum Fernensi et Plunketto, ut id Nuncio (sicut ex ipsorum epistola mox inserenda conjecto) Galviae praesentarent. Qui tamen secunda die post dictam appendicem a Cassiliensi adjectam concendit, et tertia ita velum fecit ut Fernensis et Plunkettus, hoc ad tertium a Galvia lapidem auditio, reces-

1807 serint. | Praefatorum tamen libellorum supplicum si non auto-
 grapha, quae non vidi, certe apographa propria D. Joannis
 Creaghi, Vicarii Generalis Limericensis, manu exarata, ex quibus
 ea in medium attuli, in Nuncii Scrinis asservantur, et alibi lego
 Cassiliensem Joanni, qui post Nuncii discessum in Galliam
 navigavit, eumque ibi convenit, vel autographa vel apographa
 dedisse Nuncio tradenda. Porro in communi quinque Praelato-
 rum epistola multae ineptiae continentur. 1°. Absolutionem in
 scrupulorum remedium petunt; cum tamen certissimum sit
 Ormonistas in induciarum controversia, ob quas censurae
 fulminatae erant, iniquissime se gessisse, et *bibisse iniquitatem ut aquam.* 2°. Absolutionem petunt ut nemo, proindeque nec
 Eugenius O Nellus, nec ejus exercitus, nec alii milleni per totum
 Regnum nova pace cum Ormonio contracta minime contenti
 in eam insurgant, nec eorum vires quasi Ormonistarum excom-
 municatorum societatem horrentes in unum corpus majore
 zelo unionequa coalescant. Quare praefatorum Praelatorum
 petitionem magnopere politicam fuisse constat, sed re ipsa
 Praelatis Catholicis indignam, cum certum sit pacem illam fuisse
 iniquissimam, longeque prudentius ab ipsis et ab omnibus rei
 Catholicae fuisse prospiciendum, si vel tunc illam pacem
 repudiassent, et exploso Ormonio ad primaevam Confaedera-
 tionem et partium Catholicarum concordiam rediissent, Nuncio
 revocato et peracta tot scelerum paenitentia. Quod totum
 verissimum esse ambarum partium Praelati sera nimis experien-
 tia compertum habuerunt, cum | Ormonium (sicut videbimus)
 splendidissima hujus veritatis et experientiae luce demum
 circumfusi exauthorarint anno 1650, cum non superasset malis
 remedium. 3°. Inter alias rationes, ob quas absolutionem petunt,
 hanc assignant: "*haec enim (inquiunt) natio non nisi per animorum consensionem et vires unitas resflorescit.*" Quae ratio
 ipsis jugulat. Nam ab hac animorum consensione discesserant,
 suosque Ormonistas in sceleratissima conjuratione confirmarunt,
 coita cum haereticis societate Ecclesiae et nationi Ibernicae
 exitiali. 4°. Regni Catholicos Sedis Apostolicae observantissi-
 mos esse affirmant. Quod ita verum est ut se ipsis et alios
 Ormonistas, truculentissimos ejusdem Sedis et Ecclesiae adver-
 sarios, nec non alios ejusdem fermenti Catholicos pene horum
 Ormonistarum majores, qui sub retro Principibus haereticis in
 similibus bellis Catholicis pariter caespitaverant, exceperint.
 5°. Se ipsis quia Episcopos haud illis censuris tactos fuisse
 arbitrantur, nec dubitandum quin hoc censeant decepti

privilegio concesso Episcopis cap: Quia periculorum. De sentent. excommunic. in 6°, ubi conceditur Episcopis et superioribus Praelatis, ne ligentur censura generatim lata nisi illorum expressa mentio fiat. Sed respondetur ibi non esse sermonem de censura in genere, sed speciatim de suspensione et interdicto, ut ibi glossa notavit, ac propterea docuit privilegium illud non habere locum in censura excommunicationis in nostro casu cum aliis censuris fulminatae. Quam glossam omnes communiter approbant, ut testatur Suarez, qui eandem sequitur de Censur. disput. sect. 2. Caeterum hunc Episcoporum | jam dictorum locum aegerrime ferens Nuncius optimum in ipsos atque alios ecclesiasticos tot malorum authores excogitavit remedium, quod (ut inferius videbimus) suo Confessario P. Josepho Arcamonio in Urbem Lugduno 21 Julii 1649 significavit.

1808
v

(140) Farnensis (ut dixi) et Plunkettus Galviam ad Nuncium profecturi, tertio ab illa urbe lapide 23 Februarii didicerunt Nuncium eodem die solvisse. Quare Kilkenniam regressi, indidem ultimo Februarii ad Nuncium litteras dederunt in continentem, quas hic ex autographo legas, in gravissimis capitibus mere praestigiosas:

"Illustrissime Domine.

(141) "Nobis ad invisendam Illustrissimam Dominationem vestram Galviam euntibus, et tertium versus eam lapidem attingentibus (nomen loci *Oran*) die 23 Februarii circa horam 12^{am} renunciatum est a duobus Patribus Capucinis Illustrissimam Dominationem vestram solvisse in altum hora octava matutina ejusdem diei. Audito hoc nuncio, Galvia minime visa, illico iter refleximus ad Castrum Illustrissimi Domini Rogerii O Shaughnusie, centes majus infortunium nobis accidere non potuisse. Statueramus ante vestrum discessum Missionis in Curia Romana rationem exponere, pro honoribus a Sanctissimo Domino in nos collatis gratias referre, sacras vestras manus deosculari, benedictionem Apostolicam accipere, multa de Ecclesia Dei utilia afferre, demum peramanter valedicere, et preces (si opus esset) flexis genibus fundere ut vellet Dominatio vestra Illustrissima populo Ibernico Sedis Apostolicae observantissimo absolutionem a censuris hactenus latis imperfiri. | Ita enim reicta genti vestra benedictione omnium preces ac vota vos prosequerentur. Sed jacta est alea, et sors nobis non favit. In hoc etiam noster augebatur dolor, quod certis authoribus intelleximus Dominationem Vestram Illustrissimam non obscura offensi in nos animi argumenta ostendisse, dicendo

1809

1809

v

beneficia a S. Sede Apostolica in nos prolixe cumulata oblivioni nos tradidisse, quod spatio trium mensium non adiverimus Dominationem vestram Illustrissimam ad gratias pro tantis Sanctissimi Domini muneribus ac dignitatibus agendas. Non potuit excidere Dominationi vestrae Illustrissimae nos in ipso nostro ad Regnum appulsa litteris ad vos exaratis pro beneficiis Curiae in nos Romanae grates exhibuisse; aliis postea litteris cunctationis et morae nostrae causas gravissimas intimasse. Certe, uti ingratitudinis labem aversari, ita semper amicitiae atque optimorum officiorum meminisse assuevimus. Morae atque absentiae nostrae semper eadem duravit causa, nempe cura et anxietas ne periret Ibernia discordiis misere lacerata. Quippe vidimus clare unionem Regni penitus dissolvendam, sine qua non magis subsistere valuit populus, quam homo sine anima vivere. Planximus controversiam inter Dominationem vestram Illustrissimam et populum exortam. Erat enim inter vos chaos magnum. Noluit Dominatio vestra Illustrissima populum absolvere, nisi humilitatem et culpam in controversia agnoscentem. Talem autem humiliationem et paenitentiam nullis impetrare precibus potuimus, quia se innocentem aestimavit. Testis est Deus omnem nos operam et diligentiam in arduo hoc negotio collocasse. In publicis Regni, quibus nos supervenimus, Comitiis civitates, oppida murata, duo Archiepiscopi, Episcopi decem, tres Comites, Vicecomites duodecim, Barones septem, Equites aurati viginti, Armigeri, et Generosi ex tribus Lageniae, Momoniae, et Conaciae Provinciis praecipui, ac de Ultoniae Provinciae viris nobilissimis non nulli. Demum omnes hominum ordines propendebant ad pacem cum Serenissimo Domino Rege ineundam, illam in malis, quae patiebantur, gravissimis remedium unicum arbitrantes. Nihil enim in Regno videre erat nisi vastitatem, orbitatem, famem, desolationem. Unde vel eo tempore pacem ferire, vel Iberniam perdi necessum fuit, et ipsam religionem periclitari. Quid amabo in hac rerum trepidatione factu opus? Certe ne omnia in pessum irent, maluimus in Assemblea stare, quam in latebris nos abdere, pro patria pugnare, pro pietate certare, omnia quantumvis difficilia et adversa tentando, ut patriae ruent ac religione bene esset. Haec anceps pacis decertatio fuit vera cunctationis nostrae causa usque ad 17^m diem mensis Januarii, quo tempore pax fuit conclusa. A pace contracta effluxit mensis integer in scribendo milite contra hostem patriae ac religionis, in electione tribunorum ac Ducum,

eorumque, qui Praesidiis et castris praefici debeant, in pecunia ad bellum sustinendum necessaria cogenda. Haec omnia spectabant ad securitatem religionis, vitarum, fortunarum, ac proinde abesse nullo modo nisi reclamante conscientia licuit. Absoluti vero hisce de rebus, et statuta resolutione, continuo iter arripiimus versus Dominationem vestram Illustrissimam, quo animo et studio testari potest inter alios Illustrissimus Dominus Episcopus Immolacensis, viae ac desideriorum nostrorum socius. Quod si forte ita sit, ut non habeamus pristinam gratiam in oculis vestris, quia cum universo Regno in predicta pace consensimus, paenam luimus sine culpa. Nam si quidpiam timore aut amore potestatis humanae a nobis perperam factum fuit, severe nos plectat potestas Divina. Obtendent fortasse aliqui hac pace pietatem ex Ibernia proscriptam. Longe aliter se res habet. Nam tantum abest ut proscribatur, ut potius per hanc pacem pro temporum ac status nostri conditione religioni ejusque splendori et libero tutoque exercitio bene consulatur. Quod autem favorabilior et amplior non fuerit, culpa id nostra minime accidit, sed illorum, qui Iberniae unionem bonorum virorum constantia, vigilancia, indefessis laboribus septennio integro conservatam nimis infaeliciter lacerarunt. Quod attinet ad censuras contra populum emissas, licet eis nullatenus nos tangebamur, formidandas et non spernendas duximus diximusque, quamquam sincere optavimus aut nunquam fulminatas fuisse, aut cito extinctas. Cum igitur, quam Deo et patriae debuimus, cura nos tamdiu impedierit ab humanitatis officio debitaque observantia Praesuli tam eximio ac Sedis Apostolicae Nuncio, obsecramus rogamusque ut non culpemur damnemurve innocentes, sed patiatur Dominatio vestra Illustrissima ut nostram causam dicat agatque veritas, bonae in nobis conscientiae testis, quae continuam D. V. Illustrissimae benevolentiam et in nos amorem jure vendicat, cuius rei indices *Gratiae* vestrae litteras videre avide exoptamus. Interim orare non cessabimus ut Deus diu sospitet Dominationem vestram Illustrissimam, | cui sacras manus deosculantes, Apostolicam benedictionem humiliter flagitamus.

1810

1810

v

Kilkenniae, Dominationis vestrae Illustrissimae
 ultimo Februarii Humillimi addictissimique servi
 anno 1649. Nicolaus Fernensis. N. Plunkett."

(142) "Ob infirmitatem oculorum non poteram hanc epistolam propria manu describere.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Humillimus addictissimusque servus

Nicolaus Fernensis."

(143) Multa continent hae litterae hic refutanda, nisi jam superius refutata fuissent, quae propterea hic non refuto, ne earundem rerum repetitione lectorem taedio afficiam. Non nulla alia breviter tango. 1°. Dicunt in Comitiis, quibus supervenerant, fuisse duos Archiepiscopos et Episcopos decem. Certum autem est, quod superius vidimus, Comitiis ante eorum appulsum non nisi octo Praelatos interfuisse, a Regni Clero et Nuncio, ex quo censurae mense Maio fulminatae erant, semper alienatos. Quibus Fernensis tanquam nonus adhaesit, et ipsius atque earundem fraudibus factum ut decimus et undecimus, nempe Archiepiscopus Cassiliensis et Episcopus Waterfordiensis, postea accesserint, praeter quos non reperiet duodecimum, praeterquam Duacensem, quem ex ipsius verbis 17 Novembris 1653 Londino Romam ad Massarium scriptis, et superius laudatis, liquet, pace jam conclusa pridie quam promulgata esset, ex Hispania Kilkenniam, ubi Comitia illa celebrarentur, advenisse. 2°. Ex Ordinum Regni consensione in illa pace contrahenda validum | argumentum confidere sibi videntur. Verum Comitia illa ex Ormonistis et haereticis omnem suffragandi libertatem praeripientibus compacta fuisse jam ostendi, et notorium est, ipseque Fernensis in sua Apologia Romae anno 1653 tradita ingenue fatetur. 3°. Dicunt eo tempore pacem ferire, vel Iberniam perdi necessum fuisse, et ipsam religionem periclitari. Verum illam pacem Nationi et religioni fuisse exitialem experientia docuit, et ipse Fernensis ad se conversus in praefata Apologia testatur, et aliunde est longe certissimum. 4°. "Haec omnia" (inquiunt), nempe functiones, quibus ab inviso citius Nuncio praepediti essent, "spectabant ad securitatem religionis, vitarum, fortunarum." Quod usqueadeo a vero aberrat, ut potius spectarint ad Ormonistas, Ormonium, et alios haereticos in throno collocandos, adeoque ad religionem, Clerum, fautoresque toto Regno primum deprimendos, deindeque exterminandos. 5°. "Si quidpiam (inquit) timore aut amore potestatis humanae a nobis perperam factum fuit, severe nos plectat potestas divina." Cujusmodi imprecationem (ut semel dicam) in Fernensis litteris crebram lego nimia confidentia (ut videtur) frequentatam, cum

difficillimum sit hominibus, etiam sanctis, penetrare in suam cordis intentionem, et certo scire, quo spiritu ducantur? 6°. Hac pace pietatem non proscriptam asseverant, quod quam falsum sit numero 4 tetigi, et superius fusius demonstraveram. 7°. Quod pax favorabilior non fuerit, id asserunt non sibi sed illis vitio vertendum, qui Iberniae unionem lacerarunt. Quo loquendi modo omne Regni infortunium tacite in Nuncium, et e Clero populoque partes ipsi adhaerentes (ut videtur) refundunt. Quod quantum | piaculum sit, et quot quantaque hoc uno eorum peccato peccata involvantur, ex narrationis serie, et ex ipsa Fernensis Apologia jam memorata patet. 8°. Optarunt censuras aut nunquam fulminatas fuisse, aut cito extinctas. Quibus verbis Nuncium et Praelatos, censurorum fulminatores, ipsasque censuras occulte redarguunt, cum tunc illi prudentissime sanctissimeque se gesserint. 9°. Exspectant a Nuncio litteras, ejus benevolentiae redintegratae obsides. Verum Nuncius quantopere ipsis succensuerit, inferius videbimus. Denique hujus epistolae apographum Ormonistis traditum fuisse video in Nuncii partiumque ejus contumeliam, usque adeo ut Philopater Irenaeus, Ormonii et Ormonistarum apologista, eam suis *Vindiciis Catholicorum Iberniae* apud Urbem damnatis inseruerit, tanquam copiosissimam gravissimorum argumentorum, quibus suo Ormonio atque Ormonistis patrocinari conatur, et Nuncium ejusque partes calumniatur, officinam.

1811

v

Lib. I.
p. 178.

(144) Heu quantopere Nationis et religionis excidium maturavit hujus Episcopi Fernensis (nam Plunkettum virum laicum haud adeo descivisse miror) et illorum aliorum Praelatorum, quorum alii non inducias sed hanc pacem iniquissimam, alii etiam induciarum conjurationem promoverint, pudenda ad Ormonistas et haereticos defectio, citra quam alii Ormonistae nunquam praevaluissent, cum eorum factio horum Antistitum autoritate steterit, secus a plerisque deserenda, et proprio pondere corruitura. Quare ausim affirmare omnes haereticorum pseudo-Episcopos et ministellos centum retro annis in Ibernia coaxantes, haud adeo ac hos | Antistites Catholicos religioni et pietati praejudicasse. Hi enim magna apud populum Catholicum fide valentes, nec alium scopum quam Nationis et religionis orthodoxae bonum suis molitionibus praetendentes, facili negotio multitudini fucum fecerunt. Illi vero nebulones aperto Marte et deposita larva haeresim intrudere conati, oleum pene et operam perdiderant, usque adeo ut manifesti toxici

1812

horrore Ibernos in fide constantiores reddiderint. Porro ante alios ingentem mihi stuporem Fernensis peperit. Qui tanto ad annos superiores zelo flagrare visus erat, ut omnes in sui admirationem rapuerit, cujusque tractatus Latine compositus, et manu propria exaratus usque in diem hanc extat in Nuncii archivis, superius ad annum 1646 in medium productus, quo docemur quantopere in hac ultima pace cum Ormonio acceleranda a sua ipsius sententia recesserit, homo versatilis, et adeo sibi parum constans, ut judicii inopia laborasse videatur.

(145) In litteris ad Nuncium tunc ex Ibernia scriptis lego, creditum fuisse Fernensem et Plunkettum re ipsa Nuncium Galviae convenire noluisse, sed praeclaros illo itinere egisse simulandi et dissimulandi artifices, ut ex una parte Galviam ante Nuncii discessum non pervenirent, et ex altera haberent unde se illi purgarent. Quicquid autem sit de eorum mente, Episcopus Immolacensis, Nuncio fidissimus, quem illi hic attestantur, eidem Nuncio 6 Martii in Continentem inter alia scripsit illos se in socium assumpto in fines ab ipsis eorum epistolae insertos iter illud suscepisse, et tertio ab urbe Galviensi lapide una tres didicisse, Nuncium eodem mane solvisse.

1812

v

Sed plane miror qua fronte illi duo Nuncio se | praesentare cupierint, cum pro certo habendum sit, pace illa cum Ormonio contracta factum ut Nuncio Ibernia exeundum fuerit. Quare quotquot Ormonium tunc in throno collocarunt, reipsa Nuncium Regno exploserunt, licet ille per prudentiam non expectarit ut ultima sibi vis inferretur. Porro lectorem rogo ut hic ipsius Fernensis Apologiam ad annum 1653 positam legat.

(146) Cum Confaederatio Catholica in hunc funestum finem desierit, jam mihi restat ex rebus inter hoc bellum gestis colligendum praecipuos Ormonistas (ut Nuncius suae Relationis cap. 3°. optime notavit) Ecclesiae Ibernicae postliminio restituendae, haereseos extirpandae, et fidei cum splendore propagrandae zelum privatis commodis praetendisse, et sub hoc specioso religionis pallio Summorum Pontificum Urbani VIII. atque Innocentii X, nec non aliorum Principum Catholicorum subsidiis, Cleri quoque Ibernici fautorumque, et praesertim veterum Ibernorum ope atque opera, sanguine et substantia usos fuisse ut mixtum quoddam regimen in Ibernia erigerent, quo a duobus extremis caverent, et res ad statum inter illa duo medium sibi utilem redigerent. Ormonistarum siquidem majores ex Anglia plerique oriundi coronae Anglicanae dominatu agros veteribus Ibernis eruptos vel praedia ecclesiastica ab

haereticis Angliae Principibus in eo Regno male parta ne perderent, eidem coronae etiam in haeresim lapsae in alios Insulares subinde fidei causa bellantes militaverant, et magno numero eorundem Catholicorum bellis illis demum | fractorum deletorumque possessionibus ab eadem corona acceptis ditati speraverant futurum ut ipsi posterique propterea aulae favore semper pollerent, atque in obsequii praemium ad publica Regni officia assumerentur, perque omnia bene tractarentur. Verum bellis illis finitis, et Jacobo, deindeque Rege Carolo 1° per diuturnam pacem eorum ope atque opera simili non indigentibus, ita successit contrarium, ut suam persecutionis sub Jacobo crudelis, sed sub Carolo mitigatae partem devorarint. Quare ad hujus belli initium partim ipsi, partim filii nepotesve plenum ab Angliae Scotiaeque rebellibus haereticis sibi exitium metuentes, ita declinandae hujus procellae necessitate pressi cum aliis Regni Catholicis faederi nomen dederunt, ut mixtum illud et medium Regimen sub Ormonio in factionis coryphaeum cooptato intrudere semper sategerint, quo nec haereticorum furori usquequa succumberent, nec Insula, ne aborigines et Clerus sua repeterent, plenam libertatem recuperaret, sed pax tepida contraheretur, qua fieret ut ab utroque illo extremo caverent, et sub Ormonii, cuius pollicitationibus inescabantur, imperio mediam quandam libertatem participarent. Et hanc quidem Ormonistarum praecipuorum mentem fuisse ex ipsorum operibus cognoscimus, exceptis aliquot veteribus Ibernis, qui proprio commodo aliunde petito vel aliqua eorum necessitudine ducti ipsis improvide cohaeserunt. Sed justus Judex haud permisit, ut medius ille eorum status | praeterquam paucis mensibus ullam ipsis votorum assequendorum spem faceret reliquam, sicut inferius videbimus, ubi Nuncii res in continentis gestas ejusque iter recensuerimus.

1813

1813

v

(147) Ille Galliam bello non solum externo, quod cum Hispano ante multos annos gestum continuabatur, sed etiam intestino turbatissimam reperit, Parlamento Parisiensi, ejusque per universum Regnum numerosissimis et potentissimis fautoribus non (ut aiebant) in Regem aut Reginam Regentem, sed in Cardinalem Mazarinum, status Gallicani tunc Ministrum principem, bellantibus, quem Rex et Regina ita armis propugnabant ut Gallia miserandum in modum mutuis illis cladibus et direptionibus deflagraret. Hinc Nuncius apud illum Galliae locum, in quem exscenderat, aliquot dies respiravit, expectans ab Aula Gallicana fidem publicam, qua iter securus prosequeretur.

Interea ex eodem loco ad Cardinalem Panziolum dedit Italice hanc epistolam :

Reg. p. 714.

1814

(148) " Paucis navigationis diebus longe plus quam ab integro animi et corporis afflictionum anno jactatum me venti egerunt in pauperem locum ex oris Normandiae. Mens erat excedere ad *Portum Gratiae*, quod mercator, qui S. Petri fregatam comparaverat, se Ostendae | credendum non duxit, ne ab Hispani Agente aliquam molestiam pateretur, nec ego desideravi progredi in *Canale* hodie Parliamentariis usquequaque pleno, quos evasimus cum aliquo notabili periculo. Superstes tamen sum, et incolumis cum universa mea familia et scripturis ac Regestis, *quae perpetuam mihi semper peperere sollicitudinem*.

(149) " Reperio in Gallia multo maiores perturbationes quam reliqui in Ibernia, quarum haec Normandiae provincia plus quam aliae particeps esse videtur. Declarato enim a Regina in Gubernatorem Comite Harcourtensi, caepita est sanguinis effusio adversus Ducem *Longae Villae*, qui Parlamenti partes sequitur, et sic omnia posita sunt in confusione ac discrimine. Mente destinavi ab omnibus obtinere fidem publicam, et pedem figere Rothomagi, qui locus mihi videtur ad litteras omnes, quae ad me in Gallia et Flandria pertinent, recipiendas idoneus, ubi etiam facili negotio exequi potero omne mandatum mihi a Sua Sanctitate injungendum.

(150) " Non incidit mea discessio ex Ibernia in id tempus, quo me discessurum scripseram. Mox enim ac animadverti ratam fixamque fuisse factiosis sententiam introducendi omnibus quibus possent, viis, Marchionem Ormoniae, proposui non discedere usque ad ultimam pacis publicationem, quod judicassem meam praesentiam esse maximum fraenum Episcopis alienatis, | quo non in omne malum se praecipites darent, et laicis ne rem patrarent aperte suspectam cum periculo reversionis. Et sic pace publicata, nec non Marchione in throno collocato, subito declaravimus ille quidem se, dum Papae Legatus in Regno resideret, suam provinciam obire non posse, ego vero me amplius Nuncium esse non valere apud illos qui Domini cum essent, se suapte sponte in haereticis servos induerant. Et sic jussi discessionem. Quae (quantum mea infirmitas comprehendere potest) secuta est cum meae personae honore et populi affectu, qui inter praesentes circumstantias desiderari posset, maximo. Nam quandiu mihi visum est permansi. Quando volui, discessi ipsissima, qua appuleram, navi, non obstantibus insidiis et temeritate adversariorum eo progres-

sorum ut Clanricardii opera apud Comitia institerint, quatenus ad me explodendum exercitus mitteretur, et non obstante quod sub variis praetextibus S. Petri fregatam usque ad diem ultimum cupierint et impedierint, quo ad ipsorum beneplacitum juxta conjurationis articulum abscedere cogerer, idque prima navi quae casu se offerret. Nec Eminentia Vestra credere posset quanta fuerit in hoc proposito civium Galviensium constantia, qui haec omnia acta ridebant, et tantam in Sedem Apostolicam demonstrabant observantiam, ut animadverterim majori eorum parti fuisse decretum me, si opus esset, armis defensare. Cujus observantiae tot meae discessionis die exhibuere specimina, | ut triumphus, quo inter populi planctus et associationem ad navem deductus fui, illo mei appulsus ante biennium major evaserit, velut jam exhibitus soli Ministri (Apostolici) mendici et persecutionem passi Nunciature, non rei pecunariae expectationi, qua tunc occupati erant. Ob easdem etiam rationes de die in diem magis magisque benedico meam Kilkennia egressionem improvisam, et censorum promulgationem, quae temerarias Ormonistarum cogitationes executione frustraverant. Id enim quod Galviae effectum sortiri non potuit, 1815 ipsis cum Sedis Apostolicae ignominia Kilkenniae successisset.

(151) "Illi deinde ex parte bene affecta boni Episcopi, ecclesiastici, et pace male contenti numero infiniti nullum fecerunt finem instandi apud me, ut discessionem ulterius differrem, et expectarem donec D. Eugenius de novo moveret. Quae expeditio est ultima eorum expectatio, velut qui post meum discessum se immolant persecutioni atque insolitae, quia a Catholicis inferenda. Verum ipsis perspicuum feci me sine meae et personae et dignitatis discrimine permanere non posse, eosque consolatus sum publicando me nullo modo Nunciature titulo aut authoritati renunciaturum, donec ipsa Sua Sanctitas eo me officio abdicaverit, et fore promptum ad inserviendum omnibus, atque ad omnes recipiendos, et denique ad ipsam nuditatem cum ipsis et pro ipsis amplectendam. Quod autem ad D. Eugenium attinet, cum eum prae rei numariae et apparatus bellici inopia receptui cecinisse viderim, haud multum ab ipso expectare valeo, non obstante ejus cum | Marchione Ormoniae inimicitia. Eum semper usque ad diem ultimum continui a coalescendo Parlamentariis, nec propterea eum unquam monui ut se cum Marchione conjungeret. Quicquid homo miseratione dignus faciet dependebit a necessitate vel desperatione, licet demum (et utinam non sim propheta) *omnia*

1815
v

cum religionis excidio in Parlamenti potestatem redigenda sint vel armis vel solitis Ormonii atque Insequinnii proditionibus, qui semper ob propria commoda Catholicam deserent confederationem, et cum iis qui vicerint societatem coibunt.

(152) "Explicari autem nequit Agentes, qui istinc venerant, quantas in hac pace concludenda partes egerint, usque adeo ut multi existiment totius fuisse authores, et *profectos fuisse Romam haud alia mente quam ut novas assequerentur suppeditias ad Marchionem possuminio restituendum, et ad eum subsidiis apostolicis praemiandum.* Quo pacto post eorum redditum se gesserint erga me et in censurarum negotio Eminentia vestra (ne epistolam prolixiorem reddam) in folio separato leget, cum ille tractandi modus mihi videatur singulari correptione dignus in hominibus, quos Sua Sanctitas recens beneficiis affecerat, et cum quibus specialem semper foverem amicitiam, nec tamen tantam quin Eminentiae vestrae scripserim, hodieque credam eorum affectatam dexteritatem Regni fuisse ruinam.

(153) "Et licet diebus ultimis operam dederint ut mihi persuaderent se cum Episcoporum alienatorum et forsan Concilii litteris me converturos, | quatenus a me absolutionem obtinerent, ego tamen velut qui nunquam id credideram, summopere cordi habui ut mercator, ad quem navis spectabat, ulterius non expectaret, ne me ferendo alicui ludibrio obnoxium viderem. Et quomodo, Eminentissime Domine, ipsis in hoc fidem habere poteram cum non viderem quod interceptas litteras aut raptas negatasque pecunias mihi restituerent, cumque iisdem diebus Comitia in flagitiis omnium, quae unquam patrarint, maxime execrabilibus se voluntarint, proponendo decretum de non admittendis imposterum Ministris Pontificiis. Quod cum quodam vespere, quo Episcopi vel casu vel consulto non aderant, conditum esset, et Decanus Firmanus cum ipsis ea de re expostulasset, postridie revocatum fuit. Pari modo quid sperari poterat ab iis, qui virtute articulorum pacis suapte sponte hodie omnes haereticos, qui se pro Rege facturos declarant, in sua bona restituunt, et consequenter Roscommanniae Comitem, cuius loca triennio elapso viginti sex millibus scutorum a Summo Pontifice suppeditatis expugnata erant, in ipsis possessiones invitarunt, ferentes ut pecunia Pontificia (quod mihi horrorem incussit) conduceat ad haeresis exaltationem. Itaque Deo gratias ago quod negotium sic peractum sit, et nemine expectato, mihi successerit discedere cum omni debita animi generositate.

(154) "Haud ignoro quod, si quis de rebus vanis gloriari vellet, allegare posset hujus pacis articulos esse omnes vel plerosque ex illis, qui in Congregationibus coram me stabiliti fuerant pro religione, et in praesentibus angustiis haud parum fuisse | vel hos obtinere. Verum ego infaelici adeo gloriae renuntio, et scriptura pariter separata demonstrabo rem nec pejus praestari, nec minori cum securitate aut majori detimento concludi potuisse, stratamque fuisse viam ad redeundum demum sub Parlamenti imperio instar Angliae.

1816
v

(155) "Eminentissime Domine, essem inconsolabilis viso quod tribus annis cum medio mihi non successit ne hanc quidem minimam afferre satisfactionem magnae Summi Pontificis bonitati, nempe ut Prorex Catholicus illam Insulam moderaretur. Verum Deus scit quanta dixi, feci, et passus sum. Sed mea peccata omnibus aliis praeponderarunt. Historiarum ecclesiasticarum lectio me aliquatenus consolatur, dum lego viros tam egregios in Regnis etiam minus longinquis habuisse successus maxime contrarios, nempe Cardinales Caetanum et Campagnum quoad res ecclesiasticas, et Caesarinum ac Butenum quoad res militares. Ad nihil ego profeci nisi ad hanc miseram pacem tribus amplius annis praepediendam, et ad augendum aliqua ex parte cultum divinum. Sed si Eminentia Vestra eo me honore dignetur ut ingenuo loquendi potestatem faciat, spero me non nihil profecisse in detegenda illorum factiosorum *Anglizatorum*, qui dominantur, inclinatione, ut imposterum homines non sint istic tam faciles in celebranda apud Suam Sanctitatem eorum animi puritate et candore, cum de facto ecclesiam Romanam non revereantur, nec ejus rationem habeant, ipsissimaque pene Henrici 8 et Reginae | Elizabethae dogmata profiteantur.

1817

(156) "In quo statu censorum negotium reliquerim colligit Eminentia vestra ex quadam tertia scriptura, quam, nec non alias duas jam dictas, per hunc alterum tabellionem recipiet. Cum autem per litteras 16 Novembris datas Eminentia vestra dignata sit mihi significare futurum ut ad P. Carmelitae appulsum in nullam iretur sententiam, nisi mihi prius communicandam, ego r^o debitas ipsi ago gratias, deindeque humillime precor, ut hoc judicium suspendat, donec in rebus narrandis debito et conscientiae satisfecero, earumque status bene relatus fuerit, et qua debo resignatione moneo multum interesse ut expectetur, donec aliquis rerum, ex quo discessi, successus innotuerit, qui infinite conducere poterit ad causae cognitionem.

Itaque si viae Parisienses securae fuerint, resumam exercitium scribendi cum quolibet tabellione non sine gravi animi mei dolore intermissum exilio et angustiis Iberniae, atque hostilibus litterarum mearum omnium interceptionibus, quae molestiae mihi impetrabunt ab Eminentiae Vestrae clementia licentiam hujusce minus forsan familiaris exclamationis: Beati Nuncii continentis, cum illi, qui apud Insulas resident, quando non eo rediguntur ut ab hominibus incarcerated sint, saltem in naturae ergastulo semper versantur. Manus ipsi humillime deosculor. Datum S. Vadasti 14 Martii 1649."

(157) Hanc epistolam scriptam fuisse moneo biduo post Nuncii excensionem in terram Gallicanam, proindeque ante receptum communis epistolae ab Episcopis absolutionem ad cautelam Regno postulantibus ipsi 25 Januarii scriptae apographum, et ante receptas litteras, quas ipsi a Fernensi et Plunketto die ultima Februarii 1649 scriptas fuisse vidimus. Quod indico ut sciat lector Nuncium praefatam suam epistolam 14 Martii perinde scripsisse ac si praefatae binae litterae nunquam ad ipsum datae fuissent, quarum utique nullam nisi postea hausit notitiam. Porro in praefata Nuncii epistola 14 Martii ad Cardinalem Panzirolum data vidisti fieri mentionem trium aliarum scripturarum tunc indidem ad Suam Eminentiam a Nuncio Italice missarum, quarum 1a circa Episcopum Fernensem et D Nicolaum Plunkettum Romam a Confaederatis anno 1648 destinatos, eodemque anno in Iberiam regressos, 2a circa censuras in Ibernia anno superiore fulminatas, et 3a circa pacem illam nuper cum Ormonio contractam versabatur. De quibus tribus nunc agendum est, earumque 1a hic sequitur:

"De Agentibus Romam destinatis.

(158) "Contentus est D. Nuncius excusatos habere Dominos Agentes quod reliquerint in Gallia litteras ipsis consignatas ad ipsum transportandas (inter quas certum est fuisse non nullas ex palatio (Apostolico) missas, et aliquas alias magni momenti cum diplomate Pontificio quod expectabat); cum enim sciat eos cum iisdem reliquisse pariter non nullas ipsorum res in quadam capsâ, eadem ipsi videtur subeunda fortuna, licet hodie ob suum ex Ibernia discessum fieri non possit ut eas recuperet, cum nesciatur ubi arca sit, vel quis clavem habeat? Unde primo transportanda est in Iberiam deindeque litterae dirigendae. Bene tamen verum est enervari aliqua ex

parte excusationem, et subintrare aliquam culpam, cum iidem Domini (sicut inferius dicetur) secus nihilominus transportarint ex iisdem non nullas, quae ad sua ipsorum consilia quadrabant.

(159) " 2. Idem D .Nuncius pariter contentus est excusatum habere Episcopum Fernensem circa sequens negotium. Ad eum Nuncius per anticipationem notis arcanis dedit epistolam, magnauste dexteritate id effecit ut ad sui Secretarii, qui in Duncaniae propugnaculo se tenebat, manus pervenerit, quo eam ex cypris in communes apices resolvendam Episcopo, statim atque appulisset, traderet. In ea Nuncius ipsi virtute authoritatis Apostolicae praecipiebat ne Tuamensi electo pallium consignaret, donec suam Dominationem convenisset. Cum autem Episcopus non comparuisset antequam praedictus secretarius Duncania discederet, hic epistolam ex cypris in communes apices resolutam reliquit P. Gelasio, propugnaculi Capellano, viro fidelissimo, qui promisit et saepius repetiit se citra moram suo debito satisfacturum, et creditur sic egisse, cum Episcopus bis a reditu Duncaniae fuerit, nullaque sit ratio suspicandi Gelasium suis partibus defuisse. Hoc tamen toto non obstante, ille Kilkenniae subito pallium electo consignavit. Nihilominus cum hic non sit evidentia, sed sola certitudo moralis, quae aliquam admittit suspicionem in contrarium, cumque fieri possit ut Capellanus rem oblivioni tradiderit, vel sententiam mutaverit, haec accusatio transeat aequa incerta atque superior.

(160) " 3. Hi Domini mox ac Kilkenniam pervenerunt tanto-pere pacis cum Ormonio contrahendae negotium cordi habuerunt, ut absolute evaserint duo ejus promotores principales, seque ita gesserint, ut omnes Episcopi qui interfuerunt, multique alii litteris significant quicquid boni vel mali pax continuerit totum D. Fernensi et D. Nicolao Plunketto ascribi debere. Quisquis etiam penitus quam hucusque non introspicit, credit et credit fuisse ipsis Romae datum in monitis ut pax cum Marchione concluderetur, et totum esse factum cum expresso consensu Suae Sanctitatis et Sacrae Congregationis.

(161) " 4. Ab appulso mox omnium illorum Episcoporum alienatorum et aliorum amicorum auribus insusurrarunt Suam Sanctitatem, non nulos Cardinales, et totam Aulam (Romanam) de facta a Nuncio suisque delegatis censurarum fulminatione male sensisse. Quo officio Nuncii autoritatem tantopere debilitarunt ut cum dixisset et chartae etiam mandasset Suam Sanctitatem litteris 7° Septembbris datis totam causam ad ipsum

1818
v

remisisse, nullamque Appellationis instantiam admittere voluisse, eodemque spectans Breve promisso, ne unus quidem ex illa factione inventus sit qui ipsi crediderit, multique eum ludibrio habuerint. |

1819 (162) "5. Apportarunt secum epistolam a Cardinale *Roma* ad Nuncium sigillo volante directam, qua Sua Eminentia cum maxima benevolentia ipsum monitum habuerat, audita Romae excommunicationis fulminatione, de ea, nec non de ejus authoritate sententias variasse, proindeque ei ut omnes ad cautelam absolveret, author erat, cupiens ut comparatae hactenus a Nuncio gloriae nihil praejudicaret aut impediret novas Sedis Apostolicae suppeditias in Confaederatorum auxilium subministrandas. Haec epistola, antequam Nuncius ullam ejus haberet notitiam, a Dominis Agentibus ostensa lectaque erat, quibus ipsi voluerunt ad confirmandam Praelati tam integri sententia opinionem, quam ipsi sparsum ibant ad trahendas exinde illas, quas quivis imaginetur consequentias.

(163) "6. Cum *Breve*, quo Sua Sanctitas Regni Episcopis respondere dignata erat, secum attulissent, nulla ejus Nuncio indicata mentione, authores fuerunt ut ejus virtute Episcopi alienati alios omnes Episcopos, qui ad negotiandam pacem ire noluerunt, citarent, scribentes ipsis (sicut in adjuncto his apographo videre est) *Brevia Pontificia* vim habere praeceptoriam, eos praestandae illis quam Nuncio obedientiae potius fuisse obnoxios et similia. Qua subtilissima et diabolica inventione attraxerunt Kilkenniam tres eorum, qui magis timoratam haberent conscientiam, scilicet | Archiepiscopum Cassiliensem, et Episcopos Waterfordensem ac Imolensem, quorum tertius, quia in suburbis diversabatur, cognita fraude subito fugit, alii vero duo, qui in civitate diversabantur, retenti fuerunt, et necesse fuit ut paci subscriberent et numerum absque ipsis non sufficientem completerent. Quo factum ut Prorex *Protestans* in Ibernia stabilitus fuerit diplomate Pontificio.

v (164) "7. Cum iidem Domini *Agentes*, mutuo acceptis a Nuncio in eorum iter Romam versus duobus millibus et quadringentis scutis, apud eum intercessissent ut totidem Lutetiae Parisiorum Marchioni Antrimiae solverentur, cumque didicissent Concilium Supremum non solum suis litteris id rogasse Nuncium, sed etiam ipsi de solutione facienda chirographis cassis, et has scripturas Decano Firmano fuisse violenter ablatas ac nunquam restitutas, nihilominus eos unquam hac de re vel Comitiis vel Concilio locutos fuisse non constat, et nunquam

ea de re conquesti sunt, nec de eadem se Nuncio purgarunt, et in summa rem susque deque habuerunt perinde ac negotium Indiarum, in quo nullatenus verteretur nec patriae honor nec justitia commutativa.

(165) "8. Decanus Firmanus addit illos reperisse se habentem domum in custodiam et nunquam ejus causae se intercessores praebuisse, nullasque, ne minimas quidem, in eo liberando partes egisse, cum tamen id eorum esse videretur, qui Roma 1820 venerint nuperis affecti beneficiis a Sua Sanctitate.

(166) "9. Cum per tres menses mediumque nunquam Nuncium Galviae inviserint, idque negotium magnae fuerit considerationis et ab omnibus animadversum, propterea oportet ejus rei scire historiam. Praefati ergo Domini mox ab appulso semel atque iterum Nuncio scripserant se litteris non esse prolixos, quod infra paucissimos dies omnia ipsi ore tenus renunciarent. Postea caeperunt scribere, se considerata ineundae hujus pacis necessitate, et negotio pene ad conclusionem redacto aequum duxisse ei finem imponere ut ipsum postea convenienter. Hoc absoluto litteris significabant se cunctari quod nihil factum esset, nisi non nulla alia additamenta terminarentur. Interea Decanus liberatus Galviam accessit et attulit litteras ac nuncia, eos scilicet propediem accessuros cum aliqua submissione ex parte Concilii et aliorum qui absolvivellent. Uno autem die interjecto supervenit epistola ob hanc spem gaudii praenuncia, quae ferebat ipsos 3° Februarii discessuros ut Galviam venirent. Verum post biduum scripserunt Decano, Proregem Carrigiae se tenentem misisse, qui Plunkettum acciret, seque statim ac ille rediisset profecturos. Nuncius inter has omnes cantilenas se, ne venti occasionem perderet, semper accingebat ad discessionem, quae in diem Veneris incidit. Itaque die Martis praecedente receptae erant ultimae litterae ab *Agentibus* ad Collegii Galviensis Praepositum directae, | quibus dicebant, se in viam dedisse, et inter eam didicisse Nuncium solvisse. Quare suum (si hoc successisset) infortunium dolentes avebant, ut per eum de vero docerentur. Respondit Praepositus Nuncium non abiisse, sed res in navim importandas curare, et expectare ut se nautae de tempore consendendi fregatam monerent. Post hanc responsionem nihil amplius auditum est utrum re ipsa viam conficiebant vel redierunt. Communis autem opinio est inter se convenisse, ipsos quidem, ut venire nollent, Marchionem vero atque alios ne venire curarent, et forsan ut ipsos praepedirent." Haec ibi. 1820 v

(167) Ex hujus relationis fine constat Nuncium tunc non receperisse litteras a Fernensi et Plunketto ad eum ultimo Februario in continentem datas. Porro non nulla circa hanc relationem mihi dicenda sunt. Ac primo quidem quod Nuncius numero 2º non audet asseverare, Gelasium scilicet Capellatum Fernensi litteras ibi memoratas tradidisse, postea innotuit, nempe Gelasium manu propria Fernensi mox ab appulsu in Duncaniae propugnaculo illas fideliter porrexisse, et Fernensem iisdem coram ipso perfectis indignabundum atque intuentem in Plunkettum pariter praesentem dixisse: *Quid habet D. Nuncius cum nostris Palliis.* Cujus rei authorem laudo D. Walterum Enos, Sac. Theologiae Doctorem, Ibernia sua in Belgio postea exulem, ubi praefatum P. Gelasium pariter exilio multatum, Lovanii 5 Novembbris 1655 de hac re sciscitatus, eodem die Romam indidem mox scripsit quae ab ipso didicerat, et hic dixi ex autographa praedicti Doctoris epistola. His jam assuo secundam scripturam tunc Cardinali Panzirolo ex S. Vedasti oppido a Nuncio Italice missam, juxta factam sua epistola 14 Martii 1649 data pollicitationem.

1821

"De Censuris.

Reg.
p. 720.

(168) " Inter discedendum ex Ibernia Illustrissimus Dominus Nuncius sex Regni Episcopis facultatem, cuius exemplar hic transmittitur, reliquit absolvendi omnes, qui censuras superiori mense Maio a sua Dominatione Illustrissima et iis, qui a Congregatione subdelegati erant, fulminatas contraxerant. In facultate jam dicta ante omnia Illustrissimus Dominus se quocumque loco se teneat Nuncii titulo atque authoritate, donec ipsi a Sua Sanctitate ablata fuerit, non renunciaturum protestatus est, ut populo consolationem adhiberet, et scirent eum non discessisse ut labores recusaret, sed ut Suae Sanctitati, et Sedis Apostolicae honori, quibus insidia tot modis struebantur, provideret.

(169) "In edicto pariter dicitur Illustrissimum Dominum per dictam absolvendi facultatem nolle facere actum positivum, quo posset significari suam Illustrissimam Dominationem in pacem modernam cum Marchione Ormoniae conclusam consentire, vel suae praejudicare libertati abstinenti in his rebus a quavis approbatione vel improbatione. Idque dictum est ad obviandum (quoad ejus fieri potest) sclitis Ormonistarum artibus, qui tam inter pacem anni 1646 quam inter alias declara-

tiones intermedias semper maligne divulgaverant Nuncium in easdem consensisse, et hoc modo infinitos ad suas partes attraxerant.

(170) " In delegationis etiam facultate Suam Sanctitatem litteris 7° Septembris datis totam causam Illustrissimi | Domini arbitrio reliquisse, nullamque interpositae a Concilio Appellationis instantiam admississe continetur, idque ad occurrentum iis quae *Agentes* Romam missi, statim atque in Regnum redierant, pauca cum veritate sparserunt in contrarium, sicut in scriptura circa ipsos *Agentes* exarata fusius declaretur.

1821
v

(171) " Quod deinde ad dictae facultatis substantiam spectat, in ea non fit mentio Interdicti. Nam (sicut aliis vicibus significatum est) hoc longe prius antequam semestre induciarum spatium expirasset, relaxatum erat in omnibus civitatibus ad populi instantiam, et maximo cum honore ac reverentia erga Sedem Apostolicam, cum earum non nullae, velut Galvia et Wexfordia, in eum finem libellos supplices dederint, civibus subscriptentibus et declarantibus se inducias non admittere, nihilque unquam acturos contra Ecclesiae Romanae obsequium. Aliae, velut Limericum et Waterfordia, simile fecerant interveniente Cleri supplicatione, se excusantes quod directe non supplicarunt vel pro vicinorum exercituum metu vel ob pericula a Concilio Supremo intentata. Denique Kilkenniae relaxatum fuit in gratiam et praemium longae perspectionis PP. Dominicorum, Franciscanorum, et Capucinorum, qui interdictum religiose observabant, Ecclesia Cathedrali, Jesuitis, et Carmelitis Discalceatis usque in diem hanc in sua contumacia persistentibus.

(172) " Ut ergo ad excommunicationem redeatur, sciendum est ad illos omnes, qui induciis adhaeserant, approbaverant, et adjuverant, nec ejus fuerant causa principalis, absolvendos, non solum jam relictam esse | facultatem, sed etiam antequam causae remissio a Sua Sanctitate facta venisset, eandem potestatem a Nuncio multis aliis concessam fuisse, quibus etiam hodie competit. Quinetiam ipse multos absolvit, et ultimis hisce suae discessionis diebus plurimi ad postulandam absolutionem accesserunt, aliquique innumeri suapte sponte scripserunt se fuisse venturos, et eam nullo modo non procuratueros, si verum esse credidissent nullam a Sua Sanctitate admissam fuisse Appellationis instantiam, quod audiissent *Agentes* Romanos obtrectasse in contrarium. Unde credendum est omnes hujus-

1822

modi homines esse modo cum multa paenitentia Deo reconciliatos virtute tam relictæ facultatis quam cognitionis veri circa causæ remissionem.

(173) " Restant ergo illi soli, qui in Concilio Supremo vel in Praefecturis generalibus, vel in aliis magistratibus causam induciis vel earum affectibus principalem procreaverant. Hi autem omnes, etiamsi eorum numero (quod forsan dubitari potest) octo Episcopi alienati comprehendenderentur, haud ad viginti quatuor personas pertingunt, sicut probe potest minutim exponere P. Josephus, Illustrissimi D. Nuncii Confessarius. Et nihilominus, si hi post inducias contractas se continuissent, et Tribunalis, ad quod appellaverant, sententiam expectassent, Nuncius haud alienus fuisset ab offerenda ipsis absolutione *ad cautelam*, sicut non nemo ex Aula (Romana) desiderabat et consilium dabat. Sed viso induciarum tractatum fuisse delictorum, quae ipsis in mentem venerint, minimum, et eos postea partim per semetipsos, partim per Comitia Generalia ad suum genium procurata, se in illos omnes excessus contra immunitatem (ecclesiasticam) et Sedem Apostolicam, quos formatissimus schismaticus unquam excogitare posset, immersisse, multisque modis eos ostendisse suam rabiem nedum in Nuncium sed etiam in omnem personarum et rerum ecclesiasticarum ordinem exarsisse; Illustrissimus Dominus haud aequum judicavit tractare vel offerre absolutionem, nisi sponte sua eam petiissent, et praefatorum delictorum remedium ac revocationem obtulissent. Ejus enim ratiocinatio erat talis. Hi vel se excommunicatos esse judicant vel non. Si non, sunt per consequentiam indigni absolutione velut subnitentes doctrinis illorum Episcoporum et Religiosorum, qui mala ipsis consilia dederant. Si autem censura ipsis conscientiae stimulum parit, cum haec, nisi excessibus revocatis, relaxari nequeat, longe satius est, ut in orbis Christiani exemplum a Sua Sanctitate, vel ab ipso Nuncio, ubi ex Regno discesserit, absolutionem postulent. Nam quod ad Suam Sanctitatem attinet, cui suprema authoritas suppetit, potest ipsis multorum erratorum dispensationem impetriri. Quantum autem ad Nuncium spectat, ipse labor et humiliatio, quam aliquem in Galliam cum tali instantia mandando subirent, illi posset esse stimulus acquiescendi in aliquo plus quam facere poterat in Regno Iberniae, ubi omnia fuissent interpretata tanquam gesta præ timore et desiderio expediendi se fastidio.

(174) " Bene verum est ab omnibus judicio pollutibus pro

1822

v

1823

certo teneri, per mala *Agentium* Romanorum officia stetisse quo minus negotium compositum fuerit ante Nuncii discessione. Nam non solum iidem *Agentes* voluerant videri desiderare hanc reconciliationem et absolutionem, sed etiam (quod certius est) non nulli ex Concilio Supremo, qui se tenebant in Conacia, fecerunt, donec Nuncius in fregata pedem haberet, instantias ut absolverentur et se censurarum scrupulo terroreque teneri ostenderunt, nec per aliud stetit quominus eam obtinuerint quam quod ad signandam brevem scripturam adduci non potuisserint, dubitantes ob respectus humanos ne eapropter ab aliis reprehenderentur. Id ipsum dici potest de octo Episcopis et de aliis ex magistratibus, qui forsan post Nuncii discessum non nullam ejus rei exhibebunt significationem vel Aulae (Romanae) vel ipsi Nuncio ubicunque fuerit.

(175) "Hic paucorum, qui residui sunt, status est quantum spectat ad censurarum absolutionem, et ad id quod probabiliter credi potest futurum ut circa ipsos succedat. Nuncius ingenue fatetur se culpam contraxisse, ejusque veniam petit. Est autem haec: Cum P. Generalis Jesuitarum hanc ob causam in Iberiam Visitatorem destinasset, hic ut totum negotium discussit, Illustrissimum Dominum Nuncium inter valedicendum rogavit eos ex Societate, qui praefatas censuras contrahere potuerant, | absolvendi potestatem, quam et Illustrissimus Dominus concessit. Dico eum hujus rei paenitere. Si enim verum est his totius machinae consultoribus reliquum esse scrupulum, continuo oportet ut alii eorum opinione ducti habeant majorem. Et si Jesuitae relictii fuissent absque absolutionis beneficio atque ad aliquod Tribunal apparuissent quo eam postularent, auferretur aliis omnis excusatio et praetextus quo factum defendere, et suam conscientiam securam reddere valerent. Apud S. Vadastum, . . . Martii 1649." Haec ibi.

1823

v

(176) In hac scriptura Nuncius dicit Jesuitas Iberos Kilkenniae praesertim commorantes usque in diem illam in sua contumacia perstisset. Quod non probat quin postea absoluti fuerint juxta ea, quae superius diximus, et juxta factum eorum Visitatori a Nuncio *inter valedicendum* (sicut ipse hic loquitur) potestatem. Porro Nuncius hic etiam Fernensem et Plunkettum atro carbone notat. De quibus etiam quid postea Romae senserit perstringam. Ac primo quidem de legatorum ex Ibernia Romam et in alias continentis partes destinatorum

electione a Generalibus anni 1647 exeuntis Comitiis facta, nec non de sagacitate ab Ormonistis ad eos, quos ipsi suspectos tanquam Nuncio fidos haberent, procul faciendo adhibita in sua Nunciature Relatione Pontifici apud Urbem porrecta loquens : " Electio (inquit) legatorum fuit singulariter ingeniosa.

*Relat.
cap. 23.*

Omnis personae suspectae erant Regno alegandae ne rebus concludendis intercederent. Quare Romam destinati sunt Fernensis et Plunkettus, velut qui id egerint ut O Nellus in Lageniam advenerit, et velut hanc ob causam in illas partes nimis inclinati."

1824

Haec ille, et ibidem sed anterius de iisdem duobus loquens : | " Hi duo (inquit) Sanctitati Vestrae bene noti, ad ipsius utique pedes olim provoluti, aequam animi propensionem in omnes semper praesetulerunt velut maxima pollentes dexteritate. In antiquos juxta ac recentiores Iberos sunt benevoli, et licet ab utraque partium subinde vocati fuerint in suspicionem, ipsos tamen ambae semper in controversiarum arbitros cooptarunt, caetera bonos Catholicos, sed non absque bonae politiae commixtione."

ibid.

Sic ibi. Eodem etiam loco ambobus imputat quod antea eum memoriae prodidisse non reperio, nempe id persuasionibus egisse ut anno 1646 Consiliariis, qui antea ob pacem cum Ormonio contractam in carcerem dati essent, libertate donatis, nova in Regni ruinam Comitia in annum 1647 ineuntem indicta fuerint. Fernensi etiam in eadem Relatione vitio vertit Ormonistas inter Comitia mense November 1647 convocata in ipsorum fines privatos id effecisse ut praeter duodecim Consiliarios residentes longe plures decreti sint in eorum, qui ex illis duodecim subinde abfuturi essent, locum substituendi :

*Relat.
cap. 23.*

" In quo (inquit) non possum excusare Episcopum Fernensem, qui, contra clarissimas aliorum Episcoporum congregatorum protestationes, vel ob rerum confusionem, sicut in Comitorum fine contingere solet, vel quod evidens religionis periculum non apprehenderit, vel apprehendere noluerit, permisit ut curreret decretum, et ob omnia, quae deinde successerunt, remanserat culpae obnoxius."

1824

Haec ibi, quae eum antea tradidisse non reperio; et ejusdem Relationis cap. 35 repetit, quod antea alibi scripserat, Fernensem hoc anno 1649 ab Ormonio in Consiliarium vel Assessorem ea lege admissum ut inter subscribendum actis publicis nomen quidem exprimeret, sed nullam suae Episcopalis dignitatis mentionem faceret, a Catholicis omnibus haud mediocriter in suspicionem venisse quod recens ex Aula Romana regressus et ibi beneficiis affectus, ipsique Nuncio devinctus, usque adeo ad

Ormonii partes transisset, ut Nuncium ne visitaverit quidem. Et haec quidem sunt quae frustatim depromenda duxi ex illa Relatione post querelas illas de Fernensi et Plunketto ex Normandiae maritimis a Nuncio in Urbem praemissas, ab eodem Romae exarata, quibus ad ea, quae sibi repugnare videntur, melius intelligenda addo id quod cap. 23 refert, nempe illos duos ab Ormonistis ad legationem Romanam tanquam sibi suspectos fuisse cooptatos ut Regno alegarentur, tunc successisse cum Fernensis et Plunkettus apud Nuncium ejusque fautores bene audirent, a quibus utique non nisi postea palam mundo ad Ormonistas defecerunt. Quare quae in eorum, dum constantiores haberentur, laudem dixit, non repugnare videntur iis, quae circa posteriora, cum ad Ormonistas palam defecissent, tradidit in eorum redargutionem.

(177) Praefatis scripturis ex Normandia Nuncius recens ab appulso transmissis adjunxit aliam eidem Cardinali Panzirolo scriptam circa pacis illius cum Ormonio hoc anno 1649 contractae modum, substantiam et effectus. Modum jam alibi tetigimus. Substantiam ille tunc nisi ex incerta aliorum relatione non descriptsit, quod pacis articuli eum et plerosque alios, donec ex Regno navigasset, celati fuerant, licet contractam fuisse edicto publico constiterit. Quare eorum, quae tunc Nuncius mense Martio 1649 prolixa relatione Italica in non nullam illius pacis commendationem scripserat, postea visis in Gallia ejusdem articulis eidem Cardinali mense Maio palinodiam misit, quod ex industria | lectorem moneo, ne forsitan aliis communicata fuerit illa prior Nuncii relatio, forteque ab incautis ipsum authorem citaturis in medium producenda. Incipit autem ab his verbis Italicis : *De questa pace si potrebbe in genere fare qualche giudizio dal vedere &c.* Porro ibidem bene demonstrat illius pacis nullam fuisse securitatem, quia cum Ormonio initae non solum haeretico et in Catholicos exacerbato, sed etiam cui nulla prope foret pacis contrahendae authoritas. Denique effectus tetigit. Nempe haereticos omnes, qui partes Regias professi essent, in integrum restituendos, et jam magna ex parte restitutos, usque adeo ut Insequinnius Momoniae potius Regulum quam praesidem agere caeperit. His autem litteris et scripturis Romae acceptis, Illustrissimus Dominus Franciscus Albitius, tunc Cardinalium Congregationi rebus Ibernicis apud Urbem praefectae a secretis, de Confaederatis Iberniae Catholicis et causa Catholica inter hoc bellum optime meritus, in Galliam Nuncio scripsit Italice epistolam, qua inter alia :

*Reg.
p. 727.*

*ibid.
p. 750.*

1825

"Me (inquit) cum praesente tabellione Illustrissimae Dominationi vestrae mandata quibus vel istic cunctaretur, vel Romanum rediret missurum cogitabam. Verum sua Sanctitas praecepit ut cum proximo tabellario transportentur. Interea ipsi reverenter congratulor de suo faelici in Galliam appulsu, et si non de acquisitione gloriae relinquendi totam Iberniam Sedi Apostolicae obedientem, certe de satisfactione quam res ejus prudentissime gestae Suae Beatitudini pepererunt. Et sane Illustrissima Dominatio vestra habet unde se consoletur. Nam praecise die Mercurii praeterita audivi de ipsa loquentem multa cum laude Suam Sanctitatem. Quod ad excommunicationis causam spectat, sicut tota prudenti | Illustrissimae Dominationis vestrae judicio jam reicta fuit, sic nunc nisi negotio bene ponderato nihil innovabitur." Haec ille Roma 26 Aprilis 1649. Paucis vero diebus interjectis juxta promissionem hic factam ad eundem Nuncium Cardinalis Panzirolus dedit Italice hanc epistolam :

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(178) "Nuncia appulsus Dominationis vestrae cum universa sua familia incolumis in Galliam Sanctitati Domini nostri consolationem attulerunt singularem. Et sane non poterat magis comprobata firmis rationibus arripere occasionem nec tempore magis opportuno relinquere Iberniam, in quo Regno cum instar boni et zelantis Ministri Apostolici desudarit, suoque ministerio omni ex parte satisficerit, non debet dolere, si pares desiderio non successerunt eventus, sed captivare intellectum ad occulta Dei judicia, a quo solo et regnorum conversio et populorum dependet tranquillitas. Boni Catholici dubio procul senserint in extremo suam discessionem, semperque ejus rei certissimum apparebit testimonium ex speciminibus, quae cives Galvienses tanto obsequio in ipsa ad navem deducenda ediderunt. E contrario Regni *Agentes* Romae tanta cum humanitate a Sua Beatitudine tractati, cum nec ipsorum debito nec conceptae de eorum gratitudine responderint opinioni, justam admirationi et scandalo causam praebuerunt. Circa excommunicationem haud aliud Dominationi vestrae dicendum habeo quam usquemodo non esse admissum ad audienciam fratrem Carmelitam discalceatum, nec in aliam itum fuisse | sententiam praeterquam illam remittendi negotium ad vestram ipsius Dominationem, ad quam recurrere debebunt excommunicati pro absolutione. Interea usque ad novum Suae Sanctitatis mandatum istic commorari non gravetur, cui significo receptas

fuisse suas litteras 14, 24, et 27 Martii, nec non primo Aprilis
datas cum adjunctis tribus scripturis.

Romae 3 Maii 1649.

Dominationis V. studiosissimus ex corde ad obsequium
Joannes Jacobus, Cardinalis Panzirolus."

(179) Hae duae epistolae, quarum 1^{ae} partem, 2am totam
ex autographis Italicis Latine verti, haud adeo cito ad Nuncii
(ab appulsu in Galliam) manus pervenerunt. Interea ejus
itinera et ea quae circa ipsum acta sunt ab oblivionis injuria
vindicemus. Itaque 12 Martii stylo novo in illum Normandiae
locum maritimum S. Vedasto sacrum excensione facta, ibidem
a navigationis molestiis usque ad diem ejusdem mensis 23
respiravit, quo demum indidem discessit, dataque illi in grassan-
tes late belli civilis direptiones fide publica a Gubernatoris
Normandiae legato generali, Domino de Matignon, 24° Martii
Baiocum pervenit, a S. Egidii Barone urbis Gubernatore
honorifice exceptus. Postera die Annunciationi Beatae Mariae
Virginis sacra cleris in ea civitate a Sua Sanctitate immediate
dependens eum invitavit, ut suis functionibus interesseret. Quod
et factum maximo totius etiam populi in eum obsequio. Exinde
Cađomum | progressus est, ubi 27 Martii in famoso Ursulinarum
Monasterio rem sacram fecit et Eucharistiae sacramentum
Monachabus ministravit, mox a Gubernatore ad lautum
prandium invitatus. Postridie Dominica Palmarum ibidem
in celebri S. Trinitatis Monasterio sacram celebravit. Quo
peracto Abbatissam, Principi Condæo (inquit) consobrinam
invisit. Lexovium postea profecto Episcopus, praedicti D.
Matignonensis frater, extra civitatem occurrit et ad suum
palatium duxit, biduoque honorifice tractavit. Inde ultimo
Martii discessit et locum vernacule *Pontodemer* attigit, indeque
scripsit ad Comitem de Harcourt, pendente illo Galliae bello
civili Normandiae Gubernatorem, rogans ut salvum conductum
transmitteret. Qui respondit opus esse salvo conductu Regis,
quem se per litteras procuraturum significavit, supplicans ut
interea Nuncius ibi pedem figeret. 3° autem Aprilis ipse Comes
eodem accessit, quem mox Nuncius invisit, illeque postridie
Nuncio vicem rependit. Inter utramque visitationem Comes
ex Nuncio res Ibernicas scisitatus suum aperuit ardentissimum
desiderium traciendi cum exercitu in Angliam, quo ignominiosam
Regis Angliae Caroli primi mortem et in eo a nefariis
Parlementariis illatam regibus omnibus injuriam vindicaret.
Quo etiam zelo tunc universa prope nobilitas Gallicana flag-

1826

v

rabat. Sed bellum quod Gallus cum Hispano gerebat, obicem
 1827 ponebat. | Litteris, quibus Nuncius aliquot menses antequam
 ex Ibernia navigavit, se indidem discessurum significaverat,
 Romae receptis, Cardinalis Panzirolus ei notis secretis 25 Januarii
 1649 Italice scripsit relictum esse suo arbitrio et prudentiae ut
 in Ibernia diutius persisteret, vel inde pedem referret, credente
 Sua Sanctitate eum in nullam iturum sententiam, quae non in
 Dei gloriam, religionis Catholicae bonum, Sedis Apostolicae
 honorem, et propriam incolumitatem cessura foret. Significatum
 quoque Suam Sanctitatem ei integrum fecisse ut, si ex Ibernia
 navigasset, in Belgio moras necteret, vel in Italiā atque adeo
 Romam citra moram remigraret, non dubitante Pontifice quin
 in Belgio potius tempus protracturus esset, modo id causae
 Catholicae in Ibernia profuturum sperasset. Et haec quidem
 illius liberationis Pontificiae summa fuit, quae ad Nuncii
 manus non nisi in Gallia pervenit ante receptam ibidem praefatam
 epistolam, quam a Cardinale Panzirolo 3 Maii 1649 ex
 Urbe ipsi scriptam superius collocavimus. Nuncius ubi deli-
 berationem illam Pontificiam 25 Januarii 1649 Roma scriptam
 receperisset, ex praefato loco *Pontodemer* ad Cardinalem Pan-
 zirolum notis arcanis scribens : “ Arbitror (inquit) esse maxime
 necessarium ut me conferam in Flandriam, et ibi ob res Ibernicas
 aliquandiu moras nectam, cum magni intersit ut sententiae, in
 quam D. Eugenius iturus est, et eorum, quae Crellius Londini
 tractaverit, notitia habeatur. Si enim O Nellus se Ormonio
 1827 refecerit, circa Iberniam haud aliud | erit reliquum quam ut
 v eam Deo commendemus. Verum si quae ab ipso stant partes
 renitendo perstiterint, sperandum est fore ut multa resusciten-
 tur.” Sic ille, 14 Aprilis 1649.

(180) Hoc ex Francia in Flandriam descendendi animo,
 Nuncius instituit ut Franciae et Flandriae fide publica transire
 posset. Quam facultatem per actum 7° Maii datum ipsi in
 Franciam ex Flandria transmisit Archidux Leopoldus Austria-
 cus, tunc Belgii sub Philippo 4° Rege Catholico Gubernator.
 In Gallia vero intestinis illis tumultibus jam recens natis et
 recentius sopitis, sed bello in Flandria adversus Hispanum
 continuato, haec Nuncii postulatio et votum descendendi in
 Flandriam suspicionibus obnoxium fuit. Nuncius tamen ultima
hebdomadae majoris parte et festis Paschalibus apud praefatum
 locum *Pontodemer* pie transactis, feria 5a infra octavam Paschae
 indidem abscessit, ea nocte apud celebre Monasterium Beccense
 diversatus in S. Anselmi et S. Lanfranci venerationem, qui ibi

Reg.
p. 738.

multis annis degerant, postridieque, nempe 16 Aprilis, Rothomagum appulsus, mox Massarium Parisios atque in aulam Gallicanam, quae tunc S. Germani se tenebat, allegavit, ut praefatam fidem publicam inter alia procuraret. Quid autem primus status Gallicani tunc Minister, Cardinalis Mazarinus, et Regi Christianissimo a secretis, Comes de Brian, Massario responderint, aliaque huc spectantia te docebit sequens schedula, quam Rothomago Nuncius Cardinali Panzirolo 28 Aprilis scripsit, cum 1828 | Rex Christianissimus per actum 25 Aprilis datum non in Flandriam sed Lugduno in Italiam proficisciendi ipsi fecisset potestatem.

(181) " Jam (inquit) ex salvi conductus mihi a Comite *de Harcourt* promissi dilatione coniectaveram meum desiderium transeundi in Flandriam vocatum fuisse in suspicionem. Etenim Cardinalis Mazarinus et Comes *de Brian* me in Franciam a ventis casu fortuito actum fuisse non considerantes, responderunt Decano Firmano, me tenendo iter tam longum parere suspicionem impendendi meam operam ex parte Suae Sanctitatis in tractando aliquo negotio cum Archiduce, vel in aperienda illi rerum notitia inter has circumstantias, inter quas Sua Sanctitas plus quam unquam secundet partes Galliae contrarias. Ulterius etiam D. Cardinalis adjectit fieri posse ut vadam ad recipiendos ab Archiduce applausus ob bona officia a me Hispanis exhibita, a quibus dicit se scire me litteras accepisse missas in gratiarum actionem. Verum quantum ad has litteras, Sua Eminentia se magna pascit vanitate. Nam omnium, quae ad me ex Hispania per triennium allata fuerant, ne unae quidem sunt quae innuant nedum tangant hunc articulum, qui circa Regni interesse vel meum obsequium veretur. Quod si intelligit me regressui Marchionis Ormoniae semper obviasse, et hoc esse Hispanis bene inserviisse, optime dicit, et eum haud aliam ob causam quam ob hanc in me irasci credo. Etenim Illustrissimus Dominus *de Bagni* mihi significaverat, unicam et potentem | causam denuo mandandi Marchionem in Iberniam fuisse Cardinalem Mazarinum, non solum ut Reginae (Angliae) in re, quae sibi parvo constaret, obsecundaret, et eam a se procul faceret, preparando epistathmum in Ibernia, sed etiam ut in illa Insula haberet, qui ipsi, quot vellet, milites suppeditaret. Deum ergo rogo ut ei parcat. Nam a Prorege Catholico id ipsum potuisset assequi, non exposita discriminis religione. Unde ut probe sciatur nunquid ego hac ex parte Hispanis obsecutus sim, successit quod nec Regina (Angliae) in Iberniam ibit, et

Reg.
p. 744.

1828
v

Marchio (Ormoniae) paulo post appulsum duas novo Hispaniae Legato, Comiti de Beerhaven, legiones concessit, eum non nullis pecuniis, quas secum attulerat, emuncturus. Quo iniquo animi studio offensus Monnerius in Galliam rediit, Ormonium vocitans traditorem et de ipso ubique queribundus. Ego ne difficultates mei causa inter Suam Sanctitatem et Galliam vel in minimo increscerent, antea Decano in mandatis dederam ut declararet profectionem in Flandriam eo prorsus spectare ut meae rerum novarum intuendarum cupidini indulgerem et per regiones antea a me non visas cursum dirigerem, meque si in suspicionem venirem, subito destitutum. Ille quoque his monitis institit, et sic jam expeditum est negotium, dataque fuit fides publica ad tenendum iter Ludguno. Nec hoc mihi nisi eo solum displiceret,

1829 quod in Flandria Iberniae | atque Angliae, quae in magno motu sunt, notitias habere atque adjuvare potuissem. Verum Deus Opt. Max., qui omnia bene disponit, aliam forsan dignos commiseratione illos Catholicos sublevandi rationem providerit. Decanus illa negotia ad praedae pecuniam, quae mea magni interest, spectantia procuratus Rupellam se conferet, et ad primas, quas ab ipso recepero, litteras, me Lugdunum versus in viam dabo. Eminentia vestra Suae Sanctitatis voluntatem, quae omnibus meis actionibus semper in regulam erit, mihi significare poterit. Manus ipsi humillime deosculor. Rothomagi 28 Aprilis 1649."

(182) Nuncius in hac schedula, ubi de Regis Christianissimi apud Iberniam Agente, Monnerio, in Ormonium excandescens meminit, aliam rei circumstantiam silentio praeterit, quam scripturae circa hanc pacem Ormonicam ex Normandia mense Martio in Urbem (sicut vidimus) scriptae inseruerat, nempe Monnerium antea Ormonii tantopere studiosum tunc ob prae-fatam causam impotenti odio adeo in eum exarsisse ut per P. Mercurium Verdier, Jesuitarum in Ibernia visitatorem, se tunc Galviae solvere molientem rogarit ne solveret, sed profactionem differret, quod sperandum esset futurum ut res in Ibernia faciem mutarent. Sed pergamus et huic folio adjungamus aliud haud a nostro hic scopo aberrans paucis diebus interjectis eidem Cardinali Panzirolo, indidem notis arcanis a Nuncio scriptum, quod hic sequitur : |

1829 (183) "Non nihil (inquit) animi dubius fui nunquid mihi v aliquid esset scribendum Cardinali Mazarino super eo quod Decano Firmano dixerat tam de Sua Sanctitate, quod scilicet Reg. p. 747. hodie plus quam unquam Hispano studet, quam de me quod

Hispanis bene inservierim. Nihilominus consideravi quod respondere quidem tenerer, si Cardinalis id mihi dixisset vel scripsisset, sed cum fuerit sua bilis exoneratio facta apud tertiam personam, poterit cum ratione parere quod mihi totum haud scriptum fuerit, certumque est quod officium ad nihil prodesset. Credo etiam suam Eminentiam inter praesentes rerum circumstantias ostendere velle, se majore quam hactenus auctoritate valere, tot concitatis in eum motibus, et scripturis non obstantibus, nam ubi ei Decanus retulisset quo pacto Hispaniae *Agens* me in Ibernia tractarit, quatenus sua Eminentia colligeret qui inter Hispanos et me res se haberent, ille prehenso ejus brachio respondit : *Si ita se res habet, magnum est hoc Illustrissimi Domini infortunium, quod hic creditur omnino contrarium.* Verum re ipsa non video ego quo pacto mea fortuna vel infortunium ex eo dependeat quod ab ipso vel ab aula Gallicana mendacio fides habeatur. Quare mecum statui simplici tantum inter discedendum uti (per litteras) verborum urbanitate, et committere ut Dominus Cardinalis quicquid libuerit de me credit, et Deus ac tempus ipsi ostendat quid credere debeat de recta Suae Sanctitatis voluntate. Rothomagi 9° Maii 1649." |

(184) Quid his Ministrorum Gallicanorum suspicionibus Romae lectis Pontifex Innocentius Nuncio subito praescripserit, discas ex sequente Cardinalis Panziroli ad eundem Nuncium epistola, quam ex autographo Italico Latine verto :

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(185) " Dominationis vestrae apud Galliam vel Flandriam mora mature considerata Domino nostro visum est eam parum opitulari posse rebus Catholicorum Iberniae. Unde Sanctitas Sua vult ut Dominatio vestra omni sollicitudine in Italiam et Romam veniat, idque (si ab ipsa fieri potest) antequam tempus non minus calidum quam periculosem saeviat. Itaque cum benedictione quam Dominus noster ipsi mittit, hilariter accedat certa futurum ut reperiatur in sua Beatitudine studiosam ejus votis satisfaciendi voluntatem, et in me non intermissum ipsi obsequendi desiderium. Continuam ipsi auguror a Domino Deo prosperitatem.

Romae 31° Maii 1649.

Dominationis vestrae studiosissimus ex corde ad obsequium.

Joannes Jacobus Cardinalis Panzirolus."

(186) Jam superest ut Nuncium in Italiam redeuntem

comitemur. Vidimus autem eum 16 Aprilis Rothomagum, Normandiae metropolim, intrasse. Unde ultimo Aprilis digressus 1^o Maii ad *Portum Gratiae* pervenit, quo propugnaculum et alia illius loci ornamenta intueretur. Ibi 2a Maii | die 1830 v. Dominica rem sacram apud Capucinos peregit, a Magistratu conductus tempore pomeridiano ad videndum celeberrimum illud propugnaculum. Vespere autem discessit Rothomagum redditurus, et inter viam tria famosa illius viciniae invisit Monasteria, ubique honorificentissime receptus Rothomagi Duxem *Longae-Villae* tunc finito illo Galliae bello civili ad suam Normandiae Gubernationem postliminio restitutum et ex aula pridie regressum 6^o Maii visitavit, eumque Dux omni humanitate prosecutus postridie revisit. Die autem perendina Nuncius indidem circa bina amborum colloquia Cardinali Panzirolo notis arcanis sequentem schedulam scripsit, circa quam praemoneo Regem Angliae, de quo in ea mentionem facit, esse Carolum 2m, antea Walliae Principem, sed tunc recens Regem salutatum post patrem Carolum 1^m Londini nuper a Parliamentariis securi percussum.

Reg. p. 746.

(187) "Visitavi (inquit) hic Rothomagi D. Duxem Longae-Villae, qui et postea me invisi, omniaque mihi honorificantiae specimina exhibuit. Inter colloquium me interrogavit nunquid probarem quod Rex Angliae iret in Iberniam? Respondi quod non inter praesentes rerum circumstantias, quia Regnum jam vastatum sumptibus intolerabilibus oneraret, et id ageret ut Parliamentum totam belli molem in Iberniam transferret, quatenus eo se usquequaque liberaret in Regis excidium. Addidi etiam cum Catholici ob Ormonii regressum inter se discordent, Regem si (sicut eum facere | liquet) Marchionem tueri vellet, eos sua praesentia magis discordes effecturum, si autem illum amovere vellet non successurum, quod ille talis sit qui, sicut alias fecit, ad Parliamentum deficeret. Conclusi Regem, nisi fidem Catholicam amplecti velit, saltem procurare vel permittere debere ut Dux Eboracensis Catholicum profiteatur, eumque sui vice in Iberniam destinare, suamque Majestatem se in tertio aliquo loco ponere, ubi suis opem ferre et Anglos aliqua ex parte refraenare valeret, quo illi vires omnes in Iberniam non exonerarent. Dixique hoc casu sperandum quod Sua Sanctitas assistentiam et favores continuaret. Respondit Dux se ob easdem rationes a me datas in hac ipsissima versari opinione, sed in Aula (Gallicana) et in Concilio Regis (Christianissimi) se solum esse qui in eam sententiam propenderet, cum Cardi-

nalis Mazarinus et omnes cupiant ut Rex (Angliae) illuc vadat, et (credo) ad Reginam (Angliae) hinc a se procul faciendam et forsitan ob alios fines. Rothomagi 9° Maii 1649."

(188) Dux Massarium a Nuncio missum fuisse Parisios, ubi tunc Reginam Angliae commorabatur. Cum qua Nuncius et Massarius quomodo se gesserint, idem Nuncius Rothomago die Ascensionis Domini notis secretis Cardinali Panzirolo significavit per hanc schedulam :

(189) " Illustrissimus Dominus Nuncius Galliarum dixit Decano | Firmano Reginam Angliae se de ipso interrogasse, adeoque se aequum ducere ut eam cum epistola a me scribenda salutatum iret. Illi ego mox scripsi et Decano mandavi ut Illustrissimi Domini consilium sequeretur. Nihilominus judicavit expedire ut quid facto opus esset, exploraret opera confessarii sua Majestatis, qui ipsi prima vice retulit Reginam capere velle consilium. 2a autem ei dixit Germinum et secretarium, Digbaeum, ipsi authores fuisse ne eum admitteret, cum ei Supremum Iberniae Concilium succenseat. Deinde subjunxit suam Majestatem de me magnopere conqueri, quod me ostendisset suo marito contrarium, et contractas cum Insequinno inducias dannassem, postquam ad Regis partes transiisset nec anterius. Decanus respondit quod respondendum erat, et visitationem praetermisit, retenta mea epistola, cuius nullam habuit Reginam notitiam. Id mihi singulariter gratum fuit. Nam cum hac Principe a duobus haereticis penitus gubernata frustra agitur et tempus perditur, atque appetet eam non intelligere unde trahant originem sua calamitates. 13 Maii 1649."

(190) Nuncius sua rerum novarum cupidini satisfacturus 10 Maii Rothomago *Diepam* perrexit, et 13 Rothomagum regressus, indidem 15 se in viam dedit. Postridie autem Gallionem, quem locum pulcherrimum celeberrimumque esse scribit, | appulit, exceptus ibi singulari humanitate et munificencia ab Archiepiscopo Rothomagensi, qui etiam ad eum brevem habuit orationem Latinam praesertim in Sedis Apostolicae encomia, parique brevitate Nuncius ex tempore respondit, ibi apud Rothomagensem usque ad diem ejusdem mensis 22 honorificentissime hospitatus, ut summas ejus laudes hac ex parte semel atque iterum in suum Diarium retulerit, quem eodem die 22 Maii indidem Cardinali Panzirolo notis secretis scripsit *magnum quidem esse Ecclesiasticum, sed in certis rebus suo modo.* Per illos dies Nuncius illius viciniae loca visu digna ac praesertim

1831

v

Reg.
p. 749.

1332

Reg.
p. 751.

Carthusiam ibi olim a Cardinale Borbonio fundatam adiit. Inde per S. Germani fanum digressus est Carnutum, ubi sicut anno 1645 Deiparae, quae maxima devotione in ea civitate colitur, suam profectionem in Iberniam dedicaverat, ita tunc in reditu juxta pollicitationem Capitulo Carnutensi suis litteris 4° Sept. eodem anno factam, Reginae Caeli ob patrocinium gratias egit. Carnuto per Fontem-aquae-bellae, ubi celebrissima Galli Regia est, in urbem Senonensem iter tenuit, ibi eximiam Archiepiscopi Senonensis hospitalitatem et humanitatem expertus, ex qua civitate cur urbem Parisiensem declinavit, aliaque Cardinali Panzirolo notis arcanis significavit hunc in modum :

(191) " Illustrissimus (inquit) D. Nuncius Franciae inter alia, quae illi famulo, quem antequam Rothomagum | venissem, ad eum miseram, dixit hic rumorem percrebuisse me in Galliam venisse ut ei succederem. His etiam ultimis diebus diversi ex urbe Parisiensi litteras accepere significantes me hic remansurum in Nuncium. Unde Archiepiscopus Rothomagensis aliquique multi mihi ea de re congratulari caeperunt, nolentes fidem habere omnibus protestationibus a me factis in contrarium. Itaque mihi visum est non solum declinare Lutetiam Parisiorum, sed etiam Lugdunum contendere, ne Illustrissimo Domino *de Bagni*, cui ob has ultimas Iberniae res devinctissimus sum, suspicionem parerem, et D. Cardinali Mazarino, qui me Hispanum esse existimat, divulgatque, majorem ansam suppeditarem. Ludgunum autem mihi semper aptus erit locus recipiendis omnibus Suae Sanctitatis mandatis, et non solum ad me conferendum in quamcumque partem, quo me destinare voluerit, sed etiam ad retrocedendum si ita ipsi libuerit. His rationibus ductus Eminentiae Vestrae litteras non expectavi, sperans Suam Sanctitatem etiam in hoc dignaturam mihi continuare illum honorem, quo me hactenus impertit approbando omnia a me gesta. Senonis 3° Junii 1649."

(192) Ex hac schedula colligendum est Nuncium antea non recepisse Cardinalis Panziroli responsiones ad litteras, quas, ex quo in Galliam appulerat, eum in Urbem scripsisse vidimus. Porro hujus urbis Senonensis occasione inferius tangenda mentionem hic faciendam duxi quarundam | litterarum, quas Nuncius et Jacobus Piers inter se scripserunt. Jacobus natione Ibernus isque ex Comitatu Kierensi, ubi Burdegalae deindeque in Hispania bonis litteris operam navasset, Burdegalam iterum rediit, et S. Theologiae Doctor, philosophiae in

Reg.
P. 751.

v

Collegio Aquitanico professor, Collegii etiam ibi Ibernorum ad aliquot annos moderator, in eadem civitate philosophiae cursum, quae discipulis explicabat, typis mandavit, ac demum ejusdem Collegii Aquitanici Gymnasiarcha ad annum 1644 fatis functo ille multique alii ejusdem officii competitores erant. Causa autem aliquandiu pendente postremo Dux D. Espernon, Aquitaniae Prorex, Nuncio primum verbis (quod Parisiis anno 1645 successisse conjecto) ac postea litteris (sicut ex quadam ipsius Jacobi epistola 9 Martii 1647 ad Nuncium data colligo) intercessorem se praebente Jacobum praeferendum curavit. Anno autem 1647 jam dicto Massarius ex Urbe cum subsidiis Pontificiis in Iberniam redditurus arma a magno Duce Etruriae donata Burdegalam praemisit, ipseque Parisios, exindeque in alias Galliae partes transiit, toto illo anno reliquo adeo impeditus, ut non nisi anno 1648 sua arma Burdegala Rupellam transportanda curarit in Iberniam exinde transvehenda. Jacobus ergo in illo negotio de Nuncio, Massario, atque iis qui armis tamdiu Burdegalae praeescent, optime meritus, D. Joannem de Burgo sacerdotem, ex sorore nepotem, cum Massario | in Iberniam tunc misit, et Nuncio in eandem Insulam vini Aquitanici donum transmisit. Litteris quoque 10 Februarii hoc anno 1649 Burdegala ad Nuncium in Iberniam datis, earum apographum ad eum in Gallias regressum misit his verbis : "Illustrissime, Eminentissime, et Ecclesiae Princeps.

1833

v

(198) "Odiosum forte videbor non modo iis, qui petram Christi Ecclesiam imprudentes, ne dicam impudentes spernunt, sed et iis qui turpi lucro inhiantes et rei familiari, aeterna caelestique spreta felicitate, temere consulentes spiritus ancipitem gladium caeci contemnunt, si currente calamo scripsero, et pleno ore cum fiducia in Christo dixero quod filii Belial et qui praeliantur contra Israel tandem aliquando confundentur, nisi forte paenitentia ducti cito resipiscant, et primogenito omnis creaturae, Christo D. Nostro, ejusque sponsae sanctae matri Ecclesiae constanter adhaereant. Pugnant igitur sub vexillis generis humani Salvatoris tot quot sunt generosi Machabaei, et viri in bello potentes ac timentes Deum in Ibernia, Sanctorum quondam Insula. Illis certe nihil ab internis Regni inimicis timendum, quia justo Dei judicio brevi evanescunt in cogitationibus suis, et gladiis, si non justorum, certissime impiorum peribunt. Ab externis etiam hostibus nihil verendum, cum domi semper divisi et saepius fracti mutua proditione cernantur, alii infamiae nota

proprii Regis venditione inurantur, alii feri, barbari, exleges sacrilega nece ejusdem Regis judicentur. | Sic haeretica rabies imprudens sui ruinam molitur, et sic fides Catholica denuo stabiliri vix miratur. Degenerant (ut audio) quod certe doleo non pauci ecclesiarum pastores et (quod iniquius ferendum) Cathedralium Antistites a D. Patricio, S. Malachia, aliquis Insulae Sanctis in fide Christi strenue propaganda. Quisque (ut communi fertur proverbio) abundat suo sensu; ego spiritu Domini (ut spero) ductus mihi persuadeo quod exurget Deus et dissipabuntur inimici ejus. Video enim Dei digitum in Iberniae negotiis positum. Illustrissima namque et Eminentissima vestra Dominatione Dominus Deus exercituum, seu proprio digito, ad castigandos rebelles et durae cervicis homines convertendos infideles, incalfaciendos tepidos ac tandem strenuos in vinea Domini operarios non sine singulari providentia confirmandos utitur. O Apostolicae Sedis post sanctissimum patrem nostrum Innocentium, visibile Ecclesiae caput, rarum ornamentum. O Ibernicae libertatis a servitio Aegyptiorum, hoc est Puritanorum haereticorum divinum instrumentum. Tibi certe, Deo ita disponente, nostra debetur salus, Regni vero faedifragis opprobrium sempiternum. Tibi non modo in caelo aeternae felicitatis stratus est lectus, sed in capite mundi, Roma, Cardinalis debetur pileus. Illustrissimi ac Eminentissimi Domini mei est impetrare, meumque officium est obtemperare. Hoc unum mihi licet dicere quod, quamvis indignus et viribus impar, pro viribus tamen Ecclesiam Catholica defensurus, neque ad id munus obeundum unquam deerit calamus aut animus | modo non desideretur authoritas Apostolica,

1834 v et accedat dignitas Ecclesiastica perversis formidanda et viro de Republica litteraria bene merito non spernenda. Haec (ita Deus me amet) non ex dignitatis cupiditate, sed ad inseruendum ex sincero affectu, etiam cum discrimine vitae periclitanti in Patria Ecclesiae, characteribus indelebilibus non in hac charta sed in intimo cordis recessu consignare volui. Nam in hac celeberrima urbe Burdegala (Deo sint laudes) non desunt cum dignitate vivendi commoditates. Testem in hac parte appello Illustrissimum Dominum meum D. Decanum Firmanum, cuius sortem post tot casus tantosque labores exantlatos in cadentis Regni subsidium dies noctesque lugeo. Venerabilis vir D. Pellicanus, me nuper certiore reddidit de ejus captivitate Kilkenniae ! O tempora ! O mores ! O crassa perversorum capita et probi sensus incapacia ! An tantorum compensatio

invicto viro Deique servo ab ingratis sui, fidei, Regis, et Regni immemoribus redditur? Sed ejus laboribus exoptatum dabit Deus finem, et fidei ac Patriae proditoribus funem. Nepos meus, quem vigilantem, strenuum Christi militem, et fidum in rebus dubiis famulum agnovit Illustrissimus Dominus Decanus, quemque secum in Iberniam me annuente et consulente duxit, jam redux mihi refert quod, licet aliunde infelix fuerit, tamen adeo felix ut non semel osculatus fuerit sacrarum fimbriam vestium Eminentissimae vestrae Dominationis, et quod vestra Illustrissima Dominatio bona | et facilis illi concesserit non modo litteras commendatitias, verum etiam Bullam super quandam parochiam vernaculo sermone donatam nomine *Kiluuylly*, in Ardfertensi Diaecesi sitam, tunc parocho vacuam et nunc destitutam. Refert etiam quod Reverendissimus et Illustrissimus Episcopus Ardfertensis flocci fecerit et Sua Sanctitatis Bullam unam et Illustrissimae vestrae Dominationis alteram et litteras commendatitias, ita ut fuerit coactus vacuis manibus nec sine magnis impensis huc redire, cum ipsi iter nullo modo fuerit obvium ad Galviam repetendam aut Kilkenniam, unde tota ejus spes pendebat. His negotiis (ut speramus) Illustrissima Vestra Dominatio ultimam brevi erit impositura manum. Interea non dedignabitur Illustrissima Dominatio vestra scire quod Illustrissimus D. Decanus, cum in Urbe a duobus jam fere annis res Iberniae ageret, in mei favorem a Sua Sanctitate obtinuerit Bullam super Prioratum *Kilfahy*. Super eundem tamen Prioratum (ut novissime intellexi) Illustrissima D. vestra aliam concessit uni magistro Thomae Fitz-Morice. Aliorum non relinquo judicio sed Illustrissimae vestrae Dominationis arbitrio et authoritati hanc litem dirimendam, certus de bonitate meae causae et integritate judicis. Expectans expecto scire totum patriae statum. Hic non desunt commoda, quae copiose suppeditat haec Vasconiae Provincia ad nutum Illustrissimae et Eminentissimae V. Dominationis, quam diu incolumem et tutam a Regni hostibus conservet divina Majestas, ut exoptat
Burdegalae,

10 Februarii 1649.

Humillimus minimusque omnium Illustrissimae ac
Eminentissimae vestrae Dominationis servus

Jacobus Piers, Scholae Aquitanicae Moderator." |

(194) Jacobus, qui adhuc Burdegalae degit, est hospitalitate et liberalitate singulari, praesertim in patriotas fidei causa exules.

1835

1835

v

Ejus autem litteras in Iberiam, quod Nuncium inde discessurum nesciverit, directas Nuncius non nisi in Gallia receperit, nec Nuncii ad Jacobum litterae mihi occurrunt aliae praeterquam sequentes ex praefata urbe Senonensi in Gallia exaratae.

" Perillistris ac religiosissime Domine.

(195) " Nequaquam mirarer si plures meae epistolae ad Dominationem vestram directae perierint, quandoquidem non est hoc ultimum infortunium quod mihi accidit in Ibernia, ubi si etiam labores ac diligentiae perierunt, dolere non debo si pariter epistolae commune fatum sortitae sint. At animus (quemadmodum aiebat ille) cum sit penetrantis naturae coartari nullo modo potest. Itaque profiteor hisce litteris me Dominationi vestrae omnino ac singulari modo devinctum ob navatam egregie operam in subsidiis a D. Decano transvectis, ob munus mihi gratissimum optimi viri Burdegalensis, ob retentam perhumaniter mei memoriam, denique ob ardentem pro causa Catholica affectum. Deus, qui potest exacta libra haec omnia ad pondus exigere, ipse rependat quicquid ego illi vehementer exopto. Tandem assumpto sponte Prorege haeretico, spretisque omnibus meis consiliis et admonitionibus, recessi opportuno tempore ex Ibernia, ne Sedis Apostolicae honori apud Confaederatos jam servos detraheretur. Lachrymae hinc 1836 inde emanarunt, | siquidem bene sentientes dolebant amittere ecclesiasticum honorem extraordinarie jam acquisitum, ego contra sortem miserae Patriae in exitiale fatum religionis (nisi fallor) deductae, cum alia ex parte Parliamentarii instent, alia dominantur Ormonius et Insequin, quarum utra periculosior sit, non est mihi liberum affirmare. Ita qui olim arma sumpserunt pro libertate, ac fere septennio illam omnibus viribus defenderunt, data nunc opera atque animis in contrarium conversis, uno momento amiserunt. Existimo autem rescivisse Dominationem vestram, quicquid adversus me factio illa intentarit, eo quod huic malo jam a biennio impendi ac praeviso etiam censuris restiterim. Non enim contenti habuisse me potius in carcere, quam in exilio, cum essem in Insula; bonis enim ac pecuniis exuerunt, ac tandem contra Sedem Apostolicam ac Ecclesiae immunitatem ea patrarunt, quae toti Nationi maximam consequentibus temporibus infamiam irrogabunt. Posset vero prolixior historia formari, si quis enarrare vellet modos, quibus Dei providentia tutum me diu atque inter optimos amicorum servavi, quorum gloriae praecipuam partem habent habebuntque semper plurimi ex Galviensibus, qui

incredibili affectu amorem suum usque ad consensem navis, non secus ac olim Miletii erga D. Paulum, ostenderunt. Jam nihil aliud reliquum est nisi ut ego et selectiores Iberni, similes videlicet Dominationi vestrae, Deum assiduis precibus oremus, ut ab infaelici Insula avertat ea mala quae jure merito timeri possunt imposterum. Atrox enim Angliae facinus et profunda rerum confusio excitabit (nisi fallor) in tribus illis | Regnis bella totius Europae maxima, ex quibus mirum fuerit, et soli divinae bonitati adscribendum, si Ibernia, ut debilior caeteris, atque inter se misere scissa, quinetiam catenis haereticorum adstricta, majorem partem in futuram perniciem religionis tandem non sentiat. Utinam ego mendax ac vanae sint conjectuae. Nemo enim magis gaudebit experiri quod Apostolici conatus et auxilia nequaquam in irritum ceciderint. Vale carissime ac religiosissime amicorum, et me ama ubicunque fvero. Et Deus Dominationem v. fortunet, prout opto, qui sum ei

1836
v

Senonis

4 Junii 1649.

Addictissimus et paratissimus ad inserviendum, &c."

(196) Jacobus Nuncio per litteras Burdegala 11 Julii 1649 Lugdunum scriptas respondens, praeter alia mihi hic superflua circa Iberniam prolata: "Ecclesiarum (inquit) antistites et Religiosorum cujuscumque Ordinis praefecti ad hunc finem feliciter consequendum (salvo semper seniori judicio) coram Pontifice absque mora in jus vocandi, et si mature non resipiscant, sed in contumacia obdurescant, iterato excommunicationis fulmine, ceu putrida membra, a communione fidelium intrepide sunt resecandi, imo et totus populus non minore censura terrendus. Propensionem ingeniorum et indolem Catholicorum jam optime novit Illustrissima et Eminentissima vestra Dominatio. Quare extremis malis extrema remedia applicanda. Nullum certe est periculum illorum perversio[n]is in haereticos, tametsi inter illos congenita rabie (haeresis) grassetur. Censuras namque ecclesiasticas in summa veneratione habent omnes nostrates, easque maxime | timent, si excipiamus paucos, qui se sciolos praedicant, quique imperitum vulgus misere seducunt, et hi quam alii severius castigandi. Praevaricatorum nomina religionis causa prudens taceo. Verum silere non possum R. admodum Patris Hartegani merita, nec demerita quorundam suaee Societatis in Ibernia homuncionum. Ille quippe soli Deo addictus et commune afflictæ patriæ bonum promovere

1837

maxime cupiens, et capax, ac proinde quovis publico munere in illum finem certissime dignus, imo altiori ecclesiastica dignitate honorandus, illi vero sua calliditate et vulpina astutia noti, et ad malum nati cernuntur. Nam Pater Malonius Iberno-Anglus, illorum in Ibernia Provincialis, totam fere Waterfordiam seduxit, et cum suis sequacibus perverso artificio Apostolicis conatibus Illustrissimae ac Eminentissimae vestrae Dominationis in aliis urbibus perverse restitit, jamque se gloriosum putat elementarius ille senex." Haec Jacobus.

(197) Nuncius ex urbe Senonensi Trecas progressus, sacras Reliquias in ea civitate asservatas adoraturus diem unum ab itineris labore respiravit. "Verum (inquit ipse) observatum fuit loci Episcopum, auditio ejus appulsa, postero mane ex civitate discessisse, nullumque ei urbanitatis genus exhibuisse." Sic ipse, qui ex urbe Trecensi quadriduo et difficili itinere Divisionem transiit, ubi visis biduo quae in illa civitate videnda essent, Principem Condæum, illius Condæi, quem Parisiis anno 1645 in se humanissimum | expertus fuerat, filium invisit. Deindeque ad Monasterium Fontanis, ubi S. Bernardus natus erat, in Sancti memoriam extructum, ac uno milliari ex ea urbe dissitum se recepit, exindeque notis arcanis Cardinali Panzirolo scripsit hanc schedulam :

(198) " Mihi (inquit) visum est Principem Condæum invisere, qui Divisionem venit, ut in hac provincia, cuius gubernatorem gerit, Comitia teneat et forsan pecuniam exigat. Hic Princeps longe aliter tractat ac pater. Permittit ut ad manum ejus sinistram nos teneamus, ad sedendum non invitat, et tantum extra cubiculum conducit. De reliquo familiarem agit. Illustrissimi titulum semper concedit, et me per medium amplius horam de rebus Iberniae minutissime interrogavit, ac particulariter de D. Eugenii viribus, et nunquid re ipsa Hispanis studet? Unde omnes Cardinalis Mazarini cogitationes recognovi. . . . Cum apud ipsum(Principem) sui patris erga ecclesiasticos benignitatem et fidei Catholicae ardorem laudassem, subjunxit etiam summam ei fuisse observantiam in Sedem Apostolicam. Sed mihi ex dicendi modo videbatur id declarasse velut non imitandum et forsan tanquam leve. Haec opinio, quam ex uno solo colloquio hausit, non discordat ab ea, quam de hoc Principe ab aliis communiter concipi audio, et Illustrissimus Dominus de Bagni quadriennio elapso id ipsum mihi saepius indicaverat. Fontanis 20 Junii 1649."

(199) Dum Nuncius (sicut vidimus) Rothomagi haereret, |

Diarium
ad 13^m
Junii
1649.

1837
v

Reg.
P. 757.

ex urbe Parisiensi ad eum ibi invisendum perrexerunt tres 1838
 Iberni, D. Eduardus Tirellus, Sac. Theologiae Doctor facultatis
 Parisiensis, R. P. Joannes Poncius, strictioris observantiae
 Franciscanus, antea Romae et tunc Lutetiae Parisiorum, ubi
 philosophiae primum deindeque sacrae Theologiae cursum,
 aliaque opera in lucem edidit, celebris, et D. Joannes O Molonius,
 bonae spei sacerdos in eadem universitate tunc S. Theologiae
 candidatus, cum quo ex eadem urbe Parisiensi ad Nuncium
 tunc missum fuisse invenio hoc folium :

" Illustrissimo et Amplissimo Domino Joanni Baptistae
 Rinuccino, Archiepiscopo Firmano, Apostolico ad
 Ibernos Legato, D. Franciscus Maria del Monaco,
 Clericus Regularis.

(200) "Quo te ingens animarum caritas, quo te summi
 Hierarchae et Sacrorum Principis obsequium ablegarat, inde
 nobis postliminio tandem redderis Antistes Illustrissime et
 Reverendissime, et plane qualis sanctiorem Amorem pinxit
 quispiam minime alatum, ut constantiam designaret. Coron-
 arum et Laurearum onustum ut merita ; ita te, ita ingentem
 animum illum tuum ex alio pene orbe redeuntem suspicimus,
 tuis majoribus, tuis Infulis dignum, dignum etiam temet.
 Subsistis Rothomagi, quo consilio prorsus latet ? Volens tamen
 et pene impatiens calamo obvius accurro, ut te vel epistola, et
 quibus datur officiis cernuuus colam, quem votis omnibus sinceriori-
 bus et omni desiderio prosequo. O te coram intueri, te frui
 iterum permittatur ut olim Lutetiae ! Quam sponte ad pedes
 tuos e magnis | his sacrisque itineribus, decoro nedum pulvere
 sed luto sordidos osculabundus provolverer ! Quam admirab-
 undus a vultu starem tuo in omnem haeresim, insanasque
 perfidiae larvas, in Laniarum turres, in inferorum infensissimos
 conatus furente ! Quam sitiens et velut ab ubere, ab ore tuo
 penderem, nunc adversus quorundam noxas et fraudes, nunc pro
 aliorum laudibus et virtute perorante, qui Pitho, Suadamque,
 qui Musas ipsas elingues facis ! Non inde equidem dimoverer,
 nec te dimitterem, nisi benediceres mihi, qui Angeli ad instar
 mihi es, scientiam custodientis, custodientis erga Christi
 sanguine redemptas animas amorem.

(201) "Narravit de te non nulla Arcamonius noster, cum
 Roman repedans, Parisiis transiret ; non nulla olim, sed pro
 temporis angustia, coronarum ut itinerum particeps et domes-
 titorum tuorum fidelissimus Archidiaconus, cum me interdum

1839

inviseret. Pauca is, qui has litteras deferet Molonius, doctus juvenis ac pius, quem cum paucis in corde et in oculis fero. Siquidem Ibernum ipse, torris nempe erutus ab igne. Erit nihilominus, erit, qui cuncta, quae in ea terrarum ultima in templis ecclesiarum Antistes; pro sacris nostris populorum pastor, pro tribunal Legatus, inter legiones armatosque acies miles et dux egeris, describet. Erit qui quaecumque in tenebris et in aures dixisti, et quae modestia et Christiana humilitate obtegis, te quoque operiente defodiet. Quin si ingrati nimium tacebunt ii, pro quibus, ceu nubes, advolaveris, ceu murus steteris, ceu ardens fax et lucerna te consumperis. Non obticescent Momoniae littora, non portus qui te peregre adventantem excepere, tu lustrare impigre adeo potuisti. Non silebunt utriusque Ultoniae silvae, quamvis a silendo nomina deducant sua. Admonebunt nos montes, quos toties superasti. Non Lageniae et Dublinienses tacebunt arces, quas collatis ejus gentis vexillis ac viribus nec semel tremere jussisti, et lapides, qui tibi placuere adeo, etiam a pariete clamabunt. Auritas fixerunt olim poesis petras cautesque. Efficient illas jam semel loquaces ingentia merita isthaec tua longe sonoriora, clarioraque. Interea si magnos ausus tuos juvi aliquando, ecce iterum me Illustrissime. Si potui quid cum ires; nihil pro te detrecto, cum redis. Utrumque in te magnum, qui Ecclesiae et fidei hostes Parthorum ad instar fugiens, etiam fugas; et pedibus dum is, etiam telo redis. Macte laboribus et virtute praesulum optime ac prudentissime. Nec tibi caelum, nec Roma deerit, dum haec e purpura trabeam, e stellis illud coronam parat ut labores adornet Roma, triumphos caelum. Vale et salve.
3 Nonas Maii 1649."

(202) Nuncius aliis curis et itineris laboribus praepeditus non nisi mense Junio ex praefato Monasterio Fontanensi respondit his verbis:

1839

v

(203) "Quod Rothomagi debuissem, reddo Divione responsum. Nec tua interest (arbitror) Pater meritissime, ex quo mundi angulo illud accipias, dummodo ex intimis animi mei visceribus. Hic apud caenobitas Follienses solus, an salubriter comitatus, dego. Hic forensia Ibernorum, hic multiplices curas, hic evigilatas noctes faelicissima solitudine compenso. Supersunt adhuc D. Bernardi incunabula in aediculam commutata. Quotidie apud sanctissima rudera offero sacrificium. Locus est denique quo me ipsum colligere, et inflatos ob laudes in me tuas

frangere spiritus serio possim. Quid enim infortunato hoc quadriennio praestiterim, utinam non omnes viderent, quia nimium vidisse conqueruntur. Fateor diutius continuasse me impetum ruentis patriae ac res prope modum inclinatas reperisse. Verum militia quae prodire debet in vulgus non repugnatione sed oppugnatione clarescit. Amorem, quem tu perhumaniter in me agnoscis, caelo ingratus non diffitebor, ut mihi fortasse plaudam, concedo illum et alatum, et coronatum, et caecum, sed nemo veterum non illud etiam depinxit collimantem. Validiorem flammatum glaciale illud caelum expectabat, ac lethale religionis vulnus collirio agebat selectiori. Saltem quod vehementissime appetebam, datum mihi fuissest inter acies funesta haeresi corruptas aperire semel viam ad D. Patricii decantatos inferos? Fixissem ibi apostolicam crucem, et quasi erecto trophyo, devictisque Christi hostibus non tam ibi triumphos quam sepulchrum elegissem. Discessum illinc meum (non enim fuga sed generosi ad instar leunculi confugium fuit) mirifice ii probarunt, quibus omnia debo. Interim, dum ulteriora de me statuunt, transversa Galliae itinera Ulisses, at non prophanus, peragravi. Video te conquerentem, quod Parisios | declinaverim. Sed novarum rerum cupiditas, sed accelerandi studium, sed quaesita cum omnibus libertas satis excusabunt. Audissem te (fateor) eadem quae scribis erga me repetentem; vidi sem constantem et immutatum plane animum tuum ut qui Dei imitator res effectu non successu dimetiatur, sed omnia collegisti in litteris dum selecto epiphonemate, si Roma, si amici, si reliqua deessent, caelum saltem auguraris. Accipio omen et redbo. Vale optime amicorum et me ama. Fontanis 21 Junii 1649."

1840

(204) Ex hujus epistolae parte illa, qua Nuncius suum discessum ex Ibernia ab iis, quibus omnia deberet, mirifice probatum fuisse dicit, colligere est eum litteras 26 Aprilis ab Illustrissimo Domino Albitio, si non alias 3º Maii a Cardinale Panzirolo datas et superius positas antea recepisse. Sed ex illis, quae ibidem sequuntur, censendum est antea ad ejus manus non pervenisse alias ab eodem Cardinale 31 Maii ex Urbe ad eum exaratas, et eo spectantes ut in Italiam rediret. Quae hic observanda duxi ad obviandum calumniatoribus, qui in vulgus sparserunt Nuncium ex instantia in Gallia tempus trivisse ut tardius Romam rediret, proindeque censorum controversia non nisi ipso auditio dirimenda diutius penderet. Porro illa 31 Maii data epistola postea recepta supervenerunt

1840 v calores caniculares, quibus quam periculosum sit in Italia itinerari, notorium est, et ipsissima epistola superius posita testatur. Supervenerunt | etiam caloribus et itineris laboribus notae corporis molestiae, quibus omnibus factum ut Nuncius hoc anno in Urbem tardius redierit.

(205) Nuncius Divione Lugdunum processit, eumque Lugduno non in Italianam progressurum sed (juxta ea quae jam tradidimus) redditum Parisios in Nuncium Galliarum, videtur hactenus sperasse et ardentissime desiderasse Archiepiscopus Rothomagensis juxta initium hujus epistolae :

“ Superillustris ac omni supereminencia dignissime Domine.

(206) “ Lugdunum appellantem quamdiu expecto, judicare potest solus, qui spirituum ponderator est Dominus, quos Gallionensi tua commoratione tam suaviter devinxit, quos litteris in Lugdunensi tuo itinere Carnuto missis tam fortiter adstrinxit dicam an humaniter quantumvis distantes copulavit? Est enim mutuis affectibus ea divinitus infusa conditio ut pars quae in obsequium pendet, inquieta sit donec referat gratiam, qua semel concordissime ad perpetuam memoriam praeventa est. En igitur adsum, qui tota via corde et animo individuus comes adstiti, responsa destinato loco oblatus ad innumera, quae litterae tuae Carnotenses, Antistes colendissime, exprimunt aut signant, quae summatim licet nunc duntaxat delibare. Ac in primis testem nostrae ecclesiasticae aeternitatis appellas Gallionem, ubi Romanum nomen in Normanno nostro regimine

1841 intactum reperisti, ad | cujus vocem vetera saecula audita et redditia sunt, exhibito reverentiae honore, nec non praestito hospitii loco, et oblato obsequii munere. Sonat inde in tuis literis Episcopalis unio atque ecclesiasticus character, qui impressas cordium imagines retinet, nec more saeculi elabuntur, quocumque turbine navis Ecclesiae acta sit, in saeculo interdum fluctuantis. Turbant vaganturque politici, (ut literae tuae recte monent et praesentia tempora repraesentant) ecclesiastici vero concordant ac resident, imo quaquaversum se nostra flectat disciplina, aut fidei anchora sustineri nos rite auctoritate aut angulari lapide fundari, quorum alterum ventorum mare saeculi evitat, alterum mundanam levitatem excludit. Formatarum, quas refers, antiquitatis, praesul amantissime, certissimum id symbolum est, epistolarum videlicet Canonarum, quarum formam Nicaena synodus prohibetur praescripsisse. Unde mos Latinus nomen invenit, primis Graecis elementis Patris et Filii et Spiritus Sancti praenotatis, dehinc

Petri Apostoli, Apostolorum corryphaei, ecclesiasticaeque communionis Principis, prima littera designata, ejus quoque qui scribit, prima, cui scribitur secunda, ac tertia accipientis, Civitatis de qua scribitur quarta, et Indictionis currentis numero, addito ab accipiente Amen in fine Graece expresso; ex quibus omnibus summam colligere erat, quae commendationem firmaret, ab omni errore fraudis ac suspicione falsitatis purgaret.

..... "juvat ire et Dorica castra
"Desertosque videre locos, litusque relictum. |

(207) "Vetustae illius disciplinae, obstetricis animorum, ac sententiarum fidelissimae interpretis et custodis, quam in te dum apertis dictis scriptisque apud nos renovas, religiosissime pastor, dicta scriptaque nostra caeteris probas, nobis confirmas. Loci vero importunitatis nos demum admones, qui unus denegatione viciniae dividat, quos proximitate sociaverit, quamquam confestim soleris promptitudine ac subtilitate animi loca cuncta, fulminis instar, pererrantis atque incidentis. Faxit aeterna charitatis conglutinator, Dominus, ut frequenter tuum a te, uti spondes, ad nos avolaturum, Gallioneque victurum quo praesentior sit ubi amet quam ubi animet, Gallio digne tantis votis excipiat. Sane non redibit solus, secum profecto reducit comitem, qui ne iter deflectat, aut cursum retardet, non obviabit, sed tam benigne promittentis ac imperantis nutum sedulo expectabit. Interim non metu illo, quo rhetorem dicturum ad aram Lugdunensem pallere ob extremum sibi imminens periculum victo recitatori destinatum satyricus scripsit, cum humanitas me tua securum reddat, sed observantia aeterni obsequii et amoris pallendum est mihi, cui nunquam fallendum devovet

Gallione 23 Junii 1649,
profesto Praecursoris, a quo tibi, incomparabilis
Archiepiscope, Nuncio vel Exnuncie, Lateranense
nomen, a me, de quo multi gaudeant, Gallionense
omen.

Humillimus et obsequentissimus, devinctissimusque
servus,

Fr. Archiepiscopus Rothomagensis." |

(208) Jam tempus exigit ut antequam Nuncium ulterius deducamus, modum, quo in censorum ob inducias cum Insequinnio contractas anno 1648 fulminatarum, atque inter-

1841
v

1842

positae a pseudo-Concilio Supremo Appellationis lite Romae dirimenda processum est, perstringamus. Ad quam causam prosequendam vidimus anno superiori a pseudo-Concilio et pseudo-Comitiis P. Joannem Rouaeum, Carmelitarum in Ibernia Provincialem, et a Nuncio P. Josephum Arcamonium, sibi a confessionibus, Theatinum Italum, nec non P. Richardum O Ferallum, Capucinum Ibernum, fuisse in Urbem destinatos. De Carmelita Nuncius ex Ibernia ad Cardinalem Panzirolum 29 Novembris 1648 scribens: "Missus (inquit) fuit contra me et Ecclesiae partes Carmelitarum Discalceatorum Provincialis, quem audio P. Scarampo esse aliquatenus notum, et hic resciverunt eum Dubliniae de facto Marchioni Ormoniae famulatum fuisse, quod mihi visum est Eminentiae Vestrae significare, ut ejusmodi hominis genium compertum habeat." Sic Nuncius.

*Reg.
P. 707.*

1842

v

*Reg.
P. 739.*

(209) Idem etiam Carmelita Parisiis illius celeberrimae Universitatis sententiam in sui favorem anno superiori (ut vidimus) extorquere conatus, sed spei demum irritus suae causae haud mediocriter praejudicavit. Nam pessime sapuit quod in causa per Appellationem ad Sedem Apostolicam devoluta prius ad Universitatem Parisiensem, imo ad quosdam Universitatis Doctores quam ad Suam Sanctitatem recursum habuerit, eorumque constantiam, si non aliter, certe binarum Reginarum Angliae et Galliarum, nec | non Regis Christianissimi authoritate concutere voluerit, velut paucorum Doctorum censura affecturus, ut postea Romae Pontifex Innocentius manus daret. Quo ejus molimine audito Nuncius per litteras 14 Aprilis 1649 apud Cardinalem Panzirolum gravissimam querelam movit, instans ut ante omnia Romae illius audacie paenas daret. Porro de eo ante ejus appulsum in Urbem Cardinalis jam dictus Nuncio 16 Novembris 1648 scribens: "Auditur (inquit) certum P. Carmelitam cum interposita a Concilio Appellatione Parisios pervenisse, et Romanum esse venturum, cuius adventum et ea quae praesentabit expectabimus. Sed Dominatio vestra sit certa in nullam hic eundum esse sententiam nisi sibimet antea communicandam." Haec ille. Quid autem ad haec Nuncius responderit, ejus litterae 14 Martii 1649 ex S. Vedasti fano exaratae et superius positae te docuerint. De eodem etiam Carmelita ad ineuntem hunc annum 1649 in Urbem appulso praefatus Cardinalis juxta receptas Lutetia Parisiorum et ex Ibernia litteras suspicabundus notis arcanis 23 Januarii 1649 scribens: "Nec (inquit) a Sua Sanctitate, nec a Dominis Cardinalibus Congregationis

quae rebus Ibernicis praestet, tam facile audietur. Interea expectamus, ut qui ex Gallia scripsit, Dominationis vestrae Confessarius appellat. Idque fiet ut oculo vigili obseretur Provincialis, quo ejus instituta, quid et cum quibus tractet, detegantur, quatenus circa ejus deinde personam, sicut visum fuerit, | deliberetur." Sic ibi. Caeterum has de Carmelita conceptas in Urbe suspicione non imminuit sed auxit P. Josephus Arcamonius, qui ubi Romam ad ineuntem mensem Martium hoc anno 1649 pervenisset, certa in eum accusationum capita vibravit folio Italico, quod ex apicibus propriis P. Josephi manu scriptis Latine verto :

1843

"Capita Contra P. Rouaeum, Carmelitam Discalceatum.

(210) " 1°. Pace cum Marchione Ormoniae, Prorege haeretico, conclusa idem Marchio non nullas produxit propositiones, easque Theologis Dubliniae tunc existentibus, ex quibus P. Rouaeus esset, proposuit, quo eas juxta fidei Catholicae fundamenta diffinirent. Quae ab ipsis decisae fuere in maximum fidei praejudicium, imo secundum non nullorum opinionem dictae decisiones haeresim sapiebant. Praefata capitula subscripta reperientur in tabulario Illustrissimi D. Albitii, sacrae Congregationis rebus Ibernicis praefecti a secretis.

(211) " 2. Habitus fuit haereticorum fautor et Catholicorum proditor, eorum secreta revelans dicto Marchioni Ormoniae haeretico et hosti. Haec opinio existimata constantissima ob familiaritatem et favorem, quo apud praefatum Marchionem pollebat, et quod haberet ab eodem haeretico mandatum ac privilegium eundi et redeundi, nec non in ejus obsequium die noctuque utendi pro libitu per vim equis quibuscumque, quorumvis et quocumque loco, idque interveniente pracepto cum autoritate regia, ut unusquisque ipsi usquequaque presto esset et faveret. |

(212) " 3. In id animum intendit ut Confaederatos Catholicos seduceret, et ad Marchionis Ormoniae partes aliceret. Unde dum quosdam bonos constuprare vellet, accusatus et publica Concilii Clerique autoritate velut religionis, Ecclesiae, ac Regni proditor, atque hostium haereticorum explorator in carcerem conjectus fuit. Verum Concilii pars depravata tam ut rem Marchioni gratum facerent, quam ut ipsorum molitiones non innotescerent, eum Clero contradicente, carceribus liberandum curarunt nec absolutum.

1843

v

(213) " 4. Cum Illustrissimus D. Nuncius excommunicationem fulminasset in quemcumque Theologum vel Canonistam, qui verbo vel scripto in Treugae favorem opinaretur, nisi Congregationis Ecclesiasticae, a qua damnata erat, rationibus et fundamentis prius auditis, quae Illustrissimus Dominus se omnibus qui vellent communicaturum promittebat: idem P. Rouaeus de dictis rationibus, quibus excommunicationis justitia demonstraretur, audiendis minime sollicitus, cuidam libro in praefatae armorum cessationis defensionem typis mandato subscriptis in gravissimum Catholicorum scandalum ac discordiam, declarans excommunicationem fuisse iniquam atque injustam, perinde ac si esset judex Illustrissimo D. Nuncio et Iberniae Congregatione Ecclesiastica superior.

(214) " 5. Non nullas moniales in ejus Ordine apud Iberniam professas atque admissas, et ab ejusdem Ordinis visitatoribus generalibus agnitas in vere professas, declaravit non esse professas et nubere posse, non sine gravi populi scandalo dans occasionem obloquendi, eum scilicet has monachas | eo pronunciasse non esse professas, ut earum una nubere posset suo filio quem habet naturalem, sed (sicut audio) dum vitam saecularem ageret, generatum.

(215) " 6. Quendam loci Galviensis *Priorem*, virum Ecclesiae fidelem, infra annum officio spoliavit, et alium ex parte adversa suffecit, cumque *zus* iste Prior et alter frater Galviae, ubi Interdictum ab omnibus aliis ecclesiis etiam a Matrice observabatur, publice celebrassent, idem Provincialis hoc cognito tantum abest ut eos correxerit, ut etiam animarit, praeciپiens sub paena excommunicationis aliis, qui Interdicto morem gerebant, ut Galvia discederent, cumque idem Prior virtute *Clementinae* esset excommunicatus, et velut talis nominatim declaratus, in ejusdem Prioris locum alias, qui Interdictum observabat, ad moderandum (a Nuncio) suffectus fuit, cum dictus Prior, quia nominatim excommunicatus, non posset exercere jurisdictionem. Praefatus autem Provincialis praecepit sub paena excommunicationis huic Priori substituto ut Galvia exiret, et alium ipsi locum, in quo degeret, assignavit, volens ut Ecclesiae imperium detrectantes atque excommunicati, iisque soli, Galviae restarent ad exercendum Praelaturaе jurisdictionem et sacra celebranda.

(216) " 7. Appellationis ab excommunicatione causa ad Suam Sanctitatem devoluta, idem Provincialis malitiose operam dedit, ut dicta excommunicatio a Doctoribus Sorbonicis

declararetur invalida, qui ut suo ipsorum Regi Christianissimo eos ad opinandum in dicti Provincialis favorem binis litteris urgenti rem gratam facerent, per novendum et tres quotidie | horas continuas causam agitarunt. Sed suam Majestatem rogarunt ut se excusatos haberet, quod in dicti fratris favorem sententiam ferre non possent. Quam ille si obtinuisse, amplius (credo) de Sede Apostolica non curasset." Hactenus illi articuli.

1844
v

(217) De hoc folio ipse P. Josephus aliquot septimanis interjectis epistola 16 Maii 1649 ad Equitem Rinuccinum: "Scriptura (inquit) ad nihilum recidit. Nam mihi dicit Illustrissimus Dominus Albitius, eum esse personam publicam allegatam ad Suam Sanctitatem, proindeque secure habere, et gaudere fide publica." Sic ille. Porro parum dubito quin P. Josephus harum accusationum numero primo non de aliis propositionibus ab Ormonio propositis loquatur, quam de iis, quas anno 1646, alias 3^o Octobris circa pacem Ormonicam, alias duobus circiter mensibus interjectis propositas fuisse vidimus circa conditiones mense Novembri ejusdem anni a Clanricardio cum Prestono et Prestonianis ducibus pactas. Verum illarum propositionum responsionibus in exemplaribus mihi communicatis hunc Carmelitam subscrisisse non video. Quod tamen non probat quin forsan, dum circa illas Dubliniae ab aliis deliberaretur, absens, et postea regressus aliis exemplaribus manum apposuerit, cum prope totus ab Ormonii nutu penderet.

(218) P. Josephus dum hoc anno 1649 hanc censurarum causam prosequeretur, omnia ad Equitem Rinuccinum, Nuncii fratrem, Florentiam, et ad ipsum Nuncium ex Urbe diligentissime scribebat. Ex quibus ejus autographis utrinque mihi communicatis rei progressum referam. Itaque utriusque partis | procuratores, Theatinus Italus et Carmelita Ibernus, Romae contrariis studiis causam strenue prosecuti sunt tanta industria ut non tam aperto Marte, quam occultis cuniculis diu se aggredierentur, nec alterius conatus alteri nisi per secretissimas rimas et foramina subterranea patescerent, quod Carmelitae non deessent Romae, qui potentissime patrocinarentur ejus causae in Reginae Angliae gratiam, quae Ormonistarum velut antea Regi marito, et nunc Regi filio suo obtemperantium litem in suam transfuderat, et nedum suam, sed etiam Regis Christianissimi, nepotis ex fratre, Regis Catholici, sui sororii, Sabaudaeque, suae sororis, aliorumque Principum necessitudine conjunctorum,

1845

atque eorum, qui ipsis in Aula Romana suffragarentur, operam impendebat ut Nuncius causa caderet, ne ejus in Ibernia fautores lite pendente Ormonii atque Ormonistarum tanquam excommunicatorum imperium detrectarent, et causa semel in Nuncii favorem per sententiam decisa plerique Ormonistarum mox resipiscerent, iisdemque Nuncii in Ibernia fautoribus ita coalescerent ut explosa Ormonio ad primaevam confederationem Catholicam rediretur. Cum autem rebus Ibernicis tunc in Urbe praeesset peculiaris Congregatio, quatuor scilicet Cardinales, Panzirolus, Carrafus, Spadus, et Capponius, praesente saepe et praesidente ipso Summo Pontifice, et huic Congregationi esset a secretis Illustrissimus | D. Franciscus Albitius, hos omnes P. Josephus a se rerum notitia imbutos de sua causa optime sensisse scribit, excepto Cardinale Capponio, Catholicorum Angliae Protectore, in quo operam et oleum perdidit. Nec silentio praeterierim Cardinalem Spadam a P. Josepho visitatum inter alia Nuncii in ea apud Iberos provincia obeunda prudentiam, patientiam, aliasque virtutes magnopere laudasse, quo Josephus auditio rogavit, ut in ejus tot afflictionibus demersi consolationem litteris ad eum datis illam esse suam sententiam profiteretur. Quarum Cardinalis libenter etiam manu propria scribendarum spem fecit. Verum postea rebus prudenter consideratis respondit se, cum esset ex Congregatione rebus Ibernicis praefecta, ejusmodi epistolam ante latam sententiam diffinitivam scribere non debere, ne contra judicium normam sententiae diffinitivae praejudicaret. Nam licet anno superiori ambae litigantium partes chartis suas rationes et fundamenta ad Suam Sanctitatem praemiserint, et Pontifex Fernensis, Plunketti, et P. Lucae Waddingi, qui appellantium causam in Urbe tunc egerint, conatibus et instantiis repressis (sicut vidimus) per actum 7 Septembris 1648 a Cardinale Panzirolo

P. Joseph.
ep. 3^o
April.
1649 ad
Equit.
Rinuc-
cinum.

idem ad
eundem.
ep. 18 Ap.
1649.

1846

datum totam causam ad ipsum Nuncium remiserit, | nunc tamen ambarum partium procuratoribus ex Ibernia in Urbem appulsis, et controversiam pressius agitantibus, in quaestionem venit, nunquid expediret, ut partibus fusius auditis ad sententiam judiciariam procederetur cum omnibus illis solemnitatibus, quae in litibus peremptorie decidendi succedere solent. Inter haec chartarum, quae ex appellantium parte porrectae essent, una ad meas manus pervenit, quam solitis mendaciis et fraudibus plenam hic in medium produco, postea juxta intextos numeros indigitaturus non pauca in quibus a vero et integritate aberrat, non tamen omnia, ne prolixior sim, et alibi tradita repetam.

1845

v

"Candida ac Brevis Relatio eorum quae contigere inter Supremum Concilium (1) Confaederatorum Iberniae ac Illustrissimum (2) D. Nuncium circa Cessationem conclusam cum D. Barone de Insequin in Maio anno 1648.

(219) "Cum in Regno Iberniae, *Protestantibus* jam diu praevalentibus, Catholici ita oppressi essent ut nulla religionis aut sacrarum functionum libertate gauderent, ab aliquot annis contigit ut motarum ab ipsis *Protestantibus* communem Regem abjicere parantibus turbarum occasionem nacti Iberniae Catholici convenerint faedusque inierint, quod et sacramento confirmatum voluerunt, sancte jurando se pro Catholicae religionis libertate, regiae Majestatis, jurium ejus ac justarum praerogativarum defensione, ipsius denique nationis suae ab imminenti ruina praeervatione, legitimaque subjectorum immunitate cum fortunarum omnium ipsisque vitae discrimine certatuos.

1846
v

(220) "Summum sibi deinde ex selectis tam ecclesiasticis quam saecularibus viris magistratum instituunt, quem Supremum Concilium nuncupant. Qua regiminis forma vel ipsorum hostium confessione laudata, effectum tandem est ut magnam Regni partem, exactis e meditullo ejus *Protestantibus*, sibi subjecerint Catholici, quorum res ab initio quidem minima ac pene nulla indies magis ac magis invalescebat, donec occulto Dei judicio cladibus aliquot acceptis belli eventus varios experti. Nam anno 1647 exercitus Catholici his profligati sunt magno sane religionis et Reipublicae damno, unde evenit ut res Catholica, quae prius mirifice crescebat, brevi multum inclinata et undequaque a Parliamentariis obsessa ac pressa ruinae proxima videretur.

(221) "Quod cum cerneret Supremum Concilium, ac mature consideraret Confaederatos impares viribus inimicorum, neque defensivum multo minus offensivum bellum cum omnibus (3) simul et semel gerere posse; ineunte anno 1648 decrevit Cessationem armorum cum aliquibus hostibus suis necessario contrahendam. Quod Illustrissimo Domino Nuncio tunc forte absenti per D. Baronum, unum ex Concilii proceribus, ad illum missum aperiendum duxit, qui angustias et miserias Confaederatorum paterno affectu ac sensu considerans induciis faciendis annuit, et sua epistola (4) animos addidit, ut videbatur.

(222) "Dum haec meditantur ac variis modis Supremum

1847 Concilium exploraret jam Scotos jam Jonium (5) si forte aequis conditionibus possent induci ad | armorum Cessationem petendam vel admittendam ecce e Parliamentariis ducibus unus, nempe D. Baro de Insequin, pro Serenissimo Rege (6) se declarat, et Supremo Concilio insinuatur, haud difficile fore praemeditatem Cessationem cum D. Barone concludere posse. Re ad Concilium sic delata (7) ad D. Baronem scribere censuit, ut ejus animum exploraret, eumque cum reperisset sincero animo ad regias partes transiisse, in negotio Cessationis illum aliis, quippe Regis adversariis, praetulit, eoque libentius quod ille demonstravit se velle armorum Cessationem cum iisdem Catholicis inire, ut junctis imposterum viribus communem hostem (8) tam Regi, pro quo ille se declaraverat, quam religioni infestissimum aggredierentur. In qua tractanda quo cautius et securius procederet Concilium, Provinciae Momoniae, in qua hostis ad inducias aspirans exercitum et praesidia habebat, ut et Lageniae adjacentis, quae etiam ab eodem inimico ingentia damna (9) sustinuit, Comitia (10) convocat, ac interim invitatus Illustrissimus Dominus Nuncius a Concilio et ut adesse dignetur, dum negotium tractari debet, rogatur, cui Concilium pro solita reverentia et observantia in illum omnia communicanda (11) ac eo inconsulto (12) nihil concludere promisit.

1847 v (223) "Verum ille ad Concilium epistolam ante suum adventum praemisit, qua sibi cum Domino Barone inducias tractare omnino (13) displicere insinuat, ac Concilii proceres ab illa dissuadere aliquot rationibus nititur, in quibus plane appetet ejusdem ardor ac zelus pro religione Catholica, dum laceratum ac vere deplorabilem | statum religionis in Momonia consideraret, ac timeret per inducias nullam faciendam alterationem rerum in commodum religionis, eo quod proprium sit induciarum res in eodem statu relinquere, in quo inveniuntur. Cui epistola Concilium respondit, ac operose satis contendit timorem illum amovere, sancte promittens (14) quantumvis res Confederatorum essent (15) desperatae, nunquam velle inducias cum Barone admittere, nisi religionis commodum praecipue sequatur, ac suarum necessitatum magnitudinem ab aerario exhausto, agricultura intermissa, incolarum summa paupertate, annonae caritate (16) ac totius Provinciae devastatione adstruit. Ulterius addunt proceres non sine piaculo grandi illos posse Cessationem denegare illam petenti et se pro Rege declaranti, dum ipsi alias in angustiis positi coguntur hanc ipsam, quam petenti denegant, ab adversariis Regis emendicare iniquioribus forte conditionibus.

(224) "Adveniente igitur termino, quo Comitia Provinciarum coram Supremo Concilio convenire debeant, accessit ad eandem urbem Illustrissimus Dominus Nuncius, ad quem Concilii proceres omnes urbanitatis ac observantiae causa adiere simul, et illi exposuerunt plurima circa Cessationem, de qua agebatur. Quam cum ille (17) improbaret, proceres Concilii se quoque eam declinare velle dixerunt, ea tamen lege ut viam ille aperiret, qua in una Provincia offensivum (18), in caeteris defensivum bellum suscipere ac urgere possent. Institit tamen sua Illustrissima | Dominitio rejectioni Cessationis, quem in finem aliam scripsit epistolam (19) ad Concilium, in qua variis rationibus utilitatem aut commodum ex illa Cessatione religioni aut Regi accessurum non sperari, adeoque sibi non probari asserit, confederationemque potius cum dicto Barone praferendam, ex qua suo judicio major utilitas accidere possit. Concilium multis argumentis Cessationem confederationi praferendam probat, ac utilitatem demonstrat, remque Provinciarum (20) Comitiis eorumque deliberationi subjicit, ubi re pro merito perpensa unanimi omnium consensu proposita armorum Cessatio non utilis modo religioni et Reipublicae, sed et omnino (21) necessaria judicata. Jam Legati missi fuerant a Concilio cum mandatis ut cum Barone de Cessatione tractarent, quibus novae instructiones transmittendae erant.

(225) "Dum haec agerentur Illustrissimus Dominus Nuncius cum aliquot Episcopis in eadem urbe congregatis petiit sibi et dictis Praelatis instructionum exemplar mitti. Quod cum factum esset, brevi post declaratio ad Concilium missa est contra Cessationem tanquam iniquam et periculosam, eo quod tendere videretur (22) in ruinam religionis et cultorum ejus. Declaratio scripta erat a quatuor Archiepiscopis et decem Episcopis, qua visa Concilium statim ad Praelatos legavit sui ordinis viros, qui ab illis discerent particularia instructionum puncta, quae conscientiae integritati adversari dicerentur.

(226) "Duo praecipue ab illis (23) acceperunt; 1^{um} (24) quod per dictos articulos non satis videretur temporalibus Ecclesiae prospectum, aut ipsas ecclesias | in limitibus assignandis Baroni reservatas religionis Catholicae professoribus. 2^{um}, non immerito Clerum suspicari Cessationem hanc rejectae pridem pacis denuo introducenda adminiculum esse, quod ex variis capitibus (25) probare conati sunt.

(227) "Quae Cleri declaratio et suspicio, cum ad utriusque Provinciae Comitia delata essent, editis ex parte eorundem novis

1848

1848

v

declarationibus contra falsos rumores (26) (ut aiebant) omnes juramento se adstrinxerunt (27) nullam aliam pacem acceptare velle nisi illam, quam jam Regni *Agentes* peregre profecti a Comitiis Generalibus Regni in mandatis habebant, vel quam ipsa (28) Comitia Generalia in posterum amplexandam judicarent, prout in juramento Confaederationis continetur. Concilium similiter laboravit ut suspiciones illas Cleri nullo niti (29) fundamento ostenderet, hosque rumores et calumnias sparsas fuisse suggestione quorundam, qui ab omni tranquillitate et quiete aversi essent, aliosque sibi fines proponentes praeter commune religionis et Regni bonum. Mirum sane quantum fuerit ubique turbatio, quantum murmur, dum de Cleri declaratione contra Cessationis negotium palam innotuit.

1849

(228) "Confaederatis igitur sic quorundam occultis (30) machinationibus, qui discordiae semina inter partes hac occasione pro viribus serere conati sunt, in contraria studia scissis, pleno tandem dissidio patefacta est via. Discedunt Comitia provincialia Momoniae ad urbem quandam | sua Provinciae, et ad Concilium legarunt ut Cessationis negotium acceleretur, alias dicta Provincia sua curae relinqueretur, cum miserabilis ejusdem status moras non pateretur, et ut periculum praesens et futurum, quod magis timebatur, eo quod esset finis redemptae vexationis a Barone, averteretur.

(229) "Re (31) igitur in tali statu posita de censura tam Cleri quam Concilii utriusque ordinis viri pro dirimendis controversiis convenerunt, nempe quatuor Episcopi et tres de corpore Concilii, inter quos, dum multa pro reconciliatione partium proposita essent, suggestit unus Cessationem ineundam cum Jonio ac Dubliniensibus, ut sic omnes exercitus educi possent in Momoniā contra Baronem, cui responsum fuit incertum esse an id consilium probatus esset Clerus, ut et an Jonius Cessationem cum Confaederatis vellet, neque jam amplius tempestive consuli de revocandis mandatis concludendae cum Barone Cessationis dudum traditis, idque sola spe concludendarum novarum et hactenus intactarum cum ipso Jonio induciarum, quod negotium pluribus obnoxium difficultatibus experientia deprehendetur, at siquae monstraretur via, qua manifeste appareat posse Confaederatos offensivum bellum in una Provincia ac in caeteris defensivum suscipere ac promovere, Concilium Cessationem, qua de agitur, declinaturum; ceteroqui proceres nelle capita sua aperto discrimini (32) exponere quod commoda hujus Cessationis beneficio in universum Regnum et religionem derivanda neglecta praeterirent. |



(230) "Cum nullum adinventum esset medium, in quo convenirent partes, res tam ad Concilium quam ad D. Nuncium delata fuit. Ipse vero D. Nuncius postridie summo mane clam discessit, ac sui inopinati discessus rationem per epistolam sub vesperam Concilio datam significavit, qua conqueritur legatos pro tali et ultima induciarum conclusione ad Baronem missos se inscio, ac protestatus est in his temporis et rerum circumstantiis se nec approbasse dictam Cessationem, nec potuisse salva conscientia approbare. Ex inopinato discessu Illustrissimi D. Nuncii perturbata fuit tota civitas, ac omnes distracti in varias cogitationes, multosque dire afflixit (33) ominantes et deflentes mala futura, quae contigere postea.

1849
v

(231) "Concilium post duos dies legavit sui ordinis illustrissimos viros, Galfredum Barronum et Patricium Brian, cum epistola ad D. Nuncium et mandatis ut de reditu illum urgerent. In dicta epistola exposuit Concilium doloris sensum quem concepit de clanculari ac inopinato ejus discessu, quod nihil fuit factum in toto illo induciarum tractatu, inconsulta sua Illustrissima Dominatione, quam tot et toties repetitis rationibus in suam sententiam attrahere conati sunt, nihil novum (34) per commissarios denuo redeuentes missum praeter regionum limites aliquantulum dilatatos melioribus conditionibus pro religione compensandos, rogavitque ut de suo reditu ad illos cogitet, cum ut ventura mala causae Catholicae (35) ex ipsius cum Concilio dissensu evitentur, tum ut eo praesente | res melius et facilius peragi possint, et serio de aliqua contra inimicum expeditione (36) unanimiter agatur. Meminit etiam Concilium propositionis sibi traditae a Lageniae Comitiis provincialibus suae Illustrissimae Dominationi transmittendae, nempe si placeret Illustrissimae Dominationi suae ex pecuniis missis a Sua Sanctitate decem mille libras sterlingas ac arma quae habebat illis mutuo dare, quod peracta (37) Cessatione cum Barone suis et Momoniae viribus et expensis Dublinum aggrederetur, et expugnarent ante festa Natalitiorum, si non, cautione data redderent integrum. Praefati Legati ex parte Concilii multa Illustrissimae suae Dominationi de re controversa dixere, et quae sequuntur in scriptis tradidere :

1850

(232) "'Cum Supremum Concilium Confaederatorum Catholicon Iberniae, consideratis propriis viribus et omnibus rerum circumstantiis, ineundam duxerunt Cessationem et inducias cum D. Barone de Insequin per sex menses, unde non pauca expectabant religioni Catholicae et Patriae eventura commoda, et jam usqueadeo processum est, ut vix possint regredi. Cum-

que Illustrissima sua Dominatio sibi ipsi et Clero et iis adhaerentibus ab induciis istis timere summopere videatur, rogamus ut velit significare, quae videbitur Illustrissimae Dominationi suae via media ineunda, qua possit impediri (38) divisio et in partes discessio Confaederatorum Catholicorum, quae aliter secutura probabiliter est, quo majus periculum ruinae et interitus et genti Ibernorum et Catholicae religioni imminere nullum potest. Cumque eo potissimum animo Supremum Concilium sanciendas duxerit illas inducias, ut divisis hostibus, quorum omnium copiis Confaederati Catholici prorsus impares sunt, tutius conjunctis nostris viribus aggredi | possimus eum qui ex hostibus magis idoneus videretur, enixe rogamus ut non orta inter nos divisione isto fine privemur, cum jam luculenta sint argumenta, facta Cessatione cum Insequin, facili negotio hac aestate posse capi Dublinium, Pontanam, et alia non infimae sortis loca, et siquid D. Baro de Insequin durante Cessatione moliri videbitur in detrimentum Catholicorum Confaederatorum, ineunte hyeme si non prius ipsum satis apte supprimi posse, exercitumque nostrum in ejus ditiones et tractus ad hyemandum perduci. Nisi ineatur via media ad reconciliandas hasce difficultates, ut jam se res habent, periculum est ne infecta Cessatione deficiat populus a Concilio eo nomine quod nos declinare dicent, quae videbuntur (39) tuto praestari posse non solum sine detimento (40) religionis, sed maximo ejus commodo, patriae (41) emolumento, et quod ad res Regis in summas jam angustias detrusi promovendas valde opportunum (42) judicabitur. Est etiam et aliunde periculum, ne facta Cessatione deficiat pars altera populi a Concilio eo nomine quod Illustrissimae Dominationi suae et Praelatis parum videbitur satisfactum. Si recolat igitur (43) Illustrissima Dominatio sua quod sit Nuncius Apostolicus Sanctissimi Patris nostri ad Confaederatos missus, ut eos unitos ad vindicandam Catholicam religionem conservet, rem et se ipso et legatione sua dignam praestabit, si jam rebus nostris difficulti loco existentibus viam monstret, qua possimus salvo suae Illustrissimae Dominationis honore et persona, et illaesa etiam Concilii dignitate, Clero et populo satisfacere, si media antehac a Concilio proposita minus satisfiant.' Hactenus duo illi a Concilio missi.

(233) "Quibus auditis Illustrissima sua Dominatio accersitis aliquibus Praelatis, qui forte aderant (44), et Generali O Nello, habita matura cum illis deliberatione, propositiones aliquot concepit et scripsit, quibus Cleri et sibi adhaerentium securitati |

prospiceretur, ac sic Cessatio tuta in conscientia redderetur, ac Confaederatorum unio et concordia conservaretur, hasque propositiones sua ad Concilium epistola comitatas per dictos legatos transmisit. Interim conclusa est Cessatio 20 Maii et Concilium ad dictas propositiones (45) respondit, et 23 Maii responsiones et Cessationis articulos per virum nobilem ad hoc destinatum ad Illustrissimum D. Nuncium misit, et suis epistolis illum iterum invitavit ut redeat, quatenus de expeditione aliqua tempestive contra inimicum illo praesente resolvant.

1851

(234) "At dictarum propositionum responsiones non arrisere D. Nuncio, prout sua ad Concilium epistola expressit, ac propterea iterum dixit se non posse salva conscientia aut laudare aut approbare dictam Cessationem. Cum Concilium putaret (46) satisfactum D. Nuncio, eo quod melius religioni Catholicae et Clero per has ultimas Cessationis conditiones prospectum esset, ecce declaratio illa Episcoporum, quae Concilio 27 Aprilis missa et praesentata fuit 25 Maii de mandato Illustrissimi Domini Nuncii ac trium Reverendissimorum Episcoporum (47) publicatur ac palam affigitur Kilkenniae, non obstante quod Cessatio jam publicata et acceptata fuisset in eadem civitate, sicut et in pluribus aliis Regni civitatibus et oppidis.

(235) "Rebus sic perplexis 27 Maii D. Dionisius Massarius, Decanus Firmanus, nomine Illustrissimi D. Nuncii quoddam scriptum publice affigi curavit in praedicta civitate, per quod praecipit omnibus et singulis personis cuiuscumque dignitatis, ne quovis quaesito praetextu quidquam verbo aut scripto proferre contra DD. Archiepiscoporum et Episcoporum declarationem praesumant sub paena excommunicationis latae sententiae, cuius absolutionem reservavit ipsi D. Nuncio. Qui | hoc ipso 27 die Maii aggregans sibi quatuor, qui aliorum declarationi praedictae subscriptorum se delegatos et subdelegatos dicerent, et praefatae declarationi insistens, excommunicationem latae sententiae intentat omnibus et singulis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, in quacumque dignitate et praeminentia constitutis, etiam si essent de corpore Supremi Concilii, qui illam Cessationem acceptarent vel jam accepissent, nisi infra novem dies trifariam divisos tanquam praecisum terminum resipiscant, Cessationemque rejicant, pro causa excommunicationis adferens quod in illa Cessatione multi essent articuli prius ab omnibus Archiepiscopis pluribusque Regni Episcopis coram se, Nuncio Apostolico, ante mature discussi tanquam injusti et iniqui damnati. Communitates

1851

v

etiam civitatum, urbium, oppidorum et pagorum, si predictam acceptaverint vel acceptatam non rejecerint, Interdicti paena ac cessationis a divinis multantur.

(236) "Concilium in his angustiis positum. Fides enim publica data (48) est Baroni ac haereticis de induciis servandis ad succurrendum afflictae patriae, nullumque remedium magis opportunum quam Cessationem armorum inire, et inter alias Regni Provincias Momonia nuper florentissima in ultimo quasi discrimine posita visa est. Quare belli moles istinc transferenda ne Ianiata (49) ac devastata Provincia periret. Propterea, et quod pro Rege se declaraverit (50) Baro, cum illo potius quam cum aliquo ex adversariis Cessationem inire, ejusdem D. Nuncii (51) ac Cleri, imo totius Regni judicio necessum erat. Hanc jam conclusam ac publicatam rejecere manifestissimum erat periculum | ruinae integrae istius Provinciae, amissionis omnium ecclesiarum, exilii totius Cleri et extinctionis fidei Catholicae in eadem Provincia.

1852

(237) "Supremum igitur Concilium haec allegans, dictamque Cessationem cum magno commodo et relevamine Confaederatorum Iberniae esse factam et initam pro bono et utilitate religionis et Cleri, et non ad eorum destructionem aut praejudicium, ac proinde illam non esse materiam excommunicationis aut censurae ecclesiasticae, adeoque conscientia ducti proceres Concilii, seque obligatos sentientes incommoda secutura et damna praevenire, quantum in ipsis esset, venerandum in terris nomen Sanctitatis Suae interposuerunt animo provocandi et appellandi, sicuti apparellarunt, se sibique confaederatos adhaerentes ac causam suam tuitioni, protectioni, ac judicio Sanctissimi Domini Nostri Innocentis Xmi, Summi Pontificis, submittentes, ac pro justitia ad ejus Tribunal recurrentes, suam dictam Appellationem infra novem praefixos dies coram Illustrissimo Domino Nuncio ac Praelatis sibi junctis per suum syndicum interposuerunt, ac Apostoli cum debita instantia petiti fuerunt et refutatorii solum assignati ac Appellationi delatum quoad effectum devolutivum non autem suspensivum.

(238) "Hinc secutum quod aliqui, spreta Supremi Magistratus authoritate in Concilio confaederatorum stabilita, non solum se ab obedientia, qua confaederationis sacramento adstringebantur, subtrahunt, verum etiam armata manu et hostiliter in reliquos Concilio et Cessationi obtemperantes saeviunt. Ita Catholici primum inter se divisi, mox commissi non sine magno Parliamentariorum cachinno et commodo ad hostilia

deveniunt, jamque mutuis inter se armis, et quidem acerrime configunt, | aliis Illustrissimo Domino Nuncio censurisque ab eo latis moram gerere gestientibus ac secus facientes hostiliter, ferro scilicet ac flamma, ubique consequentibus, aliis vero, iisque multo pluribus (52) et quidem longe insignioribus, omniumque urbium, civitatum ac oppidorum communitatibus Concilio adhaerentibus, Cessationem approbantibus ac parti adversanti reducendae toto conatu incumbentibus, communibus interim (quod vehementer dolendum) tum religionis cum Regis et patriae hostibus, qui conspirantibus animis coactisque viribus facile poterant expugnari, eorum discordia crescentibus in maximum et religionis et Reipublicae detrimentum, imo inevitabilem, nisi brevi discordia tollatur, utriusque ruinam, et quod supra modum deplorandum est, ab utraque parte exercitus haeretici in auxilium vocantur. Concilium enim juxta induciarum conditiones Insequin vocat ad se Cessationi opposentes opprimendos et reducendos, illi autem, qui se partes Nuncii et Cleri suscepisse praetendunt, Jonium cum suis Parliamentariis invitant ad aliorum vires (53) distrahendas, fortalitia et castra interim expugnanda.

(239) "Hic miserabilis status rerum Catholicarum in Ibernia, quae bellum ad septennium produxit pro religionis libertate et splendore, jam sub propriis armis ruit, et intestini belli tristes et deplorabiles effectus totius patriae misera devastatione experitur.

(240) "Ad Sanctitatis Suae pedes provolvitur. Paterna viscera, quae hactenus praeter ullum nostrum meritum pro singulari suo in Iberniam studio et effectu abunde ostendit, jam pereunte illa non claudat, sua Ibernia extremum agens orat et clamat. Quin potius tanto malo tempestive mederi velit, concordia inter Catholicos | restituta sua qua valet autoritate ac summa qua pollet prudentia, eamque a censuris, quibus forte irretitur, absolvere dignetur, ac benedictionem suam impertiatur." Hactenus illa Relatio.,

(241) Haec Relatio mihi tradita fuit tanquam Romae porrecta, sed quando, vel a quo? non rescivi. Praeter quam et alia brevior, sed rae summam continens ad meas manus pervenit. Cui tamen deesset ultimus paragraphus, quo Suam Sanctitatem rogari vides ut remedium adhibeat, Iberniam Censuris forte irretitam absolvat, ac benedictionem impertiatur. Caeterum utraque Relatio pene compendium est Diarii quod

1852
v

1853

Concilii Supremi fuisse diximus, ab aliquo, eoque (ni fallor) D. Joanne Mac-Ceallachano, Iberno quidem, sed Doctore Parisiensi (quem Rouaeo Parisiis anno superiore potenter astipulatum fuisse vidimus, quippe anno 1650 sub ementito Philopatri Irenaei nomine, Ormonistis et haereticis una conjuratis libello famoso patrocinatus est) Latine in ordinem ita digestum, ut id Rouaeus Romae quibusdam communicarit; quorum industria factum ut ejus apographum mihi praesto sit suo loco saepius citatum ad annum superiorem. Sed ad prafatam Relationem redeo, cuius peccata non omnia (nam alias alibi dicta repeterem) sed numeris intextis notata breviter indico.

(242) 1. Qui inducias contraxerunt et a censuris appellarunt, non fuere Supremum Confaederatorum Iberniae Concilium, sed pseudo-Concilium.

(243) 2. Controversia Ormonistis non intercessit solum cum Nuncio, sed etiam cum tot tantisque ejus e Clero populoque Iberico fautoribus, licet Ormonistae hic et multis aliis in locis solum Nuncium tanquam sibi adversantem memorent solito (ut videtur) artificio, ut eum lectoribus horrendum reddant tanquam unicam seditionis facem, cum tamen ille suas in hac controversia partes paeclarissime egerit. |

1853 v (244) 3. Quod hic affirmatur ad annum superiorem suis ponderibus satis superque libravi.

(245) 4. Quod hic dicunt probare conantur in ejusdem Relationis margine citantes Nuncii epistolam Concilio Supremo Waterfordia Kilkenniam 1 Martii 1648 scriptam et suo loco superius positam, ex qua, et iis quae ibi diximus, constat eos hic illam integritatem et candorem, quem suae Relationi in titulo affingunt, deseruisse.

(246) 5. Animadverte artificium, quo pae se ferant se non nisi in bonum publicum praetulisse aliis haereticorum partibus Insequinnium, cum tamen sub induciarum pallio pestilentissimam cum ipso conjurationem coierint in fines pessimos alibi demonstratos haud in Scotis et Jonio locum habituros.

(247) 6. Concilium et Insequinnius per litteras et legationes de induciis contrahendis inter se egerunt, antequam Insequinnius suam umbratilem declarationem pro Rege edidit, ut conjuratio antea caepta fieret speciosior.

(248) 7. Scripsit et legavit, et propositiones 25 Martii ad Baronem misit, qui non nisi postea illam ludicram declarationem edidit.

(249) 8. Quot hic articia paucis continentur alibi ad nauseam demonstravimus.

(250) 9. Damna ab Insequinno Lageniae illata haud ingentia fuisse narrationis series nos docuit.

(251) 10. Non Momoniae et Lageniae Comitia, sed quorundam selectorum Ormonistarum conventicula fuere.

(252) 11. Totam conjurationis machinam Ormonistae Nuncium pro virili celarunt. Quomodo ergo hic fidem liberarunt.

(253) 12. Eo inconsulto die Maii 7a clanculum statuerunt inducias pejoribus quam antea conditionibus contrahendas, et 8 Maii eo inconsulto in hunc finem suos Commissarios ad Insequinnum destinarunt, eoque demum invito inducias contraxerunt. Quomodo hic promissis steterunt.

(254) 13. Hoc falsum esse ex ipsa epistola superius posita liquet, quae docet Nuncium tantum institisse ut induciae non tales contraherentur, quae causae Catholicae praejudicarent. 1854

(255) 14. Hanc promissionem haud observatam fuisse constat.

(256) 15. Illae induciae Catholicorum res reddidit desperatas, alias optime successuras illo anno 1648, quo haeretici Anglicani et Scotici inter se divisi suos in Ibernia debiles deseruerunt.

(257) 16. Tota Provincia per illas inducias devastata fuit, secus facile liberanda.

(258) 17. Haud improbabit legitimas inducias, sed latentem sub induciarum nomine conjurationem perniciosissimam.

(259) 18. Vide hunc articulum suo loco ibi fuse agitatum.

(260) 19. Haec aurea Nuncii epistola 20 Aprilis 1648 data et eorum responsio suo loco habentur in aeternam eorum confusionem.

(261) 20. Provinciarum, quas non determinant, nomine generali fucum lectori faciunt, quasi omnes Regni Provinciae consultae fuissent, licet non nisi quorundam Momoniensium et Lageniensium Ormonio studentium duo conventicula consulta fuerint.

(262) 21. Quaestio vera illis conventiculis proposita non fuit, nempe conjuratio atque ejus perniciosissimus scopus, a quo praesertim Nuncius et Praelati abhorrebant. Quare illae duorum conventiculorum responsiones vel ex hoc capite pro nihilo habendae sunt.

(263) 22. In illa declaratione Clerus "invenimus (inquit)

praedictam Cessationem omnino tendere ad ruinam Catholicae Religionis, cultorumque ejus in hoc Regno." Ergo non ideo eam damnarunt quod *tendere videretur* (sicut hic solito artificio loquuntur), sed quod omnino tenderet ad ruinam Catholicae religionis cultorumque ejus.

(264) 23. Non solum illa duo, sed etiam multa alia Clerus objecit, sicut ex ipso Concilii Diario in medium produximus.

(265) 24. Quantopere hoc verum esset suo loco demonstratum est et eventus docuit.

(266) 25. Illis variis capitibus non solum probare conati sunt, sed | etiam inducias conjurationem esse probarunt, ut Concilium non nisi fraudibus et artificiosis cavillationibus responderint.

(267) 26. Non falsos rumores sed solidissimas et verissimas fuisse rationes exitus docuit, sicut et illas declarationes nova fuisse articia.

(268) 27. Totis viribus operam dederant, et re ipsa demum effecerunt ut pax illa, quam Regni Agentes peregre profecti in mandatis habebant, non contraheretur, sed alia iniquissima.

(269) 28. Non Comitia Generalia sed Ormonistarum et haereticorum pseudo-Comitia anno 1648 celebrarunt, ad quorum nutum alia pax religioni et nationi exitialis intrusa fuit. Ergo illas declarationes et protestationes non observarunt.

(270) 29. Ormonistae Consiliarii quam fraudulentiter in hoc se gesserint suo loco videas.

(271) 30. Confaederatos in contraria studia sciderunt Ormonistarum occultae machinationes, quibus alii generosissime conati sunt obviare.

(272) 31. Suo loco ostendinus Concilium 7° Maii 1648 clanculum statuisse ut induciae pejoribus conditionibus contraherentur, 8° autem Maii pseudo-Comitia Momoniae epistolam jam dictam scripsisse, eodemque die 8 utriusque ordinis viros de Cleri et Concilii consensu pro dirimendis controversiis convenisse. Ergo nec ibi rem sincere gesserunt, nec hic sincere referunt.

(273) 32. O praeclaram hypocrisim, cum ob contractas illas inducias digni fuerint, qui securi percuterentur.

(274) 33. Nuncii discessus dire afflxit Ormonistas metuentes ne ejus discessu ipsorum conjuratio dissiparetur.

(275) 34. Superius n°. 11° et 12 fatentur Concilium Nuncio promisisse futurum ut omnia ipsi communicarentur, ac eo inconsulto nihil concluderetur, et tamen hic fatentur ipso

inconsulto Insequinnii limites fuisse dilatos. Nec (ut loquuntur) aliquantulum sed magnopere fuisse dilatatos, nec melioribus conditionibus pro religione compensandos suo loco declaravimus. |

(276) 35. Nisi Nuncius a Concilio dissensisset cum eodem in causae Catholicae excidium conspirasset, de qua Ormonistae parum solliciti.

(277) 36. Ipsum invitarunt ut pecuniis Pontificiis ad Ormonium in throno collocandum uterentur.

(278) 37. Mirum est qua fronte in illis rerum circumstantiis homines in causam Catholicam tam male affecti, et tales a Nuncio jure merito habiti hoc postulatum interposuerint.

(279) 38. Hoc actum litteris 11° Maii 1648 a Concilio scriptis annexum suo loco ex autographo inseruimus, hic autem multifariam adulteratur, ac primo quidem ad hunc numerum 38m truncatur locus, qui in autographo sic habetur : “ Rogamus ut sua Illustrissima Dominatio velit significare siquae videbitur via media ineunda, qua possit consultum iri suae securitati, bono religionis Catholicae, et honori Concilii, quaque possit impediri divisio &c.” Nempe Relationis authores puduit Romae fateri Concilium rogasse Nuncium ut viam medium proponeret, qua ejus securitas et religionis bonum cum Concili honore stareret.

(280) 39. In autographo sic habetur : *Quae videbuntur nobis tuto praestari posse sine detimento religionis (ut ipsi existimant) ad promovendas res Regis jam in summas angustias detrusi.* In hac autem Relatione sic :—*quae videbuntur tuto praestari posse non solum sine detimento religionis, sed maximo ejus commodo, patriae emolumento, et quod ad res Regis in summas jam angustias detrusi promovendas valde opportunum judicabitur.* Sic Relatio, quae adulteratio, quantopere sensum in Concilii favorem mutet, nemo non videat.

(281) 40. Hic locus adulteratus quam etiam a vero deviat, alibi fusissime docuimus.

(282) 41. Idem de hoc numero dico.

(283) 42. Regi Ormonistae optime opem tulissent, si Nuncii consiliis non repugnassent, cui decretum fuit ante omnia Iberniam haeresi et haereticis Regi infensis purgare, deindeque florentissimum Catholicorum exercitum ex Ibernia in Regis obsequium transmittere, qui Regem postliminio et religionem Catholicam restituisset, ejusque nedum corpus sed etiam animam in tuto collocasset.

1855

1855

v

(284) 43. Hujus etiam loci, si non sensum, certe verba mutant.

(285) 44. Illi Praelati cum Nuncio totius Congregationis ecclesiasticae autoritate per delegationem antea factam fungebantur. Quod illi hic tacent.

(286) 45. Nuncium 11 Maii (sicut ad numerum 38m vides) rogarunt ut medium reconciliationis viam iniret quam et Nuncius inivit, transmissis ad illos certis conditionibus suo loco positis, quibus illi acceptis Cessationem concluserunt, et postea Nuncium ludibrio habentes responsionem nugatoriam transmiserunt, parati ad ipsum fautoresque, si refragarentur, suis et haereticorum armis aggrediendos, quod et successit.

(287) 46. O insigne mendacium et impudentiam.

(288) 47. Illi tres Episcopi cum Nuncio Congregationis Ecclesiasticae vices obibant, quod hic ex industria tacetur.

(289) 48. Inducias ante factam ad Nuncii conditions responsionem accelerarunt, ut hoc deinde praetextu et resiliendi difficultate munirentur, cum probe scirent se Nuncio ex fide publica per actum 3º Octobris 1645 datum, et per pollicitationem, quam ipsi hic numero 11 et 12 in confessu ponunt, totique Regno ex faederis juramento toties repetito, et denique Deo et hominibus ex jure divino et ecclesiastico teneri ad illam fidem Insequinnio non dandam, et ad resiliendum ab inquisimedata.

(290) 49. Inducias in Provinciae ruinam redundasse liquet, et alibi fusius probatum est.

(291) 50. Baro se eodem modo pro Rege declaraverat, quo antea, dum Regem et ipsos cum Parlamentariis aggrederetur.

(292) 51. O mendacium! Quod etiam alia mendaciorum farrago ibidem sequitur. |

1856

(293) 52. Hoc ab aliis saepissime negari video.

(294) 53. Ex hoc loco colligendum videtur istam Relationem compositam fuisse anno superiori 1648, dum illi Insequinnii vires stipendiarias haberent, et Eugenio O Nello vitio verterentur quod et ipse Jonium in partes alliceret. Hoc tamen non probat quin forsan hoc anno 1649 Romae porrecta fuerit. Porro in ea tacentur nescio quot centena accusationum capita ad ipsos atro carbone notandos idonea, quae hic non repeto, quia suo loco fusissime tradita.

(295) Ad P. Josephum, Nuncii Procuratorem, jam transeo, quem Cardinalis Panzirolus movit ut quicquid Suae Sanctitati dicturus esset, juxta normam ab ipso Cardinale praefixam

scripto mandaret, et facto dicendi fine scriptum Pontifici relinquoret, eidemque insereret rationes, ob quas a Sua Sanctitate censurae explicite confirmandae essent, licet antea in eam sententiam itum fuerit ut nec Appellatio admitteretur, nec ulla in censorum confirmationem declaratio *explicata* fieret, sed censura ad Nuncium remitteretur.

(296) Josephus his monitis obtemperavit, duabus confessis scripturis, una Italica, Latina altera, quarum primam Suae Sanctitati tradendam antea praefati Cardinalis limae subjecerat, quam Pontifici porrexit, rogans ut quid castigandum esset suggereret. Quo factum ut non nisi ab ipso Cardinale jam castigatam Pontifici porrexerit. Denique utramque scripturam in varia transfudit exemplaria, quae etiam aliis Cardinalibus jam dictis distribuit, ut de causa melius cognoscerent. Latina controversiam continet, qua author ostendere conatur induciarum architectos fautoresque non solum mortaliter peccasse, sed etiam in illis contrahendis contra legem divinam et humanam sexaginta duo perpetrasse peccata mortalia, et varias etiam ipso jure incurrisse excommunications. Sed | cum hanc controversiam et factorum seriem fuse et utrinque suis locis retulerimus, prolixum illum tractatum hic omitto, ne eadem repetam. Italicam autem chartam juxta instructiones ipsi ex Ibernia ad annum superiorem discessuro a Nuncio datas et superius positas magna ex parte compactam hic Latine verto, ad calcem castigaturus quae intextis numeris indicantur.

1856
v

" Beatissime Pater.

(297) " Tria capita Sanctitati vestrae proponenda habeo. 1^m circa justitiam excommunicationis ab Illustrissimo Domino Nuncio latae contra adhaerentes et fautores treugae cum Barone Insequinniae haeretico contractae. 2^m circa modum quo processit, et ad excommunicandum inductus fuit. 3^m circa utilitatem modo dicta excommunicatio confirmata fuerit, et circa incommoda, si contrarium acciderit, secutura.

(298) " Quod ad 1^m spectat. Notandi sunt fines a Consiliariis in dicta Treuga cum haeretico contrahenda sibi praefixi, qui erant ut ejus viribus uterentur: 1°. Ad D. Eugenium O Nellum ejusque exercitum Ultoniensem destruendum. 2°. Ad Clerum deprimendum, et ad expellendum Regno Illustrissimum Dominum Nuncium. 3°. Ad Marchionem Ormoniae revocandum, eumque in Proregis autoritatem restituendum, et 4° ad pacem, quae rejecta erat, denuo introducendam. Qui fines jam

satis detecti fuerant ex interceptis Insequinnii litteris, et ex aliis fide dignis notitiis ad quosdam Iberos ex Gallia transmissis. Denique ex effectibus innotuit fuisse verissimos, nam in D. Eugenium bellarunt, operam dederunt ut Clerum deprimerent, et Illustrissimum Dominum Nuncium exploderent. Ormoniae Marchionem revocarunt, eumque Proregis titulo munierunt, et si rejecta pax publicata non fuit, id ex eo descendit quod alios fines ad votum assequi non potuerunt. Concluserunt ergo cum Insequinniae Barone haeretico Treugam, totam in mala praefata collineatam, | et consequenter totam plenam iniquitate contra Deum, contra immunitatem ecclesiasticam quoad bona et personas, contra fidem directe in non nullis Comitatibus, et indirecte contra fidem in universo Regno. Est indirecte contra fidem in universo Regno. Nam in ea initur pactum de Insequinnii exercitu haeretico sustentando, eique subministrandis juxta communio rem opinionem saltem ducentis scutorum millibus. Quo fit ut Regnum sit enervatum nec se defendere valeat, et haereticus ad id opprimendum potens evaserit, et cum jam dictus Insequinnius scriptura publica typis mandata protestetur se velle usque ad extremum et totis viribus religionem *Protestanticam* propagare, nec non fidem Catholicam extirpare, exinde sequitur hanc Treugam in universo Regno contra fidem Catholicam indirecte militare. Est contra fidem directe in quibusdam Regni partibus. Nam hujus Treugae virtute ejus viribus in limites conceduntur tres integri Comitatus, in quorum duobus nulli prorsus haeretici se tenebant, et tertius maxima ex parte liber erat, et sic introducendo haeresim, ubi non extabat, fidei, quae in his tribus Comitatibus (1) pura erat, indirecte praejudicatur. Est contra immunitatem ecclesiasticam quoad personas. Nam haereticorum apud hos tres Comitatus in judices assumptorum tribunal ecclesiasticos submittunt. Est contra Deum ex praefatis capitibus, sed principaliter ex solemni juramento suae divinae Majestati facto ab universo Regno, quod nec directe nec indirecte fidei Catholicae, nec | Ecclesiae in re quacumque praejudicium inferretur. Et (credo) sufficit haec breviter indicasse super Treugae iniquitate, ut Sanctitas vestra percipiat justitiam excommunicationis, cui sunt in fundamentum tot sacrilegiorum enormitates.

1857

v

(299) "Circa modum, quem Illustrissimus D. Nuncius in hoc negotio tenuit, Sanctitas Vestra videbit eum ab hac excommunicatione fulminanda abstinere (2) non potuisse. Nam non

excommunicando, duorum alterum ipsi faciendum supererat, vel instar meri spectatoris successuum in Regno manere, vel Regno abire. Non poterat manere instar meri spectatoris. 1º, quod visurus esset quotidie se praesente Baronem Inse-quiniae et ministros haereticos jurisdictionem exercentes, opprimentes Catholicos, et restituentes ecclesias Puritanis, sicut ille suo edicto excuso se facturum protestatus erat, et sic in magnam Sedis Apostolicae ignominiam opus fuisse ut omnia ferret, nullumque remedium adhibere valeret. 2º. Ne hac quidem ratione assecutus fuisse ut Regno non ejiceretur. Nam de hoc jam certior factus fuit per propositum, de quo inter Digbaeum et conjuratos in Ibernia convenerat, et exeunte mense Martio ad ipsum Parisiis Regina (Angliae) duoque Regni Commissarii inter se concluserant, sicut per litteras fide dignas constat, quas non nulli Iberni ex Gallia recepere. Est tamen verum propendisse Illustrissimum D. Nuncium ad discedendum, et eum pene hoc secum decrevisse. Nihil enim ejus statui conditionique delectabilius atque utilius ejusmodi discessione succedere poterat, cum Sanctitas Vestra id agendi potestatem in ejus posuerit arbitrio, vestraque Beatitudo ejus acta | usque ad diem illam sibi arrisisse ostenderit. Quibus addendum est eum sic cum laude infinitis expediendum fuisse fastidiis. Verum incitamenta, quae eum a tam appetibili animi sententia dimoverunt, fuere secundum honorem et conscientiam longe majora. 1º fuit quod licet Regnum (3) ab illis solis, qui pacis praeteritiae authores fuerant, et eam ob causam tribus mensibus in carcere retenti erant, gubernaretur, haud ita tamen depravatum erat, quin ex quaternis Confaederatorum Catholicorum partibus tres palam pro Ecclesia atque ejus decretis starent. Etenim ex quatuor Provinciis, in quas universum Regnum dividitur, Ultonia tota, Alexandro Mac-Donello et Felice O Nello (4) exceptis, pro Ecclesia faciebat. Conacia pariter (excepto Marchione Clanricardiae et non nullis aliis inferioris conditionis ipsi adhaerentibus) tota (5) Ecclesiae partes sequebatur. Ab Ecclesia quoque stabat exercitus Conaciensis cum ejus Imperatore Richardo O Ferallo. In Lagenia etiam eidem militabant Wexfordenses omnes, duoque Regis et Reginae Comitatus, nec non Duncaniae propugnaculum ad maris portum, clavem maximaee partis Momoniae. Quinetiam penes Eugenium erant alia praesidia, nempe Athia, Castrum Rebanum, et Mariamburgus. Deinde in Momonia ab Ecclesia stabant Vicecomes Rochaeus, Ikeriniae Vicecomes, Comes (6) Castelli

1858

Mangii, O Brieni, O Sullevani, Mac-Donochus, et alii ipsis adhaerentes cum omnibus (7) veteribus Ibernis, qui cuncti sunt potentissimi, magnaue valent clientela, cum civitate Limericensi majore ex parte. Ex Ecclesiasticis Episcopi (a quibus incipiendum) | numero viginti pro Ecclesia palam faciebant, quorum tres p[ro]ae invidia vel aliis passionibus ita defecerunt (8) ut tamen septemdecim in sua propugnandae Ecclesiae sententia strenue et constanter perseveraverint cum omnibus Vicariis Apostolicis praeterquam uno, P. Olivero de Burgo Dominicano. S. Dominici Ordo, qui ducentos ibi et octoginta fratres numerat, totus praeterquam jam dictus P. Oliverus sub Ecclesiae vexillis militat. In Ordine Franciscano ibi amplissimo ex septingentis circiter non nisi plus minus decem (9) se opponunt. In Augustiniano pariter amplissimo, cui utique viginti Prioratus suppetunt, tantummodo quatuor refragantur. Capucinorum Religio nemine dempto Ecclesiam defensat, et ex ipsis Jesuitis non nulli pro Ecclesia faciunt, tametsi major pars aduersetur, sicut et plerique ex Carmelitis discalceatis. Sed horum duorum Ordinum ultimorum Provinciales, qui aduersantur, suos subditos violenter traxerunt. Universus quoque Clerus saecularis cum Ecclesia conjunctus est, incluso etiam Clero Episcopis adversantibus subdito, nempe Tuamensi, Limericensi, Midensi, Aladensi, et multis ex Clero Ossoriensi, usqueadeo ut ex universo (quod sciām) Clero saeculari quindecim non obsistant. Ex his autem omnibus simul sumptis non est dubium quin tres Confaederatorum quadrantes resultent. Porro quotquot horum Illustrissimum Dominum Nuncium discessurum esse audiebant, non sine lachrymis protestabantur id extremo futurum religioni excidio, eamque exinde potius destruendam quam aedificandam, et continuo ecclesiasticos persecutoribus in praedam relinquendos.

1859 Idem omnino D. Eugenius | cum omni suo exercitu atque adhaerentibus affirmabant, ostendentes quod non magnum quid illi videri debebat fidei causae praesentem assistere, cum ipsi ejus rei gratia et facultates et vitas prodigerent, belloque non ab adversariis Ormonistis, sed a se ipsis religionis ergo inchoato, atque Ecclesiae partibus cum periculo se exponendi adversariorum omnium odio semper defensatis paterent cum adhaerentibus ob ejus discessum in praedam Ecclesiae inimicis, duoque perirent lecti exercitus, alter Conaciensis et Ultoniensis alter, in quibus haud injuria niti poterat tota spes futura religionis omnino ad p[re]aceps deferendae citra ejus praesentiae

auxilium. Haec ergo ra ratio fuit, quae eum a discedendo retardavit.

(300) " 3a fuit quod imputandam sibi a tribus Regni quadrantibus desertionis culpam duceret horribiliorem persecutione, quam ab altera parte metuebat.

(301) " 3a fuit quod remanendo non officere sed tantum proficere poterat; nam discessuro damnum erat certum, et remansuro profectus probabilissimus.

(302) " 4°. In memoriam revocavit illam Nunciaturam prae ejus difficultate aliquatenus comparandum esset illis antiquis temporibus, quibus ministri Apostolici nunquam animo cedebant, et ubi perpendisset cultus publici in illis partibus conservationem esse unum ex iis, quae hodie praestanda suscepereat Sedes Apostolica, satius esse judicavit se ipsum cuicunque mortificationi exponere, quam committere ut ulla in se velut ab illo caepto prosequendo deterritum querela moveretur.

(303) " 5°. Cum has omnes atque alias rationes Theologis fidelibus | communicasset, judicarunt Nuncium esse non posse tota conscientia, eumque graviter in Deum peccaturum derelinquendo religionem in discrimine, quod ea subibat. Recordor fuisse lectam, cui Theologorum aut Summisstrarum nemo contradicit, Caetani doctrinam verbo *permissio*, ubi author affirmat Praelatum non posse permettere unum malum, nisi ut aliud malum majus declinet. Cum ergo discedendo permissurus fuisse Treugam tantopere religioni et fidei exitiale, non evitatum esset majus malum sed auctum, reddendo magis certam religionis ruinam. Quare necessitate constrictus (10) fuit ad non discedendum, et ad connitendum totis viribus ut religionem sartam tectam redderet, cum hujus rei spes esset probabilissima. Et hic quidem metus, ne scilicet suo discessu Deum offenderet, eum velut clavo confixit ut permaneret.

1859
v

(304) " Cum ergo coactus esset ut nec abiret, nec merum spectatorem ageret, haud aliud ei supererat remedium quam ut ad censuras veniret, idque ex tractatus, quem consiliarii cum ipso tenuerant, progressu liquet. Siquidem antea Illustrissimo Domino, qui Waterfordiae se tenebat, scripserant se cogitare de hac Treuga contrahenda cum Insequinnio, quod palam ad Regis partes transiisset, et bonas promitteret conditiones. Cumque Illustrissimus Dominus respondisset Treugam ob varias rationes sibi videri periculosam, responderunt spondentes se nihil nisi ad ejus votum facturos, eumque adeo Kilkenniam invitarunt, ut et demum induxerint. Ibi in multis

congregationibus aliquot a Concilio delegatis perspicue |
 1860 demonstravit Treugam non esse necessariam, quod possent
 tria Ultoniensium millia, quae in promptu erant, quibusque
 obtulit daturum se Sanctitatis Vestrae pecuniam, in Momoniam
 accersiri, et aliae vires in Dubliniam converti, quatenus sic
 haeretici delerentur. Verum Ultonienses in Momonia non
 desiderabant quod nec valerent eos opprimere nec uti viribus
 haereticis in fines superius significatos. Quare proponebant
 ut ad expeditionem Vadipontanam mitterentur, dum reliquae
 Regni vires cum Insequinnio Dubliniam aggredierentur. Qua
 conditione D. Eugenius nunquam contentus fuit, quod sciebat
 se in eo loco in mediis adversariis opprimendum, et eos sic
 totum, quod maligne machinati essent, assecuturos. Con-
 siliariis ergo animo obfirmato inducias pangere cupientibus,
 fuere illae in quatuordecim Episcoporum consessu per multos
 dies examinatae, discussaeque, ac demum condemnatae, cum-
 que Concilium nihilominus in negotio progredi rescitum esset,
 in altera quindecim Episcoporum congregatione Illustrissimo
 Domino Nuncio et quatuor aliis ad censuras etiam, si opus
 foret, veniendi autoritatem delegarunt, et in Concilium
 protestati sunt. Quare tractatus, quo res cum Clero compon-
 erentur, inchoatus est. Verum ipsissimo tempore Concilium
 Commissarios ad Treugam cum Barone Insequinniae con-
 cludendam misit, et trecentos equites armatos Kilkenniam
 introduxit. Unde cum Illustrissimus D. Nuncius Ecclesiam
 irrideri, et eos per illos equites sibi violentiam inferre velle
 existimaret, ex improviso civitatem egressus est. | Quod
 1860 v Consiliarii tanta animi amaritudine se tulisse monstrarunt,
 ut postea haud absque ratione creditum fuerit eos ipsum
 Kilkenniam invitasse, et equitatus adventum curasse, ut illum
 carceri manciparent, et forsitan Marchioni Ormoniae illuc
 appulsuro in manus traderent, vel certe majore cum autho-
 ritate atque ignominia Regno instar carcerati detruderent.
 Ut Illustrissimus Dominus Mariamburgum pervenit, inde
 Galviam progressurus, supervenerunt duo Commissarii, quo
 nova proponerent temperamenta, et D. Eugenium ibi se ten-
 entem soporarent. Interea Prestonus exercitum maxima
 celeritate coegit, et Taaffi viribus atque haereticis Insequin-
 nianis coaluit, inque Illustrissimi D. Nuncii conspectum venit,
 (xi) declarans se velle mortuum D. Eugenium O Nellum.
 In hoc rerum statu ubi Nuncius vidisset omnem anteriorem
 diligentiam ludibrio habitam, foreque ut se spectatore, si non

obviaret, ipse atque exercitus Ultoniensis opprimeretur, et haeretici de nostra religione triumpharent, necessarium esse duxit uti sua atque Episcoporum autoritate, et excommunicationem fulminare, quod aliud ipsi in mentem nec veniret nec superesset remedium. Certumque est futurum fuisse ut Illustrissimus Dominus censuris abstineret, nisi Prestonus hoc temerario modo comparuisset. Hae tamen effecerunt ut intra triduum vel quatriduum mille circiter et quingenti ex Prestoni militibus ad D. Eugenii exercitum transierint, quo peractum ut D. Eugenio vires accreverint, et adversariis decreverint, usque adeo ut Prestonus nunquam ausus sit D. Eugenium adoriri. Ex quo evidenter constat, hac via impeditum vel dilatum | fuisse haereticorum dominium, salvatum religionis cultum, et conservatum exercitum florentem, qui se eandem constanti animo semper defensurum ostendit, et a quo, si Deo placuerit, etiam hodie optimi effectus expectentur. Praeterea Illustrissimo D. Nuncio magnum armis spiritualibus utendi argumentum visum est, ubi considerasset nihil in praesenti casu intervenisse, nisi quale gestum erat Waterfordiae inter primam rejectionem, in qua supra quam in hoc negotio successerat quod omnes Consiliarii declarati fuerant perjuri. Cum ergo illam deliberationem cum tanta Sanctitatis Vestrae satisfactione et Romae atque in omnibus Aulis ac Regnis, quibus innotuisset, tanto applausu receptam animadvertisset, id ipsum jam secuturum creditit, cum de facto confidenter dici queat hanc Treugam nihil extitisse aliud quam illius pacis resuscitationem (12), et utramque fuisse perinde impediendam atque alteram. Unde considerato hoc negotio velut prorsus dependente a primo, ejusque praeterea perpensis circumstantiis et suae conscientiae obligatione, censuit se partibus defuturum suis, nisi excommunicationem fulminaret, quae sola ruentium rerum cursum toties significatum cohibere valebat. Effectum autem disparitas, qua prima a secunda discrepare visa est, ex ecclesiasticorum concordia et discordia originem traxit. Siquidem in rejicienda pace ecclesiastici omnes concordarunt, atque adeo nemo p[re]a Ecclesiae observantia subito ad eorum partes non accessit. Nunc autem septem Episcopi cum praefatis Religiosis se palam alienarunt, et in eandem sententiam etiam laicos alliciendos procurarunt. Haec rationum summa est, quibus subnixi Illustrissimus Dominus Nuncius et qui secum erant, Episcopi | deliberarunt. Satis autem ex secutis affectibus notum est factionem judicasse hanc censuram omnia sua

1861

1861

consilia irrita reddidisse, cum jam posthabita Sedis Apostolicae et jurisdictionis ejus reverentia tantum decretorum, deliberationum, edictorum, incarcerationum, et violationum immunitatis ecclesiasticae, quae his mensibus praeteritis audita sunt, venenum evomuerit. Et forsitan utiliter successit, quod hoc tempore perversa factiosorum, qui (13) omnes Anglo-Iberni sunt, inclinatio se prodiderit, quo Sedes Apostolica imposterum consideret sua subsidia, si his concederentur, semper ad opem haeresi ferendam profutura, et hujus originis Praelatos et beneficiarios id semper conatus, ut jurisdictionem ecclesiasticam evertant, cum omnes Religiosi qui adversantur sint Anglo-Iberni, sicut etiam Episcopi, excepto Limericensi, et e contrario perutiliter suppeditanda esse alteri parti atque antiquis Ibernis, qui tam ardenti zelo Ecclesiam et fidem defendunt.

(305) "Et licet Anglo-Iberni non nisi jam manifestarint suam malignitatem in Sedem Apostolicam, certissimum tamen est ipsorum cordibus esse radicatum. Cum P. Scarampus Concilio retulisset Sanctitatem Vestram Nuncium in Iberniam destinasse, ipsi responsum fuit eos non Nuncium sed pecuniam postulasse, nec illum sed hanc solam curasse. Episcopus Corcagiensis, qui tunc cum aliis tribus Commissariis ad tractandum cum Marchione Ormoniae se Dubliniae tenebat, fidem facit collegas auditio hoc nuncio expavisse, et commotos fuisse valde. Bellingus in itinere quo Romam perrexit, auditio Florentiae |

1862

hoc nuncio, biduo pene obmutavit. Primis diebus, quibus Nuncius Kilkenniam appulit, non nulli causidici P. Scarampum interrogarunt nunquid tribunal erigeret, et illo respondente quod erigeret, id nullo modo permittendum dixerunt, quo factum ut Illustrissimus Dominus Nuncius in hac re cum maxima semper dexteritate processerit, et voluerit majorem habere quam exercere autoritatem. Vicecomes Muscriensis in publicis Comitiis dixit diem, quo Illustrissimus Dominus Nuncius appulit, fuisse Iberniae fatalem. Dicunt Nuncii autoritatem esse exteram potestatem. Illos vocant Episcopos praetensos, qui a Concilio nominati non erant, vel ad Ecclesiam aliam a nominata promoti fuerant, fuerit ergo Dei permissio quatenus personae, quae dici possunt solo nomine Catholicae, et in Ecclesiam irreverentes, demum primae sedis fulmine percuterentur, et in se illam accerserent iram, quae ejus contari solet contemptores.

(306) "Restat tantummodo jam proponenda Sanctitati

Vestrae utilitas secutura modo dicta excommunicatio confirmetur. Ita et potissima est ecclesiasticorum resipiscentia, qui cum paucissimi sint, nullum video metuendum esse periculum ne se mox non submittant, praesertim si timore perculti fuerint citatis Romam uno vel duobus ex Episcopis mage pestiferis, nempe electo Tuamensi et Episcopo Aladensi ac Limericensi, nec non tribus vel quatuor Religiosis, scilicet Provinciale Jesuitarum et quodam fratre Valesio, Franciscano, homine iniquissimo, | cum non nullis aliis.

(307) " 2°. Omnium indifferentium et militum Catholicorum, qui credentes se nullam censuram incursuros ad alteram partem transierunt, sequetur reductio, qua partes Ecclesiae adhaerentes mirandum in modum roborabuntur, et adversarii ad nihilum redigentur.

(308) " 3°. Illi omnes, qui Ecclesiae partes secuti sunt, non solum Episcopi atque alii ecclesiastici, sed etiam laici animabuntur, idque exemplo in futuras occasiones, maximaque ob superiores persecutiones profundentur consolatione, et omnes adversarii impraesentiarum atque imposterum consternabuntur.

(309) " E contrario nisi fiet illa declaratio, 1° omnes judicabunt stare a Concilii partibus aequitatem. 2°. Crescit ecclesiasticorum confusio et discordia cum maximo bonorum opprobrio, qui aeternam concipient desperationem, quod scilicet Sedes Apostolica nunquam faveret aut auxiliaretur. Quare nunquam amplius religionis ergo se ejus authoritati ac justitiae tuendae consecrabunt. 3°. Erit conscientiis confusio, una Cleri parte excommunicationem validam esse affirmante, et negante altera. 4°. Sequetur Nuncii et authoritatis Apostolicae despectus pro futuro. Credetur enim quovis motu in eam concitando id agendum ut illa desistat. 5°. Omnes milites exercitus D. Eugenii animum despondebunt, et Conaciae Praefectus generalis cum suis, qui sunt circiter tria millia, ab O Nello recent. Unde mox deficient vires omnes, quae hodie Ecclesiam defendunt. 6°. Idem perversi Consiliarii in autoritate confirmabuntur, plena manu vindictam sumpturi de omnibus ecclesiasticis et iis, qui Nuncio adhaeserunt. |

(310) " Dici potest haec omnia mala non successura modo tota causa ad Nuncium remittatur. Respondeo partes adversas in vulgus sparsuras hanc causae remissionem a Sanctitate Vestra fuisse factam ad servandum Nuncii honorem, sed ipsam non confirmasse excommunicationem, quod eam confirmare

1862

v

1863

non posset, cum justitia a se ipsis staret. Credet etiam vulgus Sanctitatem Vestram potius facere pro Concilii partibus, quam pro Illustrissimo Domino Nuncio.

(311) "Ulterius dici potest: quis hanc declarationem sustinebit. Respondeo 1° ipsi ecclesiastici, qui Sanctitatis Vestrae declaratione ad concordiam redibunt, et omnes uniti ad eam propugnandam pares erunt. 2°. Multi credebant excommunicationem fuisse nullam, sic persuasi a parte contraria ecclesiastica et saeculari; hique omnes Concilio adhaerescunt. Sed Sanctitatis Vestrae declaratio falsam hanc opinionem convelleret, omnesque sequerentur partes Ecclesiae adjutae a duobus exercitibus Conaciensi et Ultonensi. 3°. Possent saltem declarari excommunicati illi Consiliarii, qui Treugam concluserunt, et Praefecti Generales, qui eam propugnarunt, addendo etiam aliquam ecclesiasticorum partem, et absolvendo totum Regnum. Hac ratione suus justitiae foret locus, Ecclesiae suus constaret honor, et in obsequio persistentibus satisfactio. Iniqui ex parte paenas darent, nec opus esset alio brachio, quo dicta declaratio suffulciretur." Haec Josephus, cuius hanc scripturam (sicut promisi) castigo.

(312) 1. Intelligendus est de tribus illis Comitatibus extra Comitatus Corcagiensis et non nulla forsan Comitatus Waterfordiensis loca, in quibus Insequinnius dominabatur.

(313) 2. Vide infra ad num. 10m. |

1863 (314) 3. Ab illis solis vel eorum fautoribus.

v

(315) 4. Et pauculis aliis.

(316) 5. Multi in Conacia Clanricardio adhaerebant.

(317) 6. Loquitur (credo) de Daniele Mac-Cartio, viro quidem nobilissimo sed non Comite, qui Castellum in Mangio flumine situm tenebat.

(318) 7. Non cum omnibus, sed pene omnibus veteribus Ibernis.

(319) 8. Superius dixi meam super hoc numero sententiam.

(320) 9. Super hoc etiam.

(321) 10. Loqui videtur de necessitate obligationis satisfaciendi conscientiae regulis.

(322) 11. Superius suo loco hoc controversiae caput tractavi.

(323) 12. Illius pacis saltem mangonizatae vel pejoris.

(324) 13. Non omnes sed plerique, et pene omnes.

(325) 14. Multi Anglo-Ibernorum, e Clero populoque, praeclarissime se gesserunt.

(326) Josephus 18 Aprilis 1649 ad Suae Sanctitatis audientiam

admissus 1º juxta Cardinalis Panziroli monita causam oretenus oravit, deindeque Suae Sanctitati praefatam scripturam ea pene quae dixit continentem reliquit. Porro ipse Equiti Rinuccino de illa audientia tunc ex Urbe significans : "Fui (inquit Italice) ad Dominum nostrum, qui me benignissime recepit, meque ibi facile semihora amplius tenuit, et si plus dicerem, haud mentirer. Eum rerum notitia imbui juxta scripturam, quam Illustrissima Dominatio vestra recepit. Circa 1^m punctum, quando ipsi referebam fines, quos in contrahendis induciis habebant, jussit | ut bis repeterem, et ubi dixi illas iniquitates, quas recensebam, esse tantummodo compendium, atque adeo si omnes referrem, me ipsi futurum nimis molestum et memoriam mihi defuturam, sed me ea de re scripturam contexuisse separatam, qua demonstrabam dictas inducias saltem in se continere sexaginta duo peccata mortalia, et novem vel decem ipso jure excommunicationes. His auditis tanta perfusus est laetitiae ut major exprimi nequeat. Ipsi retuli me dictae scripturae exemplaria Dominis Cardinalibus tradidisse, et respondit : bene fecisti. Ubi autem dicendi finem feci, caepit mihi dicere multa in Illustrissimi D. Nuncii laudes, efferens ejus zelum et labores. Visa autem ego ejus prolixa in Illustrissimum Dominum voluntate, ipsi dixi *Agentes* ad Suam Sanctitatem allegatos, Episcopum Fernensem et Plunkettum, divulgasse in Ibernia Suam Sanctitatem de ea, in quam Illustrissimus Dominus iverat, sententia male sensisse, et eam ipsi magnopere displicuisse. Indignata autem Sua Sanctitas mihi respondit : non est verum. Imo ipsi ad nos venerunt supplicatum ut excommunicationem suspendere vellemus. Nos autem nec eos audire, nec acquiescere voluimus. Tunc maximo affectu ipsi respondi : Beatissime Pater, Sanctitas Vestra norit Illustrissimum Dominum haec mihi nuncia significasse maestissimi animi sensu, cum secundum Deum Opt. Max. non habeat aliud bonum quam Sanctitatis Vestrae gratiam, cui alia omnia postponit. Ille autem dixit : Nos Illustrissimi Domini modo procedendi maxime contenti sumus, et probe scimus eum, quantum ex parte sua potuit, | egisse, nec plus praestare potuisse, nullamque declinasse molestiam, usque adeo ut propriam etiam vitam periculo exposuerit. Saepius etiam repetit haec verba : *Sumus maxime contenti.* Ipsi reliqui Memoriale, ut causa non notis secretis sed litteris planis ad Nuncium remitteretur, sicut mihi consilium dederat Illustrissimus Dominus Albitius, qui mihi dixit Illustrissimum

1864

1864

v

Dominum Nuncium haud aliud quam hujusmodi causae remissionem desiderare, nec opus esse ut aliud fiat circa meum desiderium efficiendi ut excommunicatio explicite confirmetur. Quare huic puncto haud ulterius institi, praesertim cum pax jam sit conclusa." Sic ille Roma 25 Aprilis 1649.

(327) Ex his colligere est P. Josephum decreuisse instare apud Pontificem ut excommunicationem validam justamque esse declararet, reque ipsa suae scripturae, cuius Pontifici praesentandae apographum Eques Rinuccinus (sicut hic dicit) ab eo receperat, rationes eo spectantes inseruisse, verum ea jam contexta sententiam mutasse, quod articulum illum verbo tenus apud Suam Sanctitatem non valide pressisset, persuadente Illustrissimo Domino Albitio ut solum causae non notis arcanis, sicut antea 7° Septembris 1648, sed litteris planis ad Nuncium remittendae insisteret. Nuncio enim ab adversariis in Ibernia circa illam anteriorem causae remissionem fides non habebatur, illeque suum assertum nullo instrumento nisi cyphris exarato probare non poterat. Quare notis arcanis Galvia 23 Januarii 1649 missis rogavit Cardinalem Panzirolum ut Breve Apostolicum, quod super eadem causae remissione notis illis arcanis 7° Septembris 1648 transmissis promissum fuisse vidimus, ad se ubicunque | gentium esset dirigeretur, quo verum dixisse liqueret. Quibus ejus votis novissime ante P. Josephum ad praefatam Pontificis audientiam admissum Romae cognitis, mutata animi sententia judicarunt expedire ut eis tantum a Pontifice obtinendis insisterent, omissa omni sententia definitiva, qua censurae confirmarentur. Quod consilium ipsius Nuncii mente consonabat. Nam P. Josephus per litteras 14 Martii 1649 ex Urbe exaratas eum rogavit ut quantocuyus significaret utrum duorum mallet, instare scilicet ut causa modo jam dicto ad ipsummet iterum remitteretur, an urgere ut censurae per sententiam judicariam Romae confirmarentur? Ille vero per litteras 20 Aprilis 1649 ex Gallia in Urbem datas approbavit primum procedendi modum velut faciliorem. Porro Josephus ante hanc epistolam Romae acceptam ex prioribus illis litteris ejus mentem conjectans, et Illustrissimi D. Albitii consilium sequens, inter audientiam Pontificiam (sicut dixi) haud multum verbo pressit ut censurae per sententiam expressam confirmarentur, sed causa ad ipsum Nuncium remitteretur haud (sicut mense Septembri 1648 factum) cyphris sed epistola plana, ne tantus Suae Sanctitatis Minister mendax haberetur. Sic ipse P. Josephus epistola ad Equitem Rinuccinum

Reg.
p. 710.

1865

2 Maii 1649 data. Novissime autem post illam audientiam Romae per Nuncii litteras ex Normandiae maritimis scriptas innotuit eum in continentem Gallicanam appulisse, et post duodecim dierum deliberationem scripta ad eum fuit a Cardinale Panzirolo apicibus planis epistola 3 Maii 1649 data et superius posita, cuius frustum huc spectans repeto : "Circa (inquit) excommunicationem | haud aliud Dominationi vestrae dicendum habeo, quam usque modo non esse admissum ad audientiam fratrem Carmelitam discalceatum, nec in aliam itum fuisse sententiam, praeterquam illam remittendi negotium ad vestram ipsius Dominationem, ad quam recurrere debebunt excommunicati pro absolutione." Sic ibi, quae 2a causae ad Nuncium remissio haud in alium scopum tetendisse videtur quam in illum a P. Josepho litteris jam citatis expressum, *nempe ne tantus Suae Sanctitatis Minister mendax haberetur.* Nam de caetero non reperio Nuncium illa absolvendi potestate unquam postea usum fuisse, nec alias ad eum pro absolutione recursum habuisse, nec Pontificem deinde jussisse ut ad ipsum recurrerent. Porro stupeo quorsum Nuncius potius non presserit ut ad sententiam judiciariam veniretur juxta Apostolos refutatorios 4° Junii 1648 datos, quibus ipse et Praelati delegati : "Nihilominus (inquiunt) ob reverentiam vestram, Beatissime Pater, vestraeque Sedis Apostolicae et Curiae Romanae, atque ut famam nostram adversus praefatos calumniantes in toto processu et sententia praedictis apud Sanctitatem Suam conservemus illaesam, hos iisdem Apostolos refutatorios, et quoad effectum sententiae nostrae devolutivum, non suspensivum, ad spatium sex mensium integrorum a praesentium data valituros concedere decrevimus et concedimus per praesentes, quibus quidem et quo temporis intervallo praedicti Appellantae sub ulterioribus paenis et censuris imposterum a nobis inflingendis, et mandato nostro strictissimo falsa sua et praetensa gravamina cum hoc scripto nostro coram Sanctitate Sua praesentare, et, si poterunt, (ut omnino non poterunt) comprobare teneantur." Sic Apostoli. Quibus (meo judicio) Nuncius institisset ut per sententiam judiciariam orbi terrarum et posteritati | constaret de suaee causae aequitate. Nam licet bene respondeatur Appellationem adeo fuisse nugatoriam, ut Appellantae omni audientia multandi fuerint, hoc tamen illi apud posteritatem pernegabunt, sed in confessio usquequaque ponendum, si in ipsis sententia lata fuisset. Caeterum inter haec Nuncius P. Josepho scripsit has suggestiones.

1865

v

1866

"P. Josepho.

Reg.
P. 742.

(328) " Si ventum fuerit ad approbandum ut aliqua delictorum, quae octo Iberniae Episcopi, et pauci Regulares cum ipsis uniti commiserunt, fiat animadversio, infrascriptae vindicationes necessariae, et futuris temporibus in exemplum sufficere posse videntur.

(329) " 1°. Ad Domini nostri libitum suspendere Episcopum Ossoriensem, qui primus fuit in interdicto violando sine ulla excusatione aut reservatione, tanquam si esset judex supremus, et nulli ad reddendam rationem obligatus.

(330) " 2°. Romam accire Archiepiscopum Tuamensem, quo pro se et Aladensi ac Finiborensi secum conjunctis respondeat, quod quosdam, qui ecclesiam a Nuncio interdictam per vim aperirent, per aedis collegiae Galviensis tectum violenter intrare jussisset, et ipse atque Aladensis ibi publice sacra celebrassent. Item quod rem sacram publice fecisset in Carmelitarum discalceatorum ecclesia, qui interdictum non observabant, eamque ob causam excommunicati fuerant Galviae a Nuncio in plena octo Episcoporum et triginta Theologorum Congregatione.

1866 (331) " 3°. Ad Inquisitionem, vel aliud Romae Tribunal omnino | citare Fr. Dominicum (Petrum) Valesium, Francisc
v canum, quod in Nuncium et Domini nostri autoritatem praedicasset, extra Conventum vixisset, idque sine habitu, et ob similia.

(332) " 4°. Accire pariter Priorem Galviensem ejusque socium P. Brounum, Carmelitas discalceatos, qui non solum interdictum violarunt, et post fulminatam a Nuncio excommunicationem publice sacra celebrarunt, sed etiam illam, quae ab ipsorum praelato vibrata erat, contraxerunt, qui ipsis sub excommunicationis ipso jure incurrandae paena praeceperat ut Romam pergerent. Illi vero ad Concilium Supremum recurrerunt, deindeque Galviam redierunt cum declaratione ejusdem Concilii laici, a quo pronunciatum fuit, non esse ipsorum proficisci, quod Visitatoris sententia comminatoria niteretur Nuncii sententia, proindeque utraque esset nulla.

(333) " 5°. Id efficere ut P. Malonius, Jesuitarum Provincialis, abscedat, sicut P. Generalis mandaverat Visitatori nuper illuc destinato, qui id exequi noluit, dubitans ne plus mali faceret. Idque eo quod Provincialis p[ro]a ceteris palam et inducias cum Insequinnio initas sustinuisse, et interdicto adversatus esset, suisque p[re]cepisset omnibus ne illud observarent.

(334) "Si haec executioni mandata fuerint, dubitandum non est quin Ecclesia Ibernica, quae jam pene usquequaque perdita ita est ut digni commiseratione Episcopi recens creati atque obedientes confusione obruantur, reducenda sit ad non nullam Sedis Apostolicae obedientiam, quoad eos qui hanc factionem sequuntur." Haec Nuncius. |

(335) Hae suggestiones (sicut aliunde colligo) ad finem Aprilis 1649 ex Gallia scriptae fuere, quas Josephus libenter exequendas suscepit. Verum Nuncii litteris, quibus se a Rege Christianissimo in suspicionem vocatum, atque adeo publicam ex Francia in Belgium transeundi fidem sibi denegatam fuisse significaverat, eodem tempore Romae receptis mandavit Pontifex (sicut vidimus) ut Nuncius Romam rediret, authororque fuit Illustrissimus Dominus Albitius P. Josepho ut interea praefatis caeptibus desisteret, quod arbitraretur Pontificem illis aurem haud praebitum usque ad ipsius Nuncii appulsum, praesertim cum jam decretum esset ut quantocuyus remearet, litteris ad eum illo fine a Cardinale Panzirolo ex mandato Pontificio 31 Maii 1649 exaratis, quas superius habes.

(336) Interea cum Josephus se jam victoriam reportasse et Nuncii causam in tuto posuisse non dubitasset, Carmelita Appellantium procurator, spei in se a suis positae respondit, instans ut Appellatio admitteretur, et rebus utrinque discussis sententia ferretur, vel certe ii qui appellaverant *ad cautelam* absolverentur, scilicet sub conditione, si excommunicationem incurrerant. Cumque rem hac 2^a quam 1^a via facilius exequendam speraret, 1^{am} postulationem ubi incassum ursisset, 2^{am} magis insistebat, de qua re P. Josephus Nuncio paulo post Italice scribens : "Illustrissimae (inquit) Dominationi vestrae scripsi *Fratrem*, mente Appellationis | prosequendae postposita dedisse Memoriale ad obtinendam absolutionem sub conditione, si, etc. Et ita res se habuit. Verum Memorialis formam rescire non potui, donec deliberatio ex palatio egressa fuit et devoluta ad Illustrissimum D. Albitium, qui dum id inter manus haberet, reperi fuisse postulationem conditionatam, nempe si censuras contraxerant. Si frater absolutionem absolutam petiisset, ego (ut verum fateor) eo fui animo ut non occurrissem, cum existimarem fuisse Papae ut eam gratiam concederet vel denegaret, nec fore ut Illustrissimae Dominationi vestrae aut fidei Catholicae praejudicaret, cum absolutio absoluta declarationem validitatis excommunicationis ejusque confirmationem implice

1867

1867

v

contineret, et ipsi se reos esse ac censuras incurrisse sic declararent. Verum Illustrissimo Domino Albitio mihi Memoriale legente, ubi animadverterem fratrem absolutionem conditionate postulasse, et sub humilitatis ac religiosae conscientiae specie eo animum intendisse ut, quicquid in votis haberet, assequeretur, cum absolutio ad cautelam includeret et determinaret excommunicationem non fuisse certam sed dubiam, cum omnibus aliis pessimis consequentiis, quas Illustrissima Dominatio vestra exinde colligat, et ego brevitatis studio praetereo, subito dixi Illustrissimo Domino Albitio illa apparenſ postulandae absolutionis humilitas quantum venenum contineret. Illustrissimus Dominus annuit, et quia adversae partes ab 2 a 11. 3. 2. 17. 1. 9. 2. 6. X. 16. 6. 9. 32. et ab 40. 1. 2. 12 : X. XV. 9 secundabantur, magna animi molestia afficiebatur. Unde eum rogavi, ut mihi in Papae audientiam presto esset. Et ille in eum finem mihi aderat. Interea Memoriale Suae Sanctitati a me praestandum contexui, et rationes Illustrissimo Domino multum arriserunt. Porro juxta dictum Memoriale Dominos Cardinales rerum notitia imbui. D. Cardinalis Panzirolus absolute manus dedit, mihique dixit: quando ille articulus agitabitur, efficiemus ut modo non suo sed nostro Memoriale componat. Propendebat enim sua Eminentia ad eum (Carmelitam) inducendum eo ut absolutionem simpliciter peteret, et ad eam simpliciter concedendam, subjunxitque: tibine placet ut absolutioni inseratur: *Ex speciali gratia quam Sua Sanctitas facere dignatur.* Ego cum vidiſsem D. Cardinali rationibus satisfactum fuisse, eumque persuasum habuisse, absolutionem ad cautelam nullo modo admittendam, unum ulterius passum feci, ipsum ab absolutionis absolutae sententia dimoturus, eique dixi: Eminentissime, saltem excludatur P. 8. X. XV. X. 16. 7., et pro se atque aliis responsurus Romanum veniat. Et hoc proposui 54. 19. 20. 2. 12. 7. XV. 17. 7. Ille concusso capite consentire noluit. Finito autem colloquio dixit: alios illos Dominos Cardinales et Illustrissimum D. | Albitium alloquere. Illustrissimum D. Albitium allocutus sum. v Qui mihi retulit quod *Frater* de novo strenue operam dabat ut Appellatio admitteretur vel absolutio concederetur. Eum precatus sum et obsecravi ut Ecclesiae atque Illustrissimae Dominationis vestrae causam non desereret et perpenderemus quid fieri posset? Ad extremum mihi dixit optimam esse viam ab ipsis exigere ut Ecclesiae satisfaciant, addens sibi videri justiam postulare ut id fieret, antequam ipsi ab Ecclesia

ullum vel absolutionis vel admittendae Appellationis favorem reciperent. Monuitque ut a *Creveo* multas indignitates ab ipsis patratas ediscerem, easque Dominis Cardinalibus referrem, quod et feci, sed principaliter opportuna occasione egi cum Cardinale Panzirolo, cui prolixo locutus sum juxta formam Memorialis, cuius exemplar ad Illustrissimam Dominationem vestram misi, et quod primi Memorialis loco Papae praesentare decrevi, cum quicquid esset in 1° et multo plus contineret. D. Cardinalis mihi respondit: semper id agere desideravi quod Illustrissimus Dominus Nuncius in votis habuit, et vellem usque ad finem ipsi complacere. Verum hi Domini Cardinales judicant tantum fieri non posse, sed videri necessarium ut duorum alterum fiat, nempe ut admittatur Appellatio vel detur absolutio. Cui exposui injurias, quas | Illustrissimae Dominationi Vestrae et Sedi Apostolicae irrogaverant, ostendique quod utrumque optime poterat, cum penes Ecclesiam esset 1° exigere ut per actorum in ejus praejudicium conditorum revocationem sibi satisficeret, deindeque agere quicquid ipsorum Eminentibus expedire videretur; addidique justitiam id postulare ex parte Ecclesiae, causae, et Illustrissimae Dominationis vestrae injuriis affectae cum omnibus aliis Ecclesiasticis, etc. Cardinalis mihi respondit: loquere illis Dominis Cardinalibus et Illustrissimo D. Albitio. Interea venit Illustrissimus D. Albitius, et Cardinali proposuit sibi videri expedire ut 1° omnia decreta, quae contra Ecclesiam et Sedem Apostolicam condiderant, revocarent, deindeque eorum Appellatio admitteretur. Ad diditque se, si sua Eminentia aequum judicaret, id Suae Sanctitati propositurum. D. Cardinalis sibi aequum videri respondit. Papa autem dixit se velle ut sic fieret. His non obstantibus *Frater* animum non despondit, et usque modo Romae manet, speratque adhuc fore ut praefatorum auxilio aliquid proficiat. Et hoc quidem in statu negotium est, eritque donec Illustrissima Dominatio vestra appulerit.

(337) "His scriptis ad meas manus pervenit Illustrissimae Dominationis vestrae epistola 5° Julii scripta, qua se meas mense Maio datas recepisse monet. In ejusdem epistolae responsum dico, me Illustrissimo D. Albitio et D. Desio | locutum fuisse, qui mihi affirmant non aliam factu opus esse executionem, eoque magis quod Illustrissima Dominatio vestra jam litteris ad D. Cardinalem Panzirolum scriptis se excusarit. Quantum ad 2^m epistolae caput, sciat Illustrissima Dominatio vestra controversias non esse alias quam circa excommunica-

1869

1869

v

tionis validitatem, vel nunquid Illustrissimae Dominationi vestrae Appellatio admittenda fuisset? Si autem utralibet harum quaestionum judicio subjiceretur per concomitantiam concedenda esset absolutio cum *reincidentia*. Haec enim Curiae praxis est. Porro si semel causa ad judicium forense traheretur, nunquam finiretur. Illustrissima Dominatio vestra melius quam ego in rebus Romanis se volutaverat. Itaque sic pars adversa absolutionem obtineret, et forsitan nunquam veniretur ad *reincidentiam*, quod nullus litigandi fieret finis. Et ego cum super hoc semel consuluisse 40. 12. 2. XV. C. 9. 16. X. IX. X. aperte mihi dixit causam, si semel judicio subjiciatur, nullo tempore dirimendam. Quare quoad ejus fieri potuit, tentatum est ut causa ad judicium non veniat." Haec ad Nuncium ex Urbe in Galliam 24 Julii 1649 P. Josephus, quem sinistre et praepostere causam suo patrono proposuisse crediderim. Alias respondisset Nuncii et partium ei adhaerentium interesse ut causa per sententiam forensem dirimeretur, dubio procul in eorum favorem facillime obtainendarum. Josephus tamen venia dignus fuit, quod tot tantaque litis acta in Nuncii Scrinis a tergo reliquisset, atque adeo Romae ante Nuncii appulsum nec suis coloribus causam aliis in Urbe pingere, nec secum rite

1870 statuere posset, quid expediret? Quibus addo praecipuum convictionis fundamentum, non solum a tergo in Nuncii Charophilacio relictum, sed etiam lingua Anglicana, quam nec Nuncius, nec Josephus, nec alii, qui causam discusserunt, Itali callebant, fuisse scriptum, nempe authenticum instructionum legatis in Galliam anno 1648 missis praefixarum, quae deliberationum, in quas Confaederati juraverant, summam continerent, apographum, quod iidem legati ita autographo consonare propriis subscriptionibus, quas internosco, fidem fecerant, et Clero in Ibernia ante profectionem in Galliam tradiderant, ut hodieque in Nuncii Scrinis asservetur, et nos superius Latine verterimus. Illo ergo authentico instrumento constat quid legatis in Gallia et aliis Romae anno 1648 praestandum esset. Verum Ormonistae tot tantisque bonis causae Catholicae mediis et remediis destituti, et suum Ormonium cum pace longe iniquissima et regime pessimo revocaturi, cum Insequinno atque aliis haereticis sceleratissimam sub induciarum pallio conjurationem coierunt. Quem nefarium induciis scopum fuisse, et eam praesertim ob causam a Nuncio atque Iberniae Clero damnatas esse, suo loco demonstravimus. Itaque licet plurima alia capita, ex quibus inducias

illae re ipsa iniquae fuerint, Ormonistae ita partim factorum inficiationibus, partim speciosis praetextibus velarint, ut controversiam eatenus extinctu difficultam reddiderint, et hac ex parte Josephus, illeque ab eo Romae consultus | patronus convictionis facile praestandae animum desponderint, illa tamen Treugae malignitas a fine pessimo petita probatu fuit facillima, cum ex faederis juramento et ex Comitiorum Generalium, praesertim binorum anno 1647 celebratorum decretis, atque ex praefato instructionum instrumento authentico constet ad quid Confaederati tenerentur, et res in medio posita docuerit Ormonistas illis induciis, proindeque haereticorum coalitione usos fuisse tanquam medio nefario, quo factum ut Nationem et Ecclesiam Ibernicam tot tantisque bonis alias juxta praefata acta adipiscendis frustrarint, et malis ex diametro oppositis obruerint, idque ita ut absque illis induciis tantorum et bonorum omissio et malorum commissio non successisset, cum Ormonistae Nuncio, Iberniae Clero, atque eorum partibus facilime succubuisserint, nisi haereticis per illam induciarum conspirationem coaluissent. Hanc planam, apertam, et irrefragabilem convictionis viam si Josephus iniisset, facili negotio triumphasset, et omnium 1^{as} ursisset ut Appellantae, quantumvis jure merito audientia multandi, audirentur, quo ex sententia Pontificia paenas darent, et generationi omni, quae ventura est, manifestius constaret eos iniquissime se gessisse, et Nuncium ejusque partes totius aeternitatis meruisse encomium.

(338) Josephus (ut vides) in illa sua epistola 24 Julii 1649 ad Nuncium scripta de duobus Memorialibus huc | spectantibus uno post alterum a se tunc compositis mentionem facit, affirmans se posterius praetulisse; quod lectorem moneo, ne quis scriptorum 1^m (nam ille 2^o Memoriali non contexto unum, deindeque sententia mutata alterum aliis communicavit, transmisitque) ab ipso non autem secundum Pontifici praesentatum fuisse tradat. His praelibatis secundum illud Memoriale Pontifici porrectum ex Italico apographo propria ipsius Josephi manu scripto Latine verto:

" Beatissime Pater.

(339) " Cum didicerim P. Rouaeum, Carmelitam, ad Sanctitatem Vestram ab Iberniae Concilio cum censurarum, quas Concilium ob inducias ab eo cum Barone Insequinniae, haeretico, contractas incurrerat, Appellatione missum instare de novo ut Appellatio admittatur vel sub hac forma nempe

1870
v

1871

si censuras contraxerant, et conditionate absolvantur; cumque ego ab Ecclesiae partibus in Ibernia et ab Illustrissimo Domino Nuncio ad Sanctitatis Vestrae pedes, quo eorum causae in vigilarem, allegatus fuerim, mihi que videatur quod, si parti adversae votis utrovis modo satisficeret, exinde multa et gravissima nascerentur praejudicia, meum esse duxi eadem Sanctitati Vestrae breviter exponere, quo deinde secundum speciem assistentiam, qua Sanctitas Vestra a Spiritu Sancto ducitur, id disponat quod suae Ecclesiae bono magis expedire judicaverit.

1871

v

(340) “ 1°. Notandum est, Beatissime Pater, totum Regnum ab Illustrissimo Domino Nuncio vel per se vel per sex Episcopos, quos velut suos delegatos ad absolvendos omnes auctoritate muniverat, fuisse absolutum praeterquam eos solos, qui excommunicationi causam praebuerant principalem, et hi sunt Consiliarii, qui Treugam concluserant, non plures numero quam septem, et duo vel tres Praefecti generales, qui arma sumpserant illaturi vim Catholicis ad Treugam intrudendam et opprimendas Ecclesiae partes, qui consentire nolebant. Fit ergo instantia tantummodo pro novem circiter vel decem, etsi dictus Carmelita, quo ad suum scopum facilius pertingat, ex parte totius Iberniae instantiam faciat. Hoc jacto fundamento dico 1°, hanc modum petendi absolutionem conditionate et sub hac forma, nempe *si censuras contraxerant*, primum Illustrissimi D. Nuncii atque Episcoporum, qui ad excommunicandum concurrerant, famae atque honori praejudicare, perinde ac si certum dictae Treugae sub excommunicationis paena damnandae fundamentum non habuissent, et Sanctitas Vestra non reperto illud fundamentum fuisse solidum, aliis dedisset absolutionem ad cautelam.

1872

(341) “ 2. Illius Ecclesiae bono praejudicium afferret. Nam adversarii se velut innocentes ab omni iniquitate puros esse monstrarent, indicibile confusione partium Ecclesiae adhaerentium et in obsequio persistentium, | nempe totius prope Cleri Ibernici tam saecularis quam Regularis in dictae excommunicationis defensionem tantas passi persecutions. Aperiretur etiam via ad alias excessus in fidei Catholicae damnum temporibus futuris committendos etiam sub virtutis praetextu, sicut hac occasione patrarunt.

(342) “ 3. Sacrorum Canonum auctoritatem laederet, qui absque ullo dubio praecipiunt ut sint excommunicati immunitatis ecclesiasticae, quantum ad ejus personas spectat, violatores, omnesque illi qui sunt haereticorum fautores, et qui directe vel indirecte fidei Catholicae nocent. Quae omnia delicta cum

multis aliis, quae brevitatis causa silentio praetereo, Treugae damnatae articulis continentur, et Illustrissimo Domino Nuncio atque aliis Episcopis excommunicandi causam praebuerant.

(343) "Dico 2°, esse probabilissimum dictos Consiliarios nunquam fecisse instantiam ut absolverentur. Absolutionem quoque si reciperent, dicerent Sanctitatem Vestram sponte sua illam dedisse, nemine eam ne petente quidem. Quare Sanctitati Vestrae humillime supplico ut Fratri Carmelitae, qui eam postulat, injungat, quatenus suum mandatum exhibeat.

(344) "Dico 3°, Praefatos Consiliarios, licet dicto Fratri Carmelitae petendae absolutionis, atque ejus absolute ac seclusa omnis conditione postulandae mandatum dedissent, hoc toto non obstante haud esse ad eam recipiendam dispositos, cum Ecclesiae, quam delictis predictis in Treuga concludenda offenderant, | minime satisfecerint, licet secus justitia suadeat, et praescribant sacri Canones praesertim cap. pervenit: Extra de appellat. Textus verba haec sunt: *Si vero publicus sit et notorius (excessus) Appellationis obtentu non praetermittas quin eos excommunicatos denuncies, ipsosque facias sicut excommunicatos cautius evitari, donec passis injuriam satisfaciant.* Imo tantum abest ut satisfecerint, ut etiam se ad meliorem frugem non receperint, sed publica, notoria, scandalosa, et perniciosissima delicta delictis semper accumularint. Hi enim post Appellationem, nulla ne minima quidem Sedis Apostolicae atque ejus jurisdictionis habita ratione, ediderunt tanta rabie decreta, deliberationes, proclamations, incarcerations etiam Episcoporum, immunitatis ecclesiasticae violationes, et jurisdictionis ecclesiasticae usurpationes, quales nunquam nec visae nec auditae fuerant in quacumque haereticorum persecutione. A propositionibus paulo minus haereticis haud se continuerunt, declarando Episcopos perpetrasse delictum rebellionis quod Nuncio obtemperassent, quem affirmabant exteram esse potestatem, et illos vocabant *praetensos Episcopos*, qui ab ipso Concilio nominati non fuerant, vel ad aliam ecclesiam quam ad nominatam a se ipsis promoti erant. Nuncium autoritate et titulo spoliarunt, et ultimo post pacem cum Ormoniae Marchione conclusam, ubi id effecissent ut de novo in ipsis Ormonii Consiliarios eligerentur, decretum condiderunt praecipientes Praetori et civibus Galviensibus ut cum Illustrissimo Domino Nuncio commercium | non haberent, et sub paena laesae Majestatis nec ipsis nec ejus familiae darent nec esculenta, nec poculenta, nec domum, nec ullum subsidium,

1872
v

1873

quod actum maximam parit suspicionem animi pejoris inobediente. Post Nuncii discessum in iisdem delictis perpetrandis progrediuntur. Religionis Franciscanae visitatores in carcerem dederunt. Edicto publicato statuerunt quemcumque ecclesiasticum tam saecularem quam Regularem, qui Marchioni Ormoniae et suae factioni adhaesurus esset, in omnibus et per omnia a sui Praelati jurisdictione eximendum. Juramenti formam condiderunt, quae multas complectitur falsitates. 1°. Pacem, quae cum Marchione Ormoniae contracta fuerat, toto Regno consentiente conclusam fuisse. 2°. Ecclesiam id omne, quod in votis habuerat, obtinuisse. 3°. Eam pacem fidei Catholicae nullum parere detrimentum. Porro hoc juramentum omnibus etiam Episcopis suscipiendum et subscribendum proponunt, quos etiam minis et paenis vi compellunt et factis nullum non committunt delictum in Ecclesiae, jurisdictionis ecclesiasticae et fidei Catholicae dispendium. Hi ipsissimi Consiliarii majore ex parte fuerant illi, qui prima vice cum Marchione Ormoniae pacem fidei Catholicae tantopere exitialem pepigerant, et eundem Marchionem pecuniis ad eum clanculum missis sustentabant. Itaque cum hi tales sint, et in suis delictis tantopere obstinati, et tot injurias Ecclesiae irrogant, absolutionem, etiamsi eam absolute peterent, haud mererit videntur, nisi prius Ecclesiae satisfecerint, revocando tota de creta lata in ejus praejudicium.

(345) "Dico 4°, eos videri non minus indignos, quibus ea fiat gratia, ut Appellatio a Vestra Sanctitate admittatur. Nam cap. Cum sit Romana. §. Praeterea extra de appellat., statuitur ut appellans non audiatur, quando ejus delictum est notorium. Verba textus haec sunt: *Appellatio facta in iudicio apud ecclesiasticas personas solet audiri, nisi forte manifestus raptor vel fornicator existat. Sicut ille quem absentem et irrequisitum Apostolus excommunicavit.* Idem confirmatur cap. pervenit. Eodem titulo. Idem confirmant duae horum binorum capitulorum glossae, quae multos allegant alios Canones in confirmationem.

(346) "Cum ergo iidem Consiliarii notorie deliquerint per delicta hic sequentia et Treugae capitulis expressa 1°, disponendo de rebus ecclesiasticis contradicente Clero; 2°, in Catholicorum judices assumendo quosdam haereticos, cum quibus Treugam percutiebant; 3°, eosdem etiam constituendo in Cleri judices; 4°, introducendo haeresim ubi non erat; 5°, favendo hosti haeretico, sustentando ejus vires, idque eo tempore quo fame peribat, et multis aliis modis alia scriptura separata

fusius relatis, continuo sequitur peti a parte contraria in perniciem
authoritatis Sacrorum Canonum ut sua Appellatio admittatur.

(347) "Quamobrem Sanctitati Vestrae humillime supplico
ut absolutionis a censuris, nisi prius dignam satisfactionem dent,
petitionem respuat, et Appellationem non admittat, cum eorum
delicta sint notoria. Humillime etiam Sanctitati Vestrae supplico
ut pro sua clementia quocumque actum suspendere dignetur,
donec Illustrissimus Dominus Nuncius Romam pervenerit, cum
jam iter conficiat hoc remigraturus." Hactenus illud Memoriale.

(348) Haud semel antea mentionem facimus D. Joannis Creagh, S. Theologiae Doctoris, et in urbe sua Limericensi Vicarii Generalis, qui a Limericensibus ad annos superiores in Episcopum Suae Sanctitati commendatus fuerat. Verum ipsi (sicut vidimus) Edmundus O Duir eam dignitatem praeripuit. Joannes autem, ubi Nuncium Regno exiisse vidisset, eum secutus est, Romam profecturus, quem cum socio Nuncius sibi Rothomagi obvium Equiti Rinuccino, fratri suo, transiturum Florentia commendavit his litteris sed Italice scriptis:

1874

" Domine Frater.

(349) "Dominatio vestra videbit ex melioribus Iberniae sacerdotibus duos, qui hanc meam epistolam transportabunt, ex quibus Doctor Creaghus longo tempore Vicarium Generalem gessit, vir doctus et causae Catholicae acerrimus defensor, et ego in meis angustiis haud habui, qui me magis adjuverit, cum meam pecuniam custodierit et a persecutoribus sartam tectam praeservaverit, maximo suo periculo, nec minori merito. Alter est Abbas Lupus ex Limerico, amborum civitate, qui Romam pergit quaedam negotia procuraturus, praeter communem utriusque loca sancta videndi devotionem. Dominatio vestra mei gratia suam in ipsos humanitatem exerceat, et salubria illis in itineris calorem monita preebeat, ut superstites sint, nec more Ibernico se vino ingurgitent. Nam ipsos paenituerit. Si quid aliud circa ipsos occurrerit, scribam cum tabellione publico. Caeterum ipsis relinquo ut Dominationi vestrae et Domino patri nostro referant, quae circa me aguntur. Finem facio et manus deoscular.

Rothomagi,

26 Aprilis 1649.

Dominationis Vestrae

Amantissimus frater et servus,

Joannes Baptista Rinuccinus,

Archiepiscopus Firmanus."

1874

v

(350) Creaghus Romam profectus et 13 Junii in Urbem appulsus, non modo P. Josepho, Illustrissimo D. Albitio et Cardinalium Congregationi rebus Ibernicis in Urbe praefectae, sed etiam Suae Sanctitati eam rerum in Ibernia etiam post Nuncii discessum gestarum relationem prompsit, ex qua Josephus maximum Nuncio melius patrocinandi adminiculum mutuatus est. Qui tunc Equiti Rinuccino de Illustrissimo Domino Albitio scribens : " Ille (inquit) qui Illustrissimi Domini Nuncii totus est, respondit optimam esse viam ab ipsis exigere ut Ecclesiae satisfaciant cum hoc justitiae sit. Idque eo magis quod a quodam, qui ex Ibernia post Nuncii discessum venit, audiisset, eos fecisse acta Sedi Apostolicae et Illustrissimi Domini Nuncii honori maximopere praejudicantia. Monuitque ut ea omnia rescirem, et Dominis Cardinalibus repraesentarem, ut ipse eadem conformitate loqueretur, futurus ex parte sua quicquid humano modo posset. Ego subito ea rescivi, et inclusum his memoriale contexui, id die Veneris, quae mihi ex promisso in audiencem destinata est, Suae Sanctitati praeresentaturus." Sic tunc Josephus. Eum autem, qui tunc recens ex Ibernia appulerat, et a quo sui memorialis segetem hauserat, non alium fuisse quam Creaghum liquet ex ejusdem Josephi epistola 24 Julii 1649 ad Nuncium data, peneque tota superius posita, in qua eum non Creaghum sed Creveum vocat. Sic enim ipse Creaghus familiae suae nomen, ut facilius pronunciaretur, in Aula Romana laevigavit, premens quorundam scriptorum vestigia, qui ejus agnatum, Richardum Creaghum, regnante Elizabetha, pium Iberniae Primate, in ejus vita Richardum Creveum vocitaverant. Caeterum ipse D. Joannes Creaghus epistolam Latinam Nuncio Romam redeunti scripsit, quam ex autographo Latino habe propria ejus manu exarato :

1875

" Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine mi in aeternum observandissime.

(351) " Non oblitus officiis, nec vestrorum in me beneficiorum immemor, hactenus, ex quo Rothomago discessi, a scribendo abstinui, sed ut commodius totius peregrinationis meae seriem una epistola (peractis hic non nullis visitationibus necessariis) ad Illustrissimam Dominationem vestram contexere possem. Itaque post varios labores itineris et diversa navigationis pericula, die 6 Junii una cum socio Florentiam perveni, ubi ab Illustrissimo Fratre vestro, D. Thoma, fui humanissime acceptus, qui non solum pecuniarum solutionem mihi securam et expeditam in Urbe fecit, sed et munere et visitatione me

honoravit. Postquam vero in Urbem appuli, (appuli autem 13 Junii) accessi ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Panzirolum (traditis prius Illustrissimae Dominationis vestrae litteris tam R. P. Josepho Arcamonio quam clarissimo Domino Dominico Genusio), cui post exhibitam Illustrissimae Dominationis vestrae epistolam, statum Regni Iberniae et res gestas per Illustrissimam Dominationem vestram, et per adversarios in contrarium distincte exposui. Deinde (suadente eodem Eminentissimo Domino) alios visitavi Cardinales, nimirum Capponium, Carrafum, et Spadum, nec non et Illustrissimum Dominum secretarium Albitium, quorum singulis statum Iberniae et res omnes prout acciderunt, tam circa treugam et pacem, quam circa personam Illustrissimae Dominationis vestrae, insuper et ejus prudentiam, fortitudinem, &c., cum rerum circumstantiis, nec non et injurias sibi factas, imo et ipsi Sedi Apostolicae ac religioni Catholicae, authores etiam malorum omnium, insipientiam aut potius insaniam quorundam Praelatorum et aliorum ecclesiasticorum, | perfidiam laicorum, dolos et fraudes haereticorum, et alia ejusmodi pensiculatim et accurate explicavi, et sane omnes apertos mihi et singulari cum attentione aures praebuerunt, ac licet Eminentissimus Capponius non nulla objecerit, illa ego ita rationibus et veritate ipsa dilui, ut sua Eminentia omnino satisfacta videretur. Ad Sanctissimum vero Dominum opportunissimum post multos dies obtinui aditum. Cui praemissa omnia et alia per ordinem exposui. Post pauca verba a me prolata, Sua Sanctitas tanto me honore affecit, ut stare jusserit; meque ita stantem non solum placide et attente per unam horam de rebus Iberniae, et de modo procedendi Illustrissimae Dominationis vestrae disserentem audivit, sed et varia interrogavit. Deindeque veluti opinionis meae aut judicij experimentum faciens interrogavit, quid judicarem de absolutione concedenda authoribus Treugae in Ibernia et reliquis, pro quibus frequens est Suae Sanctitati facta instantia, cui intrepide his verbis (zelo me interius movente) respondi: *Absit a te, Beatissime Pater, absit a Vicario Christi rem istam, ex qua certissime quam multa sequerentur et provenirent mala, ullo modo facere.* Deinde ista fusius exposui, quorum summa haec est. 1^m Inde sequi reprehensionem facti administrus implicitam sui Nuncii Apostolici, cuius honorem maxime in re justissima tueri tenebatur. 2^m. Ex eiusmodi absolutione securam certissimam bonorum Catholicorum obedientium mandatis

1875

v

Nuncii Apostolici, ruinam. 3^m. Secuturam etiam inde per severentiam Ibernorum in iniquo faedere cum haereticis, unde | est maximum et praesens periculum de illorum perversione.

1876 4^m. Contemptores authoritatis Apostolicae futuros inde audaciores ad contraveniendum in posterum Ministris Suae Sanctitatis eorumque mandatis. Imo (inquam) jam videbunt censuras vestri Apostolici Nuncii et facta ab ipso sibilabunt. Obedientes ejus mandatis cum irrisione condemnabunt. Prudentiam suam extollent, et haec omnia ex absolutione confirmabunt. 5^m. Sequetur etiam inde quod multos paenitebit unquam paruisse mandatis Illustrissimi D. Nuncii. Unde et indies recedent ab invictissimo D. Eugenio O Neill, qui cum validissimo exercitu constantissimorum Catholicorum adhuc pro defensione Catholicae religionis indefesse pugnat, &c. Verum enimvero (inquam), Beatissime Pater, horum omnium contraria evenient, si Sanctitas Vestra Appellationem ita frivolam et inquam Supremi Concilii, proditorum Regni Iberniae, vassalorum Ormonii, contemptorum Apostolicae authoritatis, persecutorum bonorum Praelatorum et ecclesiasticorum, fautorum haereseos, inimicorum antiquae gentis Iberniae, authorum omnium malorum (qui Regnum Iberniae in potestatem haeretici Proregis et aliorum sectariorum, inimicorum religionis Catholicae et Sedis Apostolicae tradiderunt) rejecerit, si ejusdem latorem et prosecutorem punierit, si Praelatos et perversos ecclesiasticos suo Nuncio contravenientes corripuerit, si easdem censuras confirmaverit.

1876 Catholici | omnes Regni Iberniae Deum timentes, et aeternam damnationem (propter inobedientiam Vicario Christi) verentes, ejusmodi censurarum confirmationem audientes conscientiae stimulis pungentur, unde omnes modos et vias perquirent, quibus ab iniquo faedere cum haereticis recedant, et se D. Eugenio et parti bonorum Catholicorum et Sedi Apostolicae obedientium conjungant. Nam et in præparatione animi ad hoc fuerunt hactenus dubitantes de justitia Treugae et pacis (contractae) contra mandata Illustrissimi Nuncii Apostolici. Ex quo renovabitur unio bonorum omnium Catholicorum in Ibernia, quam isti perversi fautores et clientes Ormonii prefererunt, &c. Haec et alia (prout Deus mihi tunc suggestit) Suae Sanctitati confidenter dixi, quibus omnibus illa sacra Majestas Vicarii Christi benignissime annuit. . . . Reverendissimus Episcopus Limericensis contulit meam Ecclesiam alteri. Prohibuit quidquam mihi debitum meo procuratori

solvi; domum et hortum meum adjudicavit haereticis.
Romae,

3° Septembris 1649.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Humillimus

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae servus,
Joannes Creagh."

(352) Hoc circa D. Joannem Creagh in medium attuli, quod is postea Romae Alexandro 7° a Capella | maximas in rebus Ibernicis tractandis et in hac ipsa controversia agitanda (sicut vidimus) partes egerit, nec desint qui eum Innocentio X° et Nuncio mortuis sententiam et studia mutasse dicant, licet hoc anno 1649 haud mediocriter (ut vides) profecerit ad efficiendum ut nec Appellatio admitteretur, nec absolutio ad cautelam concederetur, operamque dederit ut censurae a Pontifice confirmarentur. Porro Nuncius, ubi per litteras ex Urbe ad se in Galliam missas intellexit quo pacto Cardinales Romae circa censuras, Appellationem et dirimendae controversiae rationem variarant, scripsit P. Josepho has suggestiones:

"P. Josepho.

(353) "Ex eo quod hactenus in Iberniae negotiis successit, colligendum videtur utrumque pares esse periculi, nempe ut aliqua super iis severa feratur sententia vel non feratur. Si enim nulla lata fuerit, ex hoc silentio adversarii confidentiores evadent; Episcopi et Religiosi perversi insolescent, et partes bonae, ubi hanc etiam spem, in qua omnes usque modo constituntur, evanuisse viderint, demum compellentur cedere, et majori numero se accommodare. Aliunde vero si ad ullam decisionem ventum fuerit, locus erit illis omnibus respectibus et rationibus, quas | non nulli Cardinales prudentissime ponderant, quae considerationes, licet incertae esse possint, tanti tamen sint ponderis, ut forsitan non expedit periculum subire cum hac ipsa incertitudine. Ego etiam semper praesertim in rebus ad me spectantibus propendo ad morem magnopere gerendum iis, quos Deus Opt. Max. mihi praefecerit, et qui propterea me sunt illuminatores.

*Reg.
p. 758.*

(354) "Hoc posito, jam propono temperamentum, cuius effectus (nisi me opinio fallit) aliqua ex parte primam considerationem sufficiunt, et secundis non praejudicant, nempe ut quamprimum, imo dum in itinere progredior, omnia missionar-

1877
v

iorum in Ibernia privilegia, secundum facultatem mihi inter alias concessam, generaliter revocentur. Meoque judicio negotium hoc modo tractari deberet. Ut scilicet illa revocatio, ubi me tunc tenuero, typis mandetur, et sufficientia ejus exemplaria in Iberniam mittantur, sed eodem tempore (ne Regno nullatenus provideatur) excipientur in altero folio et usque ad aliud Suae Sanctitatis mandatum non nulli Episcopi et Provinciales, eisque fiat potestas eadem aliis communicandi privilegia ea lege ut nec delegantes nec delegati ex iis sint, qui se male gesserant, vel inter has ultimas perturbationes deliquerant. Dico hac providendi ratione futurum ut pars bona confortetur, et adversa aliquatenus puniatur, Sede Apostolica se nullatenus implicante.

(355) "Exordior a parte bona. Haec ubi a me Romae vicino in hanc sententiam itum fuisse audierit, Suam Sanctitatem consensisse putabit, et ejus patrocinium | sibi certum esse judicabit. Parti malae preferetur. Nam ex suis erunt omnes, qui excepti fuerint, praeterea (ut animi ad sperandum quod desiderant faciles sunt) credent huic sententiae alias esse successuras. Quantum ad partem rebellem res infrascriptae sequentur. Non nihil deprimetur, et de delictis tanta impunitate commissis postea gloriari non poterit. Quo primum statum recuperet, recurrere nequibit nec ad Regem, nec ad Concilium, nec ad alios quam ad ipsam Suam Sanctitatem, cui cum semper integrum sit omnes postea gratias conferre quas voluerit, interea poterit id agere ut appareat (praeter autoritatem jam mihi per *Breve concessam*) quantum ad modum, quod opus est totum meum, et tecum agunt. Quinetiam Sua Sanctitas, si de delictis quae perpetrarunt cognoscere, et eos aliquo modo in jus vocare libuerit, ubi ad assequendam gratiam accesserint, viam habebit apertam arripiendi occasionem, ostendendo se scire velle quam ob causam illos ego aliis postposuerim, et sic nulla exhibita opera se proprio pondere offert accusatio. Unde si in integrum restitui non postulaverint, res procedet sicut merentur. Si autem postulaverint, necessum erit ut aliquo modo delictum appareat et satisfaciant.

(356) "Considerandum quoque est, licet haec occasio non se praesentaret, hunc tamen in modum esse procedendum ob gravissimas rationes, nempe ob abusum et prophanationem, qua hodie privilegia in proxim | rediguntur, quae considerationes adeo P. Josepho notae sunt, ut superfluum foret rem prolixius recensere. Quibus addo me non solum meam revocandorum

horum privilegiorum mentem in Ibernia saepius declarasse, sed etiam fuisse paratum ad eam exequendam antequam discederem, nec aliud me praepediisse quam metum ne si procederem, in me, nec non in Suae Sanctitatis res et pecuniam, quae tunc in Concilii potestate essent, pejore modo irruerent. Quae rationes jam funditus cessant. Harum propositionum approbationem expecto p[ro]ae desiderio sequendi nutum renutumque eorum, quibus obtemperare debo. Porro haec pauca P. Josepho sugerere sufficit, qui meo nomine poterit de iis agere, et ex propria experientia adjungere quicquid amplius ipse noverit. Bellegardae 9 Julii 1649."

(357) Antequam ulterius progredior notandum duxi Nuncium hic authoritatis sibi per *Breve Pontificium* jam concessae mentionem facere, et intelligendum videri de Brevi, quod super Censurarum causa ad se notis arcanis 7^o Sept. 1648 datis remissa tunc Cardinalis Panzirolus ipsi promiserat, et Nuncius a Cardinale per litteras notis pariter secretis 23 Januarii 1649 scriptas, sibi quocumque loco degeret, transmittendum postulavit, *ut certi fierent de veritate, qui in sua persona offendebant concedentis clementiam*. Verum mihi hoc *Breve* nec in Nuncii Scrinis, nec in Equitis Rinuccini, fratri ejus, qui *Brevium Nuncio et cum Nuncio missorum* exemplaria sedulo collegerat, cartophilaciis, nec in aliorum, qui similem diligentiam adhibuerant, schedis, nec alibi occurrit. Quinimo nullum alium offendi Nuncii locum, ex quo missum fuisse conjectetur. Sed et P. Josephus, qui ipsissimam ejus causam Romae tunc procurabat, suis ad Nuncium et Equitem Rinuccinum tunc creberrimis et litigationis Romanae seriem exactissime significantibus litteris, quas autographas habeo, illius *Brevis concessionem* alto silentio praeterit. Quinimo licet Nuncius eidem P. Josepho scripserit, ut *Breve* illud obtineret, ille tamen praefatis epistolis nunquam tradit se illud *Breve* petuisse, sed tantum apud Suam Sanctitatem inter audientiam 18 Aprilis 1649, et alias apud Cardinales institisse ut causa ad Nuncium non cyphris (sicut 7^o Sept. 1648 factum) sed *litteris planis* remitteretur, ut videre est in ejus epistolis 18 et 25 Aprilis, nec non 2 et 28 Maii 1649 ad Equitem Rinuccinum exaratis, quarum litteris 2 Maii 1649 scriptis de Sua Sanctitate loquens: "Ipsi (inquit) Memoriale dedi rogans ut non notis arcanis sed *litteris planis* causam remittere dignaretur, ne tantus Suae Sanctitatis Minister mendax haberetur, et hoc fuit consilium

Reg.
p. 710.

1879

mihi datum ab Illustrissimo D. Albitio. Sua Sanctitas Memoriale manibus libenter accepit, et postea ab Illustrissimo D. Albitio didici, quod id sibi tradidit velut Congregationis secretario, ut in ea decideretur, quod | faciendum esset." Sic Josephus,
 1879 v qui etiam epistola jam dicta 8 Maii scripta tradit Illustrissimum Dominum Albitium sibi retulisse causam de facto *litteris planis* die Lunae praecedente, nempe 3 Maii, ad Nuncium remissam fuisse, qua utique die Cardinalis Panzirolus Suae Sanctitatis nomine litteras huc spectantes et superius in medium productas ad Nuncium dedisse liquet. Quas forsan Nuncius loco praedicto *Brevi* nomine intellexit, quasi litteras quascumque Suae Sanctitatis nomine a Cardinale Panzirolo ad se scriptas *Brevi* Pontificio aequiparandas judicavit, reque ipsa quicquid Cardinali Pamphilio, deindeque ejus in officio successori, Cardinale Panzirolo, inter Nunciaturam scriptitarat, vel ab ipsis, uno post alterum, litteris acceperat, identidem dicit se id Suae Sanctitati scripsisse vel a Pontifice sibi scriptum fuisse. Quo etiam loquendi modo circa easdem Nunciaturae res utitur, ipsum Pontificem alloquens in sua Romae composita porrectaque ibidem totius Nunciaturae Relatione. Nam Pontifex per illos Cardinales unum post alterum illi scriptitabat, et ille iisdem significabat quicquid Pontifici significatum vellet. Itaque forsan fidem habet causam illam haud per aliud *Breve* ad Nuncium fuisse remissam, quam per litteras illas a Cardinale Panzirolo 3° Maii exaratas, praesertim cum non videam P. Josephum aliud pressisse quam ut causa *litteris planis* remitteretur, nec | aliis causae hac secunda vice remittendae scopus fuisse videatur, quam ut Nuncius litteris planis demonstraret se in Ibernia non fuisse mentitum, cum dixerat Suam Sanctitatem litteris 7° Sept. 1648 datis, quae notis arcanis a Cardinale Panzirolo scriptae fuerant, censorum causam ad se remisisse, et in hunc finem praefatae Cardinalis Panziroli litterae 3° Maii datae absque ullo alio *Brevi* Pontificio suffecerint.

(358) Ex praefatis suggestionibus a Nuncio ad P. Josephum 9 Julii 1649 scriptis et aliunde conjecto non nullos Congregationis rebus Ibernicis in Urbe praefectae Cardinales inter agitandam hanc censorum et Appellationis controversiam judicasse rem fore periculosam, si sententia pro tribunali in Nuncii favorem ferretur, et alios sensisse potius fore Iberniae periculosum, si sententia talis non ferretur, proindeque ex iisdem suggestionibus et aliunde conjecto Pontificem et Congrega-

tionem, non solum ad trutinam revocasse intrinsecam causae aequitatem, sed etiam ponderasse effectus ex sententia ferenda vel silenda secuturos, et forsan hujus secundae considerationis non minorem habuisse rationem. Nam (credo) ex una parte perpendebatur sententia in Nuncii favorem semel lata efficiendum ut Ormonistarum plerique resipiscerent, et cum Eugenio O Nello, ejus exercitu, aliisque ejusdem causae in Ibernia fautoribus ad primevam confaederationem redirent, causamque Catholicam excusso haereticorum jugo viriliter promoverent. Ex altera vero parte (credo) timebatur ne Ormonistae, perinde atque antea, suo Ormonio et paci cum ipso contractae adhaererent, et sic | sententia atque animadversionis severitas ad nihil proficeret quam ad efficiendum ut Eugenii O Nelli in Ibernia partes non triumpharent, sed aliquanto fortiores et longe constantiores evaderent in perennem ambarum partium Catholicarum discordiam, quae demum haereticis latissimam ad triumphandum de ambabus viam aperiret, cum prudentia non nihil suadere videretur ut Nuncii et partium ejus causa quantumlibet ad aequitatem quadraverit, hic tamen et nunc ex duabus malis minus eligeretur, et ambarum partium dissidium per illam sententiam non foveretur. Quare non dubito quin in Nuncii favorem sententia ferenda fuisset, nisi hujusmodi considerationes suassissent futuram forsan in Ibernia potius causae Catholicae exitialem quam utilem (ob Ormonistarum obstinationem), et exinde Pontifici ac Sedi Apostolici imputandum a malevolis Iberniae excidium.

1880
v

(359) P. Josephus, ubi praefatas Nuncii suggestiones 9 Julii 1649 ex Gallia praemissas accepisset, Illustrissimum Dominum Albitium subito convenit, qui lectis Nuncii suggestionibus respondit rem quidem fore utilem, sed Nuncio absque nova autoritate peractu difficilem, quod Nuncii extra regiones, ad quas mittuntur, suis facultatibus uti nequeant. Limitavit tamen asserens sicut Episcopos suis diaecesisibus a persecutoribus expulsos, ita etiam Nuncios pari modo ex regionibus, ad quas destinati fuerint, deturbatos extra districtum et territorium pari jure exercere posse in easdem jurisdictionem juxta Clementinam (inquit P. Josephus), quam tamen non designat. Verum haud | dubito esse Clementinam de foro competenti, C. Unico. Adjecit autem Illustrissimus Dominus Albitius, tutius esse novam a Pontifice autoritatem procurare, dixitque Josepho ut Cardinalem Panzirolum alloqueretur, quo ipse Cardinalis cum Pontifice ageret, ejusque consensum obtineret,

P. Josep.
ep.
ad Nunc.
11^o Aug.
1649.

1881

vel certe succederet ut scripturam huc spectantem ipsi Illustrissimo Domino Albitio mitteret, quatenus Pontificem adiret. Timebat autem ne Pontifex haud directe consensum praeberet, sed causam Cardinalium Congregationi rebus Ibernicis praefectae diffiniendam committeret. Quo casu author Josepho fuit caeptis in hoc articulo potius desisteret, ne controversiam principalem resuscitaret, circa quam antea ex parte Suae Sanctitatis responderat Carmelitae Illustrissimus D. Albitius ut appellantes in Ibernia revocarent, quae in Ecclesiae perniciem decreverant, deindeque Appellationis et absolutionis controversiam prosequerentur. Praeterea Illustrissimi D. Albitii sententia fuit ut Nuncius circa eandem privilegiorum revocationem ad Cardinalem Panzirolum litteras daret notis arcanis exarandas, quod omnes schedulae apicibus secretis scriptae eodem loco haberentur ac si ad Suam Sanctitatem mitterentur, proindeque Illustrissimo D. Albitio, qui Congregationi rebus Ibernicis praefectae a secretis per hanc industriam procreanda esset occasio adeundi ex officio Suam Sanctitatem circa illam schedulam, eaque indicatum Nuncii desiderium. | Josephus super eadem privilegiorum revocatione a Nuncio facienda Cardinalem Panzirolum consuluit, et inter alia allegavit ecclesiasticos illos in Ibernia Ormonio et Ormonistis adhaerentes uti solere privilegiis *Missionariis* in suae factionis scopum atque Ecclesiae detrimentum, usqueadeo ut paucis tunc retro diebus P. Lucas Waddingus per vias occultas, sed per aliquam rimam patefactas, epistolam ab ipso Ormonio, Prorege haeretico, Romae receperit, qua Ormonius Waddingum rogabat ut Observantinorum in Ibernia, non illorum qui censuris et Nuncio adhaererent, sed eorum, qui adversarentur, ipsique Ormonio morem gererent, mentem et conatus apud Urbem secundaret inter lugubrem tunc ambarum partium Franciscanarum in ea Insula discordiam. Respondit Josepho Cardinalis privilegia Missionariis a Sacra Congregatione propagandae fidei concessa fuisse, proindeque a Nuncio non esse revocanda. Cui Josephus retulit Nuncii facultatibus insertam clausulam, juxta quam ea revocare valeret. Cui Cardinalis: At (inquit) *non obtemperabunt*. Josephus autem Cardinali demonstratum ibat Nuncio velut expulso competere eandem facultatem, etiam extra Iberniam juxta praefatam *Clementinam*. Sed Cardinalis non (inquit) *tere tempus circa juris quaestionem*. Nam *quaestio facti mihi magis negotium facessit; neque enim obsequenter*. Denique aliis atque aliis rationibus a Josepho

1881

v

P. Josep.
Ep.
ad Nunc.
9 Aug.
1649.

adhaerentes uti solere privilegiis *Missionariis* in suae factionis scopum atque Ecclesiae detrimentum, usqueadeo ut paucis tunc retro diebus P. Lucas Waddingus per vias occultas, sed per aliquam rimam patefactas, epistolam ab ipso Ormonio, Prorege haeretico, Romae receperit, qua Ormonius Waddingum rogabat ut Observantinorum in Ibernia, non illorum qui censuris et Nuncio adhaererent, sed eorum, qui adversarentur, ipsique Ormonio morem gererent, mentem et conatus apud Urbem secundaret inter lugubrem tunc ambarum partium Franciscanarum in ea Insula discordiam. Respondit Josepho Cardinalis privilegia Missionariis a Sacra Congregatione propagandae fidei concessa fuisse, proindeque a Nuncio non esse revocanda. Cui Josephus retulit Nuncii facultatibus insertam clausulam, juxta quam ea revocare valeret. Cui Cardinalis: At (inquit) *non obtemperabunt*. Josephus autem Cardinali demonstratum ibat Nuncio velut expulso competere eandem facultatem, etiam extra Iberniam juxta praefatam *Clementinam*. Sed Cardinalis non (inquit) *tere tempus circa juris quaestionem*. Nam *quaestio facti mihi magis negotium facessit; neque enim obsequenter*. Denique aliis atque aliis rationibus a Josepho

1882

allatis, monuit Cardinalis ut scripturam Illustrissimo D. Albitio daret. Albitius autem ex officio postea Cardinalem allocutus, eum super hac re dubium atque ancipitem esse respondit, et Josephum monuit ut litteras a Nuncio (sicut superius tetigimus) super eadem re notis arcanis scribendas expectaret, quae sive scriptae fuerint sive secus, haud invenio privilegia illa fuisse revocata. Interea Nuncius dubitans ne forsitan Appellantes absolutionem in Urbe obtinerent, Lugduno 21 Julii 1649 ad P. Josephum in Urbem scripsit hanc epistolam in suo Regesto hactenus a nobis toties citato ultimam.

"P. Josepho."

(360) "Si ad concedendam Iberniae Confaederatis absolutionem propendeatur, infrascriptae circumstantiae tam in honorem Sedis Apostolicae quam ad animum et constantiam bonorum Catholicorum illius Regni fovendam ponderandae videntur.

*Reg:
p. 762.*

(361) "1. Ut legitimum absolutionis procurandae et petendae mandatum exhibeat. Nam secus contingere posset quod non nulli ex iisdem Confaederatis se hanc instantiam fecisse negarent, et alii ostentarent se susque deque habere hoc remedium, quod totum in Sanctae Sedis atque ejus autoritatis irrisione redundaret. |

(362) "2. Ut in absolutione omnes cuiuscumque gradus ecclesiastici excludantur, velut illi qui, cum ante alias actis perniciosis, concionibus, et doctrinis falsis Sedem Apostolicam et Nuncium offenderint, et praeterea aliis Sanctae Sedi devincti sint, merentur ut eorum causa a laicorum controversiis separetur, et seorsim discutiatur, eo magis, quod semper in vulgus sparserint, et persuadere conati sint, excommunicationem fuisse nullam, vel certe se eam non incurrisse, sicut appareat ex epistola Nuncio a sex Episcopis scripta, quae deinde non nisi post ejus discessum pervenit. Porro haec causae separatio maximam partibus bene affectis consolationem afferret, quae utique existimabunt aliquo modo eos esse coercitione deterritos detentosque, qui inter nuperos motus tanta cum temeritate se gesserant.

*1882
v*

(363) "3. Quantum ad laicos : sententia in quam Sua Sanctitas ivit, videtur optima, scilicet id efficere ut edicta et acta contra Sedem Apostolicam et immunitatem ecclesiasticam condita refrigerent. Siquidem talis submissionis et obedientiae actus

magnum omnibus exemplum praeibit. Porro inter ea quae revocari debent, praecipua sunt incarcerationes, quas in ecclesiasticos, tam Regulares quam saeculares, executioni mandaverant, et decreverant, Episcopis illata armis violentia ne ad Synodum nationalem venirent, juramenta, quae | omnibus hominum ordinibus ministraverant, ut nec praeteritas nec futuras cujuscumque Tribunalis Ecclesiastici censuras vererentur, et alia similia acta P. Josepho atque omnibus aliis probe nota. Caeterum circa haec satis erit ut se ea licite agere non potuisse confiteantur, et promittant futurum ut se iis imposterum abstineant.

(364) " 4. Ut absolutio sit absoluta, et non solum ad cautelam. Nam hoc secundo modo Nuncii ac delegatorum ejus sententia penitus laederetur, cum adversarii nunquam aliud praeterquam hoc desiderarint. Liquet etiam eos hac via uti voluisse ut ipsis foret integrum ea omnia agere, quae sibi profutura essent, idque ita ut nullam rerum gestarum rationem reddere tenerentur.

(365) " 5. Considerandum est expedire ut inter paenitentias imponendas una sit, quatenus intra certum temporis spatium mittant aliquem Romam ad pedes Suae Sanctitatis, quo de novo de suis erratis se purgent, et ei ob paternam ejus benevolentiam gratias agant.

(366) " Praedictae omnes considerationes non solum partes bonas quodammodo consolabuntur, et sublevabunt, sed etiam in ipsis Nuncii honorem cedent, juxta humanissimas litteras ei super hoc negotio scriptas, quibus non solum causa a principio ad eum remissa fuit, sed etiam certior factus est nullam, nisi ipso prius consulto, ferendam sententiam. Quamobrem ille 1883 v se agnoscit singulariter devinctum, modo vel ex parte vel in toto praedictarum considerationum ratio habeatur. Lugduni 21 Julii 1649." Haec Nuncius.

(367) His monitis Romae acceptis Josephus, antequam ad ea exequenda se accinxit, Nuncio scribens: " Recepit (inquit) Illustrissimae Dominationis vestrae litteras Lugduno 21 Julii scriptas, ad quas respondens dico: 1°. Sententiam exigendi a parte adversa ut, antequam de absolutione quaestio moveatur, acta Ecclesiae praejudicantia refigant, persistere, et (credo) perstituram usque in finem. Illustrissimae D. Vestrae considerationes super absolutione sunt optimae. Eas ego Illustrissimo Domino Albitio ostendam, et deliberabitur si tentandum

sit aliquid de novo ex parte vestra, an potius expectanda responsio mittenda a partibus adversis ex Ibernia. Et forsitan satius erit supersedere, dictamque responcionem expectare. Nam mihi nec verisimile, nec probabile, quinimo moraliter impossibile videtur, ut fiat dicta revocatio. Cum enim acta a Comitiis Generalibus condita fuerint, mihi paret impossibile ut Comitia coeant atque ea revocent, et consequenter absolutio nunquam succedit, et sic nullum adhibendo conatum obtinemus quicquid desiderare possumus. Nec mihi videtur probabile fieri posse, ut exigendi, quatenus acta illa Ecclesiae | praejudicantia ante revocentur, quam absolutio concedatur, sententia mutetur. Cum enim Illustrissimus D. Albitius Suae Sanctitatis nomine hoc *fratri responderit*, et *frater* jam de ea Suae Sanctitatis decisione in Iberniam scripserit, non est nec unquam esset Suae Sanctitati honorificum eam mutare, nisi prius obtinuerit quod exegit. Si in hanc sententiam simpliciter itum fuisse, nec fratri mandatum esset ut eam in Iberniam scribebet, et notam faceret quo executioni mandetur, crediderim quod mutari posset. Verum facto praecepto ut dictae revocationis ergo in Iberniam litterae scribebentur, mea opinio est nihil fieri posse in contrarium. Unum fratri praestandum restat, nempe ut absolutionem procuret cum hac clausula, *ea lege ut omnia Ecclesiae praejudicantia decreta actaque refigantur, &c.* Verum in hoc respondebitur 1°, expectandam esse ex Ibernia responcionem. 2°, dictam absolutionem fore vanam atque inanem. Nam vel ipsi refigere volunt, quo casu Sedi Apostolicae magis honorificum est ut ante refigant quam absolutionem assequantur, vel revocare nolunt, et hoc casu in Sedis Apostolicae honorem magis cedit non dare absolutionem, quam ut effectum haud sortiatur, illis ad eam assequendam nolentibus | adimplere conditionem. Et hae quidem rationes ad conatum tali casu frustrandum mihi videntur efficacissimae. Romae 9 Augusti 1649." Haec Josephus. Qui ubi praefatas Nuncii suggestiones Lugduno 21 Julii scriptas Illustrissimo D. Albitio communicasset, respondit Illustrissimus Dominus Albitius esse suapte natura peractu difficiles, et aliunde nullo modo exequendas, donec responso jam ex Suae Sanctitatis parte dato Ormonistae satisfecissent. Dum autem in responcionis ex Ibernia facienda expectationem lis hunc in modum penderet, Josepho accessit strenuus adjutor D. Dionisius Massarius, Decanus Firmanus, antea in hac historia nominatus.

1884

1884

v

(368) Cum ille legatione, ad quam obeundam anno 1646 ex Ibernia ad Suam Sanctitatem allegatus erat, in Urbe fungeretur, non nulli amicorum, ubi observassent quanta apud Pontificem fide valeret, monuerunt ut opportunam sibi ipsi de aliqua dignitate ecclesiastica providendi occasionem manibus dilabi non pateretur. Verum tantum abest ut eorum votis acquieverit, ut etiam ulteriore illi tentationi aditum praeculsurus, quadam dierum praesentibus nunc Eminentissimo Cardinale *Homodei*, et P. Luca Waddingo tunc Romae ante Crucifixum genibus pro voluntus votum voverit Deo Jacob se nihil ejusmodi a Pontifice sibi postulaturum, ne publico Ecclesiae bono proprium et privatum commodum, et Nuncii rebus suas | praeferrerret. Nec hic extra callem erit si recensuerimus Iberniae Clerum tunc Massario anno 1646 in mandatis dedisse ut Nuncio ipsorum nomine a Pontifice Cardinalatum procuraret, sed Nuncium hoc auditio injunxisse Massario sub sanctae obedientiae pracepto ut non procuraret, ne in fidei propagandae provincia exercenda dignitatibus potius ecclesiasticis inhiaret, vel inhiare videtur. Quare Massarius eodem anno 1646 Romam profectus, inter quandam audientiam jam pene absolutam a Pontifice interrogatus nunquid praeterea dicendum haberet, flexis genibus velut obmutescens: habeo (inquit) sed dicendum non habeo, quia Nuncius praecipit ne dicerem. Cui Pontifex: Et ego (inquit) praecipio ut dicas. Quo ille majoris obligationis pracepto compulsus, Cleri Ibernici votum jam dictum aperuit. Pontifex autem Cleri affectum, Nuncii zelum, et ipsius Massarii connexam cum fidelitate industriam laudavit, et praehenso ejus brachio jussit, Nuncius bono animo esset, spemque fecit optimam. Quae inserui ut ostenderem Massarium etiam sua modestia et fidelitate dignum fuisse qui exaltaretur. Porro is inter eam legationem Pontificis benevolentiam sibi conciliavit singularem, deinde difficultatibus ab eo ad Iberos tunc redeunte superatis et obsequio fideliter praestito auctam, quae demum supra modum crevit, auditio eum anno 1648 Killenniae a Concilio Supremo custodiae fuisse mancipatum, | et MS. Latino, quod ibi in censorum defensionem composuerat, Romae accepto, praeter crebras Nuncii litteras ex Ibernia scriptas, quibus eum male multatum esse, et eximia animi magnitudine Concilio semper respondisse significaverat. Quare Massarius jam Romae Martyr vivus haberi caepit. Unde ubi Nuncius ultimo Octobris 1648 Cardinali Panzirolo inter alia scripsisset, se propediem Ibernia abiturum, ita tamen ut

1885

v

Reg.
p. 672.

Massarium antea libertate donandum aut una navigaturum desperaret ; Cardinalis notis arcenis 23 Januarii 1649 respondens inter alia : " Valde (inquit) displicet quod Dominatio vestra Decanum Firmanum secum conducere nequeat. Faxit enim Deus ut ope, quam Dominatio vestra illi in Ibernia ferre posset, destitutus, maximum periculum non subeat. Etiam pro ipso fundentur preces peculiares ad Deum benedictum." Sic Cardinalis. Sed dilato Nuncii discessu Massarius (sicut vidimus) una cum eo in continentem remigravit, a Nuncio primum hoc anno 1649 in aulam Gallicanam ut fidem publicam obtineret, deindeque ab eodem Rupellam destinatus, quo pecunias pugna navali anno 1647 in Oceano Gallico captas, in quas tunc Gubernator Rupellensis ita involaverat ut Regis Christianissimi Concilium sanctius eas postea Nuncio adjudicarit, exigeret, quas tamen Gubernator ille restituere recusavit, nec sententiae nec mandato Regio | obsecutus. Quinetiam Massario ab amicis nunciatum fuit Ludovicum Gedeon, qui inter praedam illam anno 1647 capiendam victrixi Nuncii fregatae in ducem praererat, et a Massario in Ibernia anno 1648 D. Didaco de la Torre, Regis Catholici Oratori, praedam illam repetenti, velut culpae, siquae fuisset, author permissus atque in carcerem conjectus fuerat, ibi Rupellae hoc anno 1649 ejus vitae insidiari. Quare Massarius saluti consulturus, cum socio, Marino Pellicano, citatis equis Rupella Aureliam contendit, exindeque curru publico Parisios petiit. Ubi Nuncio Galliarum, qui litem illam ante in aula Gallicana prosecutus sententiam jam dictam obtinuerat, eandem causam prosequendam reliquit, ipseque Iberniae Nuncium jam in itinere per Gallias progressum assecuturus Lugdunum perrexit.

(369) Interea Romae expiravit D. Franciscus Ingolus, Sacrae Congregationis propagandae fidei Secretarius, in cuius locum dum Romae in quaestionem veniret, qui sufficeretur, Illustrissimus Dominus Albitius Pontifici Massarium proposuit. Quem Sua Sanctitas mox ad eam provinciam obeundam circa nonas Junias libentissime nominavit, nisi ipse Nuncius eam obire mallet. Nuncius autem (sicut P. Richardus O Ferallus, Capucinus, ambobus, etiam postea Romae, admodum familiaris et charus mihi retulit) libenter officium exercuisset, nisi ipse et Massarius a Pontifice in duabus lineis parallelis circa id positi fuissent. Nam Massario, | famulo suo, nec praeripere nec comparari nec competitor esse voluit. Itaque Massarius circa finem Junii Lugdunum ita pervenit, ut auditio se fuisse Pontifice

1886

1886

v

cooptatum in Sacrae Congregationis propagandae fidei Secretarium, Suae Sanctitatis mandato obtemperatus Nuncium a tergo reliquerit, et spreto periculosisimo climatis Italici, aurae aestivae, et dierum canicularium calore Romam ad 18^o Augusti pervenerit. Ubi in aestus aliter futuri exitialis antidotum aliquot dies obturato caeli lumine clausus, demum 24 Augusti ad Suae Sanctitatis audienciam admissus est, tanto Pontificis desiderio, ut Principem Ludovicum momento prius ad audienciam admissum colloquio jam caepto frustravit, quo Massarium recentius introductum audiret. Quem paulisper genuflexum surgere jussit, deque rebus Ibernicis discurrenti libentissimam aurem praebuit, ac demum in jam dicto Secretarii officio confirmavit.

(370) Hanc dignitatem Massario etiam absenti a Pontifice decretum multi praeagierunt fuisse manifestum argumentum augurandi fore ut omnia Nuncii acta Pontifici facile probarentur, ipseque in perpessionum et laborum aliquale etiam in hac vita praemium ad Cardinalitiam dignitatem mox evehheretur. Ad causam quoque ejus in Urbe tuendam Deus aperuisse videbatur viam per Massarii promotionem, qui cum in rebus illis Ibernicis versatissimus, Nuncii studiosissimus, et Pontifici gratus esset, ipsique ex officio ad Suam Sanctitatem ac totam Aulam Romanam facillimus pateret aditus, continuo idoneus censebatur, qui suis solius humeris totam illius controversiae molem supportaret, et omnem Nuncio victoriam sponderet.

(371) Nuncii quoque fautores omnes in Massario ad eam dignitatem assumpto triumphasse, ejusque adversarii eapropter animum non nihil despondisse videbantur, praesertim ecclesiastica hominum natio, quorum tota Respublica et Regimen non Ormonio, atqui a Pontifice Maximo et Romanis deliberationibus penderet. Nec sane Massarius toto deinde tempore, quo sub Innocentio X^o et Alexandro VII provinciam illam obiit, sui ac Nuncii olim in Ibernia fautoribus defuit. Porro illius Aulae applausu et congratulatione ad id officium assumptus est, tanquam quem a multis jam mensibus arbitrarentur ex illorum esse numero, in quibus non martyrio voluntas sed voluntati martyrium defuerit, licet re ipsa rumor ille de tot Massarii apud Kilkenniam angustiis solitam participarit conditionem famae, quae

(372) Massarius et Josephus deliberarunt nunquid expediret ut sententiae in Nuncii favorem obtinenda ante ejus appulsum insisterent. Verum concluserunt nihil interea innovandum, sed centenis Argi oculis, si quid Carmelita tentaret, observare, ut ejus conatus frustrarent. Ille vero Massarium | recens appulsum rogavit ut pro aequo et bono rem inter se componerent. Cui Massarius usque ad Nuncii redditum in Urbem nihil amplius diffiniendum esse respondit, et id se Romae certo rescivisse Equiti Rinuccino litteris 21 Augusti indidem datis Florentiam nunciavit. Quare etiam P. Josephus, qui Nuncium aliquot retro hebdomadis scripto monuerat, ut suam causam melius coram defensurus, Romam magnis itineribus concederet, litteris 23 Augusti ex Urbe scriptis eum incussi timoris veniam rogavit, et quod 24 Julii significaverat, denuo confirmavit, nempe non esse, cur plus solito festinaret. Itaque in responsi, de quo jam diximus, ex Ibernia recipiendi expectationem, et in Nuncii appulsum aliquot menses causam hanc Romae suspensam, et Nuncium lentis atque identidem interruptis itineribus in Urbem tendentem ad tempus deseramus, addentes P. Josephum sinistre hanc controversiam tractasse, quod totis viribus eam (etiam auditio praeter meritum Appellantium procuratore) sententia judiciaria decidendam non curavit, ut sic *omnis iniquitas oppilaret os suum*. Verum ille relictis a tergo apud Nuncium tot tantisque controversiae actis et litis instrumentis, sine quibus necessaria rerum allegandarum notitia destitutus, proindeque deceptus operam dedit ut (quod ex ejus litteris 24 Julii ad Nuncium scriptis constat, et ex aliis, praesertim illis 9 Augusti ad eum datis ac superius positis conjectandum est) causa per sententiam Judiciariam cum omnibus solemnitatibus ferendam | non decideretur, vel certe (quod ex iisdem litteris 24 Julii scriptis, et ex ejus Memoriali iisdem memorato, et postea tradito, ac superius posito patet) usque ad Nuncii redditum sententia suspenderetur, quo causam ipse suam ex limpidissimo actorum fonte prosequeretur, quorum duorum primum causam suapte natura optimam haud reddidit deteriorem, et ipsi tanquam architecto male provido ascribendum est. Secundum vero rationi fuit consentaneum, cui et institutum est, sicut ex Massarii litteris 21 Augusti 1649 Roma ad Equitem Rinuccinum datis aliundeque colligo. Quod autem Nuncio Romam regresso difinitum fuerit, suo loco non silebimus.

(373) Interea res in Ibernia gestas, ad quarum successum haec Romae controversia (sicut jam tetigimus) ponderabatur,

1887
v

1888

resumamus, ad quas melius referendas haud mediocriter conducebat ut tragediam tunc Anglicanam ac Scoticam adumbremus. Itaque vere atque aestate anni 1648 Scotia prope tota, et magna Angliae etiam praesidiorum Anglicanorum pars cum Regina Angliae et Principe Walliae apud Galliam exule faedus percuesserunt, quo Regem carcere liberarent et postliniio restituerent diversarum partium haereticarum Rege in propriae ambitionis et avaritiae instrumentum utentium, et secus ipsi infensissimarum studiis sicut antea sic et tunc pessimis sed tunc magis speciosis, prout antea tetigimus. Porro exercitu Scotico in Angliam ingresso, et Anglicanis ibi viribus a Rege stantibus ita coalito, ut Dux Hamiltonus, ambarum copiarum tunc Imperator, 25 militum millia | sub vexillis haberet, commissum est praelium, quo Cromuellus has vires Regias profligavit, interfectis tribus Scotorum millibus, et ter totidem pudendum in modum captis, quo factum ut paucis diebus interjectis ipse Hamiltonus cum aliis hominum equorumque tribus millibus captus fuerit, reliquis omnibus tota Anglia Scotiaque viribus cum praesidiis Regiis partim paulo antea, partim mox postea deditis, delectis, vel dissipatis, adeo ut ipse Walliae Princeps cum classe, qua suis auxiliaturus maritimis Angliae oras infestarat, in Hollandiam ad sororem recesserit successu jam desperato. Nec solum, sed et Cromuellus cum rebellium exercitu victoriis insolecente in Scotiam penetravit, ubi partium ejus tunc fautores, Argathelius et Levenius partim Cromuellii et exercitus praesentia, partim sua ipsorum apud populum Calvinisticum authoritate, partim sectariorum Monarchiam exosorum inconstantia peregerunt, ut Scotia iterum in Regem insurrexerit, et anteriorem cum rebellibus Angliae Parliamentariis conjurationem resumpserit, depressis, qui in eo Regno Hamiltoni mentem secundaverant.

(374) Interea in Anglia prudentiores imminentem suis cervicibus tyrannidem horrentes, nullum non movebant lapidem, ut concordiae tractatu Rex in solium restitueretur. Verum ita delegatis ad Regem in *Vecta*, Insula, custodiae mancipatum Commissariis, utrinque tractari caepit, ut eodem tempore variae Parlamento et Farfaxio a suis in et extra exercitum ex industria incitatis oblatae fuerint anno 1648 die Septembbris 10 et 30, nec non Octobris 2. 4. 10. 18. et 21 petitiones et libelli supplices *ut quicunque in Rem publicam delinquissent excepta nullius persona in judicium vocarentur*, et ante omnes *ipse Rex*, in quem praesertim isthaec cudebatur faba. Denique

1888

v

1889

praevaluerunt haec truculentissimorum sicariorum vota, postquam nefaria illa Farfaxii, rebellium praefecti, et Concilii bellici petitio vicesimo Novembbris 1648 oblata esset Parlamento.

(375) Itaque Farfaxius atque ejus in exercitu legatus generalis Cromuellus jam ex Scotia in Angliam redux multis modis sibi ad hoc regicidium viam straverunt, intrusis in subsellia, et exinde detrusis quos vellent, ne deessent qui ad eorum genium pro tribunali sederent, nec non exarmatis Londini civibus, atque introductis in civitatem ac in vicinia dispositis suis copiis, nihil nisi tyrannidem et crudelitatem spirantibus. Quo jacto fundamento, Rex ex Vecta, Insula, ab inhumanissimis carnificum turbis translatus, ac die Veneris 19 Januarii 1649 in S. Jacobi Palatio Regio ad suburbia Londinensis velut in carcere collocatus est, ubi proles Regia educari solebat, atque adeo ubi tunc in majorem potius afflictionem quam consolationem duo ejus liberi tenellae aetatis, filiolus tertigenitus, Dux Glocestriae, et filiola secundogenita, Elizabetha, velut in custodia detinebantur. Postridie autem misso apparitore cum ferociente armatorum colluvione raptatus est Rex ad majorem Westmonasterii aulam, quo haec efferatorum curia magnam partem | ex militiae ducibus compacta convenerat, ubi omnibus infamiae maculis notatissimus, quidam vocabulo Bradesaus a Regicidis in praesidem cooptatus eum compellans: Carole (inquit) Stuarte, Angliae Rex, supremam erexit plebs Anglicana in Comitiis congregata curiam judiciariam, in quam ductus es, ut auscultes ea, quorum te reum agunt et ad ea respondeas. Quo auditio Rex locuturus erat, sed silentio ei imposito, mox alter sceleratus legista, generalem plebis sollicitatorem agens, accusationum capita legit, nempe eum Rempublicam male administrasse, leges violasse, et turbas ac tumultus, a quibus Regnum inaudita sanguinis effusione vastatum esset, concitasse, proindeque velut tyrannum, proditorem, homicidam, et apertum Reipublicae hostem a plebe accusari. Rex ut se tyrannum vocari audiit, subridens se ad loquendum accinxit, sed silentio ei iterum imposito sermonem continuit. Accusationum autem capitibus, quorum summa dixi, et aggravationibus jam lectis, jussus est a praeside ut responderet.

(376) Ille vero intrepidus ad omnes sermonem convertit, interrogans quinam sirt? Nunquid se ipsum noscant? Agnoscantne eorum Regem? Et qua se authoritate citent? At Praeses: plebis (inquit) Anglicanae, cui omnis in te, tanquam Regem electivum, potestas competit. At Rex: Anglia (inquit)

1889
v

semper fuit Regnum haereditarium, non electivum. Quare cum id ego legitimae successionis jure teneam, nullam vos in me potestatem habetis. Monuit etiam ut tanti | momenti rem suis ponderibus librarent, ne se ipsos ac posteros peccato tam enormi, plurimorum aliorum delictorum postea patrandorum parente, conscelerarent. Instante autem praeside, ut ad objectas criminationes directe responderet, et Rege eorum judicandi sui potestatem ad trutinam revocante primae sessioni finem imposuerunt.

(377) Ob posteram diem Dominicam, fuit comperendinatum judicium in diem Lunae, qua Rege non secus atque antea ad forum tracto, multis utrinque actum est a Rege quidem ut judices legitimam judicandi sui autoritatem exhiberent, aut insanis caeptis desisterent, a Praeside vero ut Rex ad intentas ei actiones criminales responderet. Et haec quidem 2ae sessionis summa fuit. 3a autem Praeses Regi simili ritu ad forum raptato declaravit, sententiam in eum, velut reum, et contumacem, a se ferendam, nisi criminationes dilueret. Rex autem semper judices non esse competentes ostendebat, addens se ad Regni clavum nunquam partes non egisse suas, nihilque magis habuisse in votis quam ut discordiae civiles pro aequo bonoque componerentur, rogabatque ut saltem tunc sic fieret. Illis etiam comminabatur Dei vindictam, si non solum tanto bono publico obicem ponerent, sed etiam in suam ipsius, et Regis et innocentis, necem, subditi cum essent, conspirarent. Sed surdis canebat. Itaque 4a litigationis die, adducto Rege in concessus aulam ferocientibus militibus refertam, numerosa *Independentium*, factionis tum in Parlamento atque in exercitu dominantis, colluvio vociferari caepit | nihil pene aliud nisi illud : *executio, executio, executio*. Unde Rex nefariam eorum sui per fas et nefas trucidandi mentem conjectans, audientiam petiit. Sed Praeses barbarie plus quam Sythica renuit, et sermonem protraxit exprobrans Regi tanquam grave piaculum, quod praecedentibus sessionibus suam ac collegarum jurisdictionem agnoscere noluisset, multisque monstrare conatus est eum esse contumacem, adeoque dignum qui velut talis judicaretur inauditus. Demum tamen, quasi ex gratia speciali, ei pro se loquendi potestatem fecit, dum ne eorum autoritatem in dubium revocaret et paucis absolveret.

(378) Duo ergo Rex postulata interposuit : 1^m, ut sibi deliberandi ac respondendi tempus juxta Regni leges nulli reo denegandum concederent, et accusationum capita in particulari

communicarent, quo melius suae innocentiae patrocinari valeret. 2^o, ut Regni Comitia indicerentur, quo ipse in illis et ab illis audiretur, et ipsis magni momenti res atque ad salutem publicam conducentes aperiret. Quae Regis postulata Praeses grandi supercilio atque intolerabili fastu rejicit, comminiscens eo spectare ut tergiversaretur, et delictorum paenam declinaret, vel certe daret tardiorem. Verum gravissimis rationibus a Rege allegatis, Praeses super ejus petitionibus cum collegis deliberavit. Ubi autem ad subsellia redierunt, Regi declaravit, nec se, nec collegas, ejus postulatis acquievisse. Quibus Rex crudelissimam judicandi rationem objecit, et validissimis rationibus confirmavit. Praeses autem audaci | digressione 1891 crima Regi afficta objectaque probare conatus demum conclusit, eum ex Rege induisse se in tyrrannum ultimo dignum suppicio, proindeque statutum esse ut homicidii paenas lueret praescriptas Genes. 9. 6. et Numer. 35. 31. eodemque die 27 Januarii horrendam Regicidii sententiam tulit, nempe *ob populi Anglicani querelas curiam a plebe erectam declarasse Carolum Stuartum, eorum Regem, praefatorum criminum reum et convictum, proindeque eum capititis damnasse truncandi in publico Westmonasterii foro a carnifice ordinario.*

(379) Rex, audita mortis sententia, multis et suam innocentiam et eorum ostendit crudelitatem, intentans illis severam a Deo atque ab hominibus ultionem, nisi resipiserent, ac demum peroravit sed non exoravit, suadens ut exequenda sententia supersederent, et utrinque omnia suaviter ad justam mensuram redigerent. Ad quem ejus sermonem Regiae et Majestatis et gravitatis plenum multi lacrymati sunt, aliis in cordis duritia persistentibus, et ante omnes totius pene nefariorum facionoris architecto, sceleratissimo Cromuello, ad cuius suggestiones omnem hanc machinam motam et admotam fuisse tradunt. Quod etiam eventus postea nati non tam significare quam demonstrare videntur. Porro Regem ad alium palatii Westmonasteriensis cubiculum reduxerunt, monueruntque ut se ad mortem praepararet.

(380) Nec silentio praetereundum est Belieurum, Regis Christianissimi Oratorem ordinarium, Hispani quoque, Dani, et Sueci, nec non Batavorum Oratores | omnem adhibuisse operam ante sententiam latam, ut rebelles Parliamentarios ab ea animi insania dimoverent. Accesserunt etiam Scotorum Deputati, qui allegarunt non solum de Angliae, sed etiam de Scotiae Rege abdicando atque exigendo quaestionem moveri;

imo Scotiam in hac controversia potioris esse juris, quod antiquum Regis et primaevum ejus Regnum esset Scotia, nec Anglia ei nisi jure novo et per aborniam, Regis Angliae, Henrici 7 filium Jacobo 4° Scotiae Regi nuptam, obtigisset. Angli ergo caverent ne Regem tollerent, et secus non dubitarent quin Scotti vitas et fortunas omnes ad ulciscendam Regis mortem profunderent. Produxerunt etiam faederis inter Scotiam et Parliamentarios adversus Regem hoc ipso bello initi articulos, in quod solemni ritu ambae fundatorum partes toties juraverant, quibusque semper cautum ut certae quidem iniqui (ut loquebantur) Regiminis corruptelae corrigerentur, sed de caetero Regis persona, proles, juraque omnia sarta tectaque manerent. Verum hae omnes aliaeque similes instantiae ad nihil reciderunt.

1892

(381) Rex, ubi sibi moriendum vidisset, nec Praelatum Catholicum nec sacerdotem advocandum curavit, nec ullum fidei Orthodoxae amplectendae, aut haereseos, in qua eatenus sorduerat, abjurandae signum aut desiderium monstravit, sed pseudo-Episcopum Londinensem antea cum aliis totius Angliae pseudo-Episcopis a Parlamento in ordinem redactum acciri jussit. Quo ministrante, die 28 Januarii prophanam haereticorum caenam (sic illi supposititum suum | Eucharistiae sacramentum vocant) sumpsit. Postera vero die 29 Januarii rogavit ut filiolus et filiola superius nominati ad se ducerentur. Quibus post paternos illius diei et noctis posterae affectus, amplexus, et oscula, paternam impertiit benedictionem. Denique 30 Januarii juxta stylum veterem, qui in Anglia viget, vel 9^a Februarii justa novum, die Martis, summo mane, universus exercitus armis stridens vias omnes, aditus et praecipua civitatis Londinensis loca occupavit, tormentis bellicis libratis, erectoque inter noctem theatro nigris strato ante Westmonasterii palatium, ac denique referto militibus foro, qui una manu oneratum pulvere nitrato et glandibus plumbeis sclopum tenebant, altera strictum ensem vibrabant. Quo demum ad horam 2am pomeridianam tractus fuit Rex, precedentibus sex bipenniferis, per ambulacrum eo fine excogitatum, ex fenestra majoris aulae dicti palatii usque ad theatrum, quod ille atratus cum solo pseudo-Episcopo jam dicto et famulo conscendit. Ubi ad assistentem multitudinem conversus dixit, non esse, cur se purgaret de falsis accusationibus, cum in caelis innocentiae testem haberet, coram quo comparitus esset, et qui se illarum criminationum insontem esse suo tempore

manifestaret. Ipsum populum experientia didicisse, se bonum egisse Regem, qui cum clementia et justitia ad Regni clavum sederit. Omnia mala promanasse a quibusdam scelerum hortatoribus, quorum opera bellum inter se et Parlamentum flagrasset, et demum | proprii subditi in suam vitam conspirassent. Id homines quidem injuste, sed Deum juste decrevisse. Se ab eo pro se, et cum S. Stephano pro inimicis, veniam petere, et mori plenum benevolentia in populum. Pro quo Deum precatus est et oravit ut eis daret optimam in ecclesiastica et civili republica disciplinam. Denique (quod primum et ultimum ejus infortunium fuit) miserandum in modum protestatus est, se moriturum in pseudo-Ecclesiae Anglicanae religione, quam a patre hauserat, et semper coluerat.

1892
v

(382) Post alias deinde cum pseudo-episcopo preces se erexit, et quaequivit ubi esset carnifex? Aderat autem non ordinarius, quem Regicidii horrore se in fugam dedisse tradunt, sed alius et ipse larvatus, qui ad Regis genua provolutus veniam petiit. Cui Rex: Amice (inquit) tibi ex animo parco, sed (ut verum fateor) stupeo quod Anglia suppeditet qui hoc officio fungi velit. Deinde Rex pallium et, quae famulo tradidit, ordinis periscelidis insignia exutus, propriis manibus diploidem detraxit, et, compositis ad securis ictum crinibus, ubi non ligatus trunco collum adaptasset, et in Dei manus animam commendasset, tortori signum edidit, qui unico securis ictu caput amputavit, et mox populo ostentavit.

(383) Hora post Regis mortem tertia exiit ab infami illo Parlamento edictum Londini promulgatum, quo sub gravissimis paenis prohibitum nequis Regis primogenitum, hactenus Walliae Principem, Regem diceret. Postridie autem alio edicto interdictum, nequis in modum, quo in hoc | Regicidio patrando processum erat, opinaretur vel loqueretur, neve Ministelli haeretici in contrarium concionarentur; eodemque die praefati exterorum Principum Oratores Londino p[ro]ae sceleris horrore discessere. Porro die Veneris sequente Hamiltonus, quem aestate superiore Regis causa ex Scotia in Angliam cum magnis viribus irrupisse et ibi captum fuisse vidimus, securi percussus est, quod praefatum Principi obsequium exhibuisset. Denique infamis ille Praeses, qui totus inaudita barbarie in Regem pro tribunal[em] sedens mortis sententiam tulerat, crudelitatis praemium antea pactum, quaterna librarum Anglicarum millia recepit, plurimaque alia excidenda Monarchiae et erigenda novae Reipublicae jacta sunt fundamenta verbo, scripto, opere,

1893

decretis sanguinariis, et aliis innumeris efferatorum sicariorum machinationibus. Quod dixit in ipso theatro Rex Carolus, nempe Deum juste sibi mortem illam decrevisse, si non aliunde, ex eo certe verissimum est, quod haeresi paternae ne in mortis quidem articulo nuncium remiserit, nec fidem Catholicam professus sit, licet speciali providentia Deus Opt. Max. tot eum quibus resipuisset, beneficiis cumularit, et congruas verae religionis amplectandae occasiones subministrarit. Nam majores omnes sive Angliae, sive Scotiae, sive Iberniae Reges a tot retro saeculis, excepto patre, Catholice spiraverant et expiraverant, ipseque Rex Jacobus, ejus pater, illud toxicum infernale innocenter hauserat, infantulus Calvinistarum Scoticorum 1893 seditione a matre, | gloriosissima Martyre, Maria Stuarta, ita divulsus, ut nesciens atque imprudens haeresim cum nutricis lacte potarit, postea semper maximis plurimisque proprii commodi retinaculis velut *postibus aeneis* et *vectibus ferreis* a resumenda majorum fide praepeditus, licet eum in religionis causa subinde nutasse credamus, cum conatus sit efficere ut Catholici et haeretici aliquam inirent viam, qua fierent unum ovile, fueritque in procinctu ad matrimonium inter filium Carolum et Hispaniae *Infantem* celebrandum conditionibus mundo universo notis, quae animum pene jam Catholicum saperent, ac denique Reginae uxori, Annae Danicae (sicut amborum ex filia nepos, Eduardus, Princeps Palatinus me praesente in Gallia retulit) libens lubensque permiserit ut ex haeretica Catholicam indueret, et veram religionem in ipsa Aula Anglicana sectaretur.

(384) Itaque Rex Carolus nedum aliorum majorum, sed etiam hujus piae Reginae, matris sua, et aviae paternae longe sanctissimae, Mariae Stuartae, exemplis invitatus, ac postea Deo specialiter providente a patre in Galliam exindeque in Hispaniam missus, ac demum cum Henrieta—Maria Borbonia, Henrici 4, Regis Christianissimi, filia ter Catholica anno 1625 et hactenus matrimonio copulatus, habuit unde ad veritatis notitiam perveniret, praesertim Ministrorum Apostolicorum ab Urbano VIII in Angliam missorum opera, et Capucinorum zelo, ex quibus vir doctissimus, R. P. Zacharias Boverius, eum dum in aula | Hispanica (sicut dictum est) versaretur, saluberrimis institutis imbuit sua tunc in lucem edita *Consultatione Orthodoxa*, quam ille sibi a Boverio traditam et dedicatam tanti habuit ut ei magnam suae conversionis spem fecerit, deindeque cum praefatae Reginae, uxori, essent a Sacello

Capucini Galli, usque ad hoc bellum in familiam Regularem apud Londinum coaliti, horum ille consuetudine quid inter sanam et insanam doctrinam interesset, probe et facile scire poterat. Sane praefatus ejus ex sorore nepos, Princeps Palatinus, qui in ejus familiaritatem penetraverit, me audiente retulit, eum eo progressum fuisse cognitae atque agnitae veritatis, ut judicaret se non posse Catholicos in fidei orthodoxae odium male multare. Quibus ac plurimis aliis dignoscendae fidei radiis caelitus immissis perfusus atque abusus Carolus tantum abest ut veram religionem amplexus sit, ut etiam haereticorum metu detentus, et eorum consiliis impulsus Confaederatis Iberniae Catholicis nunquam eas aequo longe inferiores circa religionem aliaque concesserit conditiones, quibus illi obtentis eum, sepositis discordiis et conjunctis viribus a servitute in libertatem et a morte in vitam asseruissent. Sed ille in haereticorum suorum promissis toties juramento firmatis et robore spem posuit, alias liberandus a Deo, qui nunquam deserit nisi prius deseratur.

(385) Carolo 1° hunc in modum a nefariis regicidis securi percusso, et aliquot diebus interjectis | Windsorae in sepulturam dato, patuit universo mundo, qua ab initio mente rebelles illi in Regem insurrexerint. Quam nequitiam magis exercuerunt convocato tunc ad ipsorum genium tumultuario Parlamento, a quo non solum in Angliam annexasque illi Regno minores Insulas, sed etiam in ipsam Iberniam veluti sibi subditam mira dominandi libidine decreta lata fuere, quae pene omnia quo tenderent velut ex ungue leonem colligas ex hoc eorum iniquissimo edicto tunc Anglice edito :

1894
v

*"Actum latum ad abolendam in Anglia, Ibernia et
Dominiiis ad ea spectantibus dignitatem Regiam."*

(386) "Quandoquidem authoritate a Parlamento derivata declaratum fuit, et hoc acto declaratur Carolum Stuartum, nuperum Angliae, Iberniae et Dominiorum ad ea pertinentium Regem, fuisse juste condemnatum et morti adjudicatum, ob multas prodiciones, homicidia, aliaque atrocias delicta ab eo commissa, quo judicio condemnatus fuit, et hoc acto declaratur eum peractum fuisse reum supremae proditionis, qua ejus liberi et posteritas, atque omnes alii, qui titulum post ipsum praetendant, omni deciderunt jure, quo in easdem Coronas succedant, vel in eorundem Regnorum aut Dominiorum Reges

1895 vel Reginas evadant. Quare ab hoc praesenti Parlamento ejusque authoritate sancitum et statutum sit, et sancitur, | statuitur, ac declaratur totum Angliae atque Iberniae, nec non Dominiorum ac territoriorum ad ea spectantium, populum cuiuscumque conditionis omni fide, clientela, et obsequio, quod cuicunque ex dicti nuperi Regis liberis vel posteris, aut quibuscumque post ipsum vendicaturis deberi praetenditur, liberatum esse, et ejusdem nuperi Regis primogenitum, Carolum Stuartum, nec non secundogenitum, Jacobum, nuncupatum Ducem Eboracensem, et quoscumque alias ejus liberos ac posteros, nec non omnes, qui ab ipso, per ipsum, vel post ipsum sibi titulum praetendant, esse abdicatos omni jure tenendi vel gaudendi dicta Angliae, et Iberniae, atque aliorum Dominiorum ad ea spectantium, vel cuiusvis ex ipsis corona, vel habendi nomen, titulum, aut dignitatem Regis aut Reginae Angliae et Iberniae, Principis Walliae vel ullum ex dictis titulis, aut utendi et laetandi eorundem Regnorum et Dominiorum, aut eorum ullius potestate et dominio, vel titulis honorariis, praetoriis, latifundiis, *tenementis*, possessionibus, aut haereditatibus ad praefatam Angliae atque Iberniae, nec non aliorum Dominiorum jam dictorum coronam, vel ad ullum eorum, vel ad Walliae Principatum, Lancastriae vel Cornwalliae ducatus, vel ad eorum quemvis pertinentibus aut spectantibus, quacumque lege, statuto, scito, usu, vel consuetudine contraria quovis modo non obstantibus. Et cum experientia compertum sit, Regis officium in hac natione atque Ibernia, ejusque authoritatem in uno homine esse superfluam, onerosam, et populi libertati, incolumenti, ac juribus periculosam, et Regiam potestatem ac praerogativam plerumque adhibitam fuisse ad opprimendos, depauperandos, atque | in servitutem redigendos subditos, et usu ac suapte natura comparatum esse, ut in ea potestate ac praerogativa constitutus sua interesse arbitretur ut justas populi immunitates ac privilegia imminuat, et suum dominatum atque imperium praeter leges promoveat, quo sit, pro sua libidine, haec Regna ad statum servilem redigat. Eapropter ab hoc praesenti Parlamento ejusque authoritate sancitur et statuitur ut Regis officium in hac natione imposterum nulli competit, et a nemine solo exerceatur, nemoque solus, qui cumque demum ille sit, habeat, vel habere aut obire possit officium, titulum, dignitatem, potestatem, aut authoritatem Regis eorundem Regnorum et Dominiorum, vel cuicunque eorum, vel Principis Walliae, quacumque lege, statuto, usu, vel

consuetudine contraria quovis modo non obstantibus. Et hisce statuitur ut si quis vi et armis vel secus tentare conetur, vel opem ferat, assistat, confortet, aut auxilietur cuicunque quibuscumque viis aut modis connixuro resuscitare aut post-liminio restituere quodcumque praetensum jus praefati primogeniti dicti Regis, vel Jacobi, qui Dux Eboracensis nuncupatur, vel cujuscumque alterius ex praefati nuperi Regis liberis aut posteritate, vel cujuscumque post ipsum vel ipsos praetendentis jus in dictum Regis vel Principis Walliae officium, titulum, dignitatem, aut authoritatem, vel quicunque operam dederit, ut ullus solus, quicumque demum ille sit, ad nomen, titulum, dignitatem, potestatem, praerogativam, authoritatem Regis Angliae et Iberniae praedictorumque Dominiorum vel eorum ullius promoteatur, eo casu omnis ejusmodi offensa censeatur | et habeatur suprema proditio, et qui eam contrixerint, eorumque consiliarii, procuratores, adjutores, et auxiliatores, ubi ejusdem offensae vel earundem offensarum ullius convicti fuerint, censeantur et habeantur proditores in Parlamentum et populum Anglicanum, et luant, confiscationem patiantur, multentur, atque iisdem paenis, bonorum publicationibus, judiciis, et executionibus obnoxii sint, quae in supremae proditionis casu usurpantur. Et cum dignitatis Regiae abolitio hoc acto decreta faelicissimam huic nationi (si Deo placuerit) sternat viam ad recuperandum suum legitimum atque antiquum jus committendi suum Regimen concessibus nationis personam gerentibus in Concilio, quod subinde ita populus delegat, ut illam ei provinciam credat. Eapropter a Communibus in Parlamento congregatis diffinitum et declaratum est fore ut hujus Parlamenti sessionibus finem quantocvus imponant, idque dissolvant, quantum populi, qui in ipsis fidem collocaverat, salus, et quicquid praeservando et sufficiendo regimini nunc *Reipublicae via* stabilito absolute necessarium, permiserit, futurumque ut de proxime ac deinceps cooptandorum electione, coitione, et residentia, atque aliis id genus circumstantiis ad eligendi libertatem et aequalitatem in membrorum cooptandorum distributione pertinentibus sollicite provideant, sicut ad perennem hujus *Reipublicae* libertatem et bonum maxime conducet. Et hisce ulterius statuitur ac declaratur, non obstantibus quae in hoc acto continentur, neminem cujuscumque conditionis vel qualitatis in Angliae et Iberniae Republica, Walliae principatu, Guernsiae aut Jersiae Insulis, et oppido Bervicensi ad Twedam | sito, ab obedientia et subjectione,

1896

1896

quam hujus nationis Regimini, quale jam esse declaratur, debet, eximendum, sed eandem ab iis omnibus et singulis in rebus quibuscumque perfecte praestandam, sicut ex jure debetur supremae autoritati, quae hisce declaratur futura penes eos solos, qui hujus nationis et populi vice jam funguntur et imposterum fungentur. Die Sabbathi 17 Martii 1649.

"Decretum a Communibus in Parlamento congregatis ut hoc actum confestim excudatur et publicetur.

Hen. Scobellus, Parlamenti Clericus."

(387) Ita haec magna regiminis Anglicani mutatio ab hoc rebellium Parlamento decreta fuit, ut in Ibernia Ormonius, Prorex, et Commissarii Catholici audita nefanda Caroli primi Regis caede, filium ejus primogenitum, antehac Walliae Principem, paternorum regnorum successorem, adeoque Regem declaraverint. Extat illa declaratio apud Rupem Suiensem, Ormonii Augustale, 26 Feb. 1649, triduo post Nuncii e Regno discessum, edita. Novus autem Rex tunc in Hollandia commorabatur, qui mox ut pacem in Ibernia publicatam fuisse audiit, Robertum, Principem Palatinum, amitinum suum Thalassiarcham inde ad ineuntem Februarium cum aliquot magnis classis regiae navibus in Iberiam destinavit, ipseque indies ita secuturus credebatur, ut per aliquot deinde menses in dies pene singulos expectaretur, ac demum 24 Junii aliquot ejus famuli cum regia supellectile | Galviam appulerint. Verum Scoti interea cum Rege per oratores in Hollandiam ad eum allegatos de ipso certis conditionibus in Scotiam admittendo, ac adversus regicidas Anglicanos pro viribus adjuvando agebant, ut ille per Flandriam in Franciam ad matrem desolatam redierit, ubi ad S. Germani Regiam, qua mater cum sua aula Anglicana degeret, circa Idus Julios pervenit, occasionem expectans qua vel pactiones cum Scottis in Hollandia inchoatas absolveret, vel aliter Angliae rebelles adoriretur. Quid autem circa Scotiam demum decreverit inferius videbimus.

(388) Interea in Ibernia Ormonius auditio Principem Robertum, vel (nam his duobus modis nomen alternatim scribi video) Rupertum, cum praefatis regiis navibus Kinsaliam, maritimum Momoniae oppidum portu opportuno nobilitatum, appulisse, eum mox visitavit. Ille autem in Momoniae civitatibus pedem fixit, et portus in ea Provincia optimos in tutissimas navium regiarum stationes ac receptacula elegit. Unde in naves Parlamentarias subinde insiliebat.

(389) Ormonius deinde et Commissarii Catholici ei a suis Ormonistarum Comitiis in Assessores assignati nullum non moverunt lapidem ut paci 17 Januarii promulgatae totum Regnum se submitteret, et subsidia viresque suppeditaret, quibus bellum in Parlamentum Anglicanum prosequerentur. In quem finem Iberniae Catholici, alii volentes, alii nolentes, Ormonio morem gerebant vel connivebant, excepto exercitu Ultonensi, de quo sermo redibit. Haereticorum etiam Anglorum Scotorumque, qui in multis Iberniae praesidiis dominabantur, pars longe maxima pacem illam admisit, | nempe Insequinnii vires praesidiaque apud Momoniam collocata, et Scotti in Ultonia eorumque in ea Provincia copiae et propugnacula, quibus utique omnibus haereticis pax illa in Catholicorum et religionis Catholicae praejudicium fuit utilissima. Obsistebat autem Dublinia atque alia vicinia Lageniae oppida, nonnullaque Ultoniae praesidia, omnia in utraque Provincia sub Jonio, Muncko, Cooto, Parlamenti Anglicani nutum sequentia, quae a regiis partibus expugnanda erant ut Regno intus semel pacato Parlamentariis deinde in Anglia negotium facesserent. Sed partes Regiae, haud bene sibi cohaerebant. Nam inter haereticos a Rege ibi stantes pars longe potissima vel ad Parlamentum deficiendi occasionem anhelabant, vel Regis et Parlamenti dominatum susque deque habebant, dum ne ipsi proprio commodo, quod utrobique malis artibus venabantur, frustrarentur.

1897
v

(390) Quod ad Catholicos Ormonio morem gerentes spectat, haud pauci eorum pacem illam non nisi reluctantibus admirerant, proindeque credendum est, eosdem percipiisse, ut aliqua rerum mutatione religioni, patriae, et propriis fortunis melius consuleretur. Clerus etiam ex parte longe potissima a pace illa tanquam in Ecclesiae et Reipublicae Catholicae ruinam ab Ormonistis et haereticis intrusa abhorrebat, praesertim postquam Ormonius multa gessisset, quibus paulatim ad collandum iterum in throno haeresim via aperiretur. Ille tamen his obicibus occursum paulo post promulgatam pacem civitates et oppida Catholica obivit, a quibus non solum honorificentissime exceptus est, sed etiam magnam pecuniae vim recepit. Cumque juxta pacis articulos | Catholicis exercitus ex quindecim peditum millibus et equitum millibus binis praeter quingentos conflandus esset, eos in hunc finem pene citra finem publicis vectigalibus oneravit, quae omnes summae ad secundandam Nuncii mentem anno superiori vel hoc ipso suffecissent. Quare justo

1898

Dei judicio successit ut civitates et oppida, atque alii Ormonistae suam inopiam sub Nuncio causati, sed sub Ormonio in contribuendo belli nervo profusi, et in aliis pecunia similiter emungendis strenui, Parlamentariis (sicut videbimus) succubuerint. Porro Patricius Lynchaeus, Praepositus seu Wardianus D. Nicolai Galviensis 21 Aprilis 1649 Galvia ad Nuncium in continentem scribens : " Huc (inquit) nuper appulit Ormonius, exceptus, tractatus, et dimissus cum magna pompa tanquam Prorex. In suo discessu nostrum Praetorem reluctantem et invitum nominavit Equitem auratum. Gabellas intolerabiles imposuit, omnes cum juramento solvendas. Pseudo-Wardiano 40 libras Anglicanas (ut dicitur ex decimis) assignavit annuatim. Idem fecit aliis Ministellis in aliis locis. Dum hic esset, habita est Congregatio Ecclesiastica, praesentibus Praelatis Cluanfertensi, Aladensi, Duacensi, Finiborensi, ubi urgebamus omnes Cleri et Religiosi ad subscribendum paci praetensae initiae cum Ormonio. Renuerunt omnes nostri collegae cum Cluanfertensi, excepto uno Archidiacono Tuamensi. Renuerunt etiam plerique Religiosi, exceptis tribus Augustinianis, inter quos unus erat P. Prior, de quo omnes mirabamus. Exceptis etiam quibusdam Franciscanis, qui ex industria eo ducti sunt ad augendum numerum, et quorum plerosque nunquam vidimus in | Congregatione Ecclesiastica praeter novum Guardianum, P. Gasparem Fant, P. Valentimum Broun, quem (ut percipimus) paenitet suae factae paenitentiae, et P. Georgium Dillon." Haec ille.

1898

v.

(391) Varias invenio initas fuisse vias, quibus Clerus, qui Nuncio adhaeserat, nec Ormonistarum comitiis inter pacem concludendam interfuerat, eo adduceretur ut eandem, Nuncio jam Regnum egresso, ratam haberent, ne Eugenius O Nellus atque ejus exercitus horum ope atque authoritate Catholicos, saltem plerosque, in suam sententiam allectaret. Ex Clero autem jam dicto alii in eam pacem jam intrusam, quasi intercedere non possent, demum jurarunt, alii eam permiserunt sed subscribere noluerunt, alii nec subscripterunt nec morem gesserunt. Quorum omnium varie sentientium cum prolixum foret hic texere nomenclaturam, repetam tantum duodecim Praelatos, nempe Tuamensem, Ossoriensem, Midensem, Aladensem, Limericensem, Finiborensem, Ardaghadensem, Dromoreensem (qui octo fulminatis anno superiore censuris a Nuncio defecerant), Fernensem (qui tantum mense Novembri ex Urbe redux Ormonistis adhaeserat), Cassiliensem, Water-

fordinensem (qui duo in censoriarum controversia Nuncio nomen gesserant, sed demum ad Ormonistarum comitia perreixerant), et Duacensem, qui pridie quam pax promulgaretur, ex Hispania Kilkenniam appulerat, illi paci ita subscrisisse, ut eorum alii magis, alii minus (sicut alibi diximus) in ea intrudenda operam collocarint. Porro praeter hos in Regno tunc erant 1°, Regni Primas et quinque ex ejus suffraganeis, nempe Kilmorensis, Rapotensis, Clogherensis, Cluanmacnosensis et Dunensis. 2°. Archiepiscopus Dubliniensis et ex ejus suffraganeis Laghleniensis. 3°. Ex Tuamensis | suffraganeis duo, nempe Elphinensis et Cluanfertensis. 4°. Ex Cassiliensis suffraganeis quinque, nempe Laonensis, Ardfertensis, Rossensis, Immolacensis, et Corcagiensis. Qui duo Archiepiscopi et tredecim Episcopi nec paci in Comitiis concludendae interfuerant, nec eam postea admiserunt, nisi eo modo, quo viatores praedonibus bursam permittunt, ubi se defendere nequeunt. Id verum est horum alias pacem tunc publicatam patienter tolerasse, sed subscribere noluisse, et alias, praesertim Praelatos Ultonienses pro sua virili cum Eugenio O Nello ejusque exercitu eam repudiasse usque ad ambarum partium Catholicarum concordiam, de qua inferius agendum erit.

(392) Ad Praelatos Regulares transeo. Quorum qui numerosiores Religiosorum greges moderarentur, fuere PP. Gregorius O Ferallus Dominicanorum, Thomas Mackiernanus Franciscanorum strictioris Observantiae, et Donatus O Driscollus Augustinianorum, tres Provinciales. In quos ab Ormonistarum Comitiis Generalibus 12 Januarii 1649 edictum exitit, quo dictorum trium Ordinum Religiosis interdictum fuit accessu ad congressus vel capitula a praefatis tribus indicta vel indicenda, donec iidem Provinciales semper a Nuncio atque ejus partibus stantes in novi hujus regiminis leges jurarent, unaque statutum ut iidem tres ante vel in 10^m Februarii 1649 Comitiis, vel iis quibus Comitia Rempublicam moderandam creditura essent, se sisterent, juramentum jam dictum suscepturi, et magistratum civilem a Comitiis illis cooptandum de ipsorum obsequio securum reddituri, alias non solum declarandi, sed re ipsa eodem Edicto declarati exleges et proditores, et velut tales tractandi, jussis omnibus officialibus | civilibus et militaribus ut, si ejusmodi capitula celebrarentur, eosdem Provinciales et alias quoscumque Religiosos interfuturos prehenderent, et illis, qui tunc Reipublicae praefuturi essent, eos exhiberent.

1899

1899

v

(393) Quem Dominicanorum et Augustinianorum Provinciales

morem huic edicto gesserint, me latet. Nullum tamen gessisse coniecto. Franciscanorum autem Provincialis, patria Ultoniensis, sub Eugenii O Nelli atque exercitus ejus alis securus id ridebat, et quia hic Ordo in Ibernia numerosus erat, maximaque apud Clerum et populum fide pollebat, Ormonius et Commissarii Catholici in id animum intendebant, ut ejus Religiosi in pacem jurarent, ne in Catholicis ab ea avocandis Eugenio militarent. Quare *Commissarii fiduciarii* (sic enim eos, qui, extincto Concilio Supremo ab Ormonistarum comitiis, ut Ormonio in moderando Republica assisterent, substituti erant, vocari video) ad P. Thomam Mackiernanum, praedictum Franciscanorum Provincialem, litteras huc spectantes dedere. Ad quas, ubi ille generose non respondisset, duo Episcopi, Fernensis et Duacensis, Limerico ad eum litteras dedere, quas ex autographo Anglicano Latine reddo:

"Admodum Reverende Pater.

(394) "Cum a Regno, ut cum duodecim Commissariis sederemus, et sententias diceremus, delecti fuerimus, aequum iudicavimus Reverentiae V. notum facere praefatos Commissarios nulla a te ad eorum litteras eo scriptas, ut paci morem geras, responsione recepta moleste ferre tuum silentium, et decretum habere, ut aliam tecum viam ineant. De tuis procedendi modis apud nos querelam gravissimam moverunt: 1º. Te, in rejicienda pace, Praefecto Generali, | Eugenio O Nello adhaerere. 2º. Ex tuo Ordine religioso multos toto Regno exercere mala officia, et populi corda a pace atque ab omni quiete seducere. 3º. Te in tuo *Capitulo intermedio* in eos Patres, qui cum magistratu circa inducias opinione consenserint, persecutionem concitasse, iisque inussisse infamiae notas et sententiam tulisse, ut in pane et aqua, silentio et flagellatione paenitentiam agerent. 4º. Collocatos esse in civitatibus et municipiis Guardianos, qui a Regni via et opinione recesserant, et inquieto spiritu ducuntur. Commissarii arbitrarunt hoc eo tendere ut via ad civilem discordiam muniatur, et apud se statuerunt non committere ut viri docti hunc in modum eo opprimantur quod potestati civili adhaerescant, et in pacem promulgatam nedum contractam propendeant. Denique in

1900

Ormonio.

majorem populi concordiam et tranquillitatem *Suae Excellentiae* nota facient discrimina, quae a viis exitialibus, quibus Reverentia vestra et multi ex illo Ordine progredimini, sibi metuunt. Quamobrem Reverentia vestra nisi mature se submiserit, pronunciabitur proditor in Regni pacem. Quinimo quae cogitaverant,

jam executioni mandassent, nisi nos ipsis spoondissemus futurum ut Paternitas vestra ad epistolam nostram ipsos Galviae conveniat saltem die Lunae vel Martis post Dominicam in Albis. Hoc negotium sacrosanctum magnique momenti est, quod, nisi prudenter tractetur, S. Francisci Ordini persecutionem parere et eum Monasteriis spoliare posset. Siquidem per articulos provisum est, ut illi, qui paci obtemperaverint, sua septa et monasteria assequantur. Ipse probe nosti belli pacisque | imperium haud esse plerumque penes ecclesiasticos, nec cuilibet privato Ordinis religiosi Praelato, sed nec Praelatorum hujus Regni primo ejus rei reddendam esse rationem. Cum ergo nec vera religio, nec Ibernia nisi unione et concordia conservari queat, et potissimae totius Regni partes pacem amplectantur, tua ejus rejectio haud alium finem consequetur, quam ut religioni juxta ac nationi plagam infligat. Quo omnia id genus mala evitentur, te ex animo rogamus ut ad hanc pacem quadres, eo magis quod per eam haud mediocriter consultum sit religioni. Sacer S. Francisci Ordo, qui nobis cordi est, hac ratione melius protegetur, et considerandum tibi est licet ipse semper animo a pace alieno insisteres, fore tamen ut multae ex tuo ipsis Ordine familiae a te deficiant. Hoc schisma temporis praecavendum est. Aequi bonique consule, quae te monent et salubriter suggerunt

Limerici,

19 Martii 1649.

Reverentiae vestrae indubitati amici,

Nicolaus Fernensis.

Fr. Hugo Duacensis."

(395) Haud scio quid, vel nunquid Provincialis ad has litteras responderit. Haud tamen respondisse crediderim. Res autem deinde secutae eum illis non acquievisse demonstrant. Nec sane responsione nisi asperrima digni erant Episcopi, qui non solum pacem iniquissimam suis calculis approbaverant, sed etiam ejus intrudendae authoribus suam operam et industriam accommodabant, Episcopalis dignitatis abutentes autoritate in Ecclesiae | praejudicium. Porro longe cautius in hoc negotio Franciscani Ormonio atque Ormonistis adhaerentes quam Provincialis et Religiosi sane sapientes rebus suis consuluerant. Nam (sicut ad annum superiorem tetigimus) semel atque iterum suos harum rerum procuratores adversarii Romam destinaverant, et ad Suam Sanctitatem, Cardinalem Protectorem, et supremos Ordinis moderatores in Provincialem atque in Religiosos ipsi

1900

v

1901

obsequentes queribundi scriptitaverant, et remedium postulaverant. Quo factum ut P. Petrus Marchant, ejusdem Ordinis in Germaniae, Belgii, Iberniae, Angliae, Scotiae, et Dacie Provinciis Commissarius Generalis, natione Belga, ad quem nedum alii sed etiam ipse Ormonius, Prorex haereticus, litteras in hunc finem dederat, P. Raimundum, vel (ut ab aliis scribi video) Redmundum Carronum, Franciscanum Ibernum, Ormonistarum studiosissimum, ex Franciscanorum Ibernorum Conventu Lovaniensi Commissarium Generale, qui has controversias diffiniret, in Ibernam destinarit.

(396) Ille in Ibernam ad finem Aprilis advectus se Ormonio et *Commissariis fiduciariis* praesentavit, quibus, ubi potestatem sibi factam aperuisset, et quae facultas ulterior ad exequendam plenius eorum mentem necessaria fore, declarasset, Commissarii ad ejus et aliorum turbulentissimorum fratrum ei adhaerentium votum ambulantes, atque ab iis (ut credere par est) instructi has ad Cardinalem Barberinum, Protectorem, litteras dedere :

“Eminentissime Princeps.

(397) “Nuper dedere litteras querulas 20 Septembri 1648 Concilium Confaederatorum Iberniae Supremum et alias itidem |

1901 v ultima Regni Generalia Comitia 17 Calend. Januar. ejusdem anni ad Vestram Eminentiam exponentes infanda molimina regularium quorundam Ordinis seraphici professorum, praesertim vero Ministri Provincialis, Patrum Definitorii, et plerorumque Superiorum localium in Reipublicae confaederatae perniciem et instituti alioqui sanctissimi non solum ingens opprobrium, sed pene interitum, enixe remedium flagitantes opportunum ab Eminentissima Dominatione vestra per Visitatorem quantocys designandum, qui Regni querelas coram audiret, seditiosos et rebelles ab officiis amoveret, piosque fideles ac bene meritos regendo Ordini in Ibernia praeferceret, quique (ut felicius omnia optatum sortirentur effectum ad Ordinis *Reformationem* et Regni tranquillitatem) facultate Apostolica potiretur pro dividenda Ibernia in duas pluresve Provincias regulares. Quoniam vero alias ejusdem tenoris epistolas tum ad Sanctissimum et Ministrum Generalem, tum etiam ad Reverendissimum P. Petrum Marchant, Commissarium Generale, dedere similiter, idemque Reverendissimus Commissarius postulatis Regni tam justis annuens delegavit ad nos R. admodum P. Redmundum Carronum, ejusdem Ordinis S. Theologiae in Academia Lovaniensi Lectorem Jubilatum,

cum plenitudine potestatis, ut votis Regni satisfaciat prout justitia suaserit et rei necessitas, appulitque modo et in praesentia nostra constitutus receptusque quo decuit honore et reverentia, missionis suae causam, litterasque Reverendissimi Commissarii Generalis exposuit pergratas, jamque nos, quibus juxta conventiones pacis autoritate | Regia et Excellentissimi Proregis Catholicorum rebus providendi incumbit cura, ex adventu ejus spem multam concepimus *reformandi* praefati instituti, et sedandae tempestatis inde cum ineffabili Iberniae periculo exortae; et quia nihilominus intelligimus vel jam agi, vel certe propediem in Romana Curia agendum falsis informationibus et calumniis eorum, qui seditionis et enormium criminum fugiunt punitionem, ut revocetur et supersedeat, aliusque subrogetur, qui reis patrocinium praestet, et factioni rebellium adversus Regnum faveat, propterea tempestive rogandam duximus Eminentissimam Dominationem vestram, et omni instantia orandam ut, si Ordinem Seraphicum denuo in Ibernia florere, imo si superesse velit, hujusmodi conatus evertat sua Dominatio Eminentissima (ut enim alium quempiam Visitatorem nullo modo hac vice admittere decretum est, quoniam in praejudicium status fieri mutationem foret omnino manifestum, ita si machinamentis perturbatorum impetraretur, necessum esset Ordinem penitus corruere) et autoritatem Commissarii Generalis delegatique ejus praefati tum suae Dominationis Eminentissimae litteris confirmare, tum Sanctissimi D. Bulla etiam pro divisione Provinciae quam primum ab ipso facienda, et anticipando Capitulo Provinciali independenter a consensu Ministri Provincialis et Definitorii, qui malorum omnium extiterunt authores, dignetur stabilire. Opportuna enim erit, imo necessaria pro tranquillitate Regni et Ordinis ipsius reformatione Capituli Provincialis citissima celebratio, quod juxta leges Ordinis indici nequit ante Septembrim anni sequentis 1650, nisi vel consensu Provincialis et Diffinitorii accidente, quem non | speramus, vel speciali facultate Apostolica, quam interventu Dominationis vestrae Eminentissimae praestolabimur.

1902

1902

v

Kilkenniae

6° Idus Maii 1649.

Edmundus Limericensis Episcopus. Fr. Patricius Ardachadensis Episcopus. Alexander Mac-
Donell. Nicolaus Plunkett. R. Everard. R.
Bellings. Trologh O Neill. Gerald Fenell."

(398) Dum haec ulterior facultas expectaretur, novus Commissarius multa caepit ad Ormonii et Commissariorum fiduciariorum mentem destruere et aedificare. Quorum magnam partem ex Philopatro Irenaeo ejus patrono atque amico in medium producam, ut constet quantis ille homo audax et temerarius confusionibus Provinciam implicuerit, quarum ipsum atque adhaerentes postea per actum publicum paenituisse videbis. Porro Ormonius tunc ad eum has litteras cum annexo catalogo dedit, ut illam Ordinis *reformationem*, de qua praefati Commissarii loquuntur, promoveret :

"Epistola Excellentissimi D. Proregis ad Reverendum P. Raymundum Caronum.

Philopater
Iren.
Vindiciar.
Lib. 2.
p. 158.

1903

(399) "Praemissis nostris cordialibus salutationibus. Invenimus quod (non obstantibus gratiosis et favorabilibus regiae Majestatis concessionibus factis Romanis Catholicis suis subditis in hoc Regno degentibus, pro libero exercitio suae religionis et particularibus beneficiis seu emolumentis ad eorum plurimum interesse, quae ex articulis pacis ad crescunt Regularibus ejusdem religionis) quidam turbulenti et seditiosi fratres (ad quorum abusus et excessus reformandos | intelligimus te pollere authoritate legitima et commissione Superiorum) non solum a principio ineundo faederi, et stabienda paci, et Regni tranquillitati sub authoritate regia sese violenter opposuerunt; sed et nunc post stabilitam pacem et conclusam utrinque amicitiam dicti fratres moliuntur incitare populum ad rebellionem, et fovent distractiones et scissuras in Regno. Quamobrem necessum nobis visum est (antequam eorum molimina altiora recipient incrementa, eoque deveniant, ut cogamur eos sic delinquentes tradere justitiae corrigendos seu puniendos) tibi significare, quod fratres in incluso indice nominati, fungentes nunc in vestro Ordine officiis, ad quae promovebantur in ultimo Capitulo Provinciali (cujus omnia acta ordinabantur et fiebant ad nutum quorundam male affectorum), adeo evidens testimonium suae perversae inclinationis in Regem et Regni tranquillitatem dederint, ut eo affectu et fidelitate, qua in Regem et Regni quietem afficeris, te obligatum esse scias omni cura et sollicitudine satagere, ut dicti fratres ab officiis amoveantur, et alii fidelioris genii et inclinationis in eorum locum substituantur, eritque nobis pergratum opus et tua sollicitudine dignum, cuius rationem nobis reddendam expectabimus;

quodque si neglexeris, nos aliis utemur mediis pro securitate
hujus Regni, cuius quies eorum machinationibus perturbatur.
Ex arce Kilkennensi 15 Maii 1649.

Vestri amantissimus amicus,
Ormonius."

(400) Quam praeclari fidei propagandae, haereseos extirpanda, et observantiae Regularis postliminio restituenda fructus et progressus expectandi erant ab hac Provinciae reformatione nedum ad Ormonistarum, sed etiam ad Ormonii Proregis haeretici, et optimis quibusque ac zelantissimis Provinciae Patribus | infensissimi praescriptum facienda eo ut ille genuinos S. Francisci filios atque imitatores, quorum Apostolicum zelum et in sustinenda ipsorum humeris Ecclesia Ibernica constantiam jam compertam habuerat, exauthorandos deprimendosque curaret, substitutis in eorum locum fratibus sibi suaequae factioni addictissimis, et caetera de regulae observantia fideque propaganda parum sollicitis, quorum alii ad annum superiorem aperte apostatae in legitimos sui Ordinis paelatos et Nuncium, ut suis Ormonistis et haereticis obsequerentur, insurrexerant, alii tunc minus audaces, sed nunc sub novi Commissarii vexillis se ipsis facti confidentiores frontem perfricuerunt. Porro ex praefata Ormonii epistola colligere est hos immorigeros fratres ipsi sua ambitious dogmata, quibus in hos perniciosos fines procedendum esset, suggestisse, et Ormonio mutuam operam praestitissem, ut suis per ipsum privatis commodis in Ecclesiae ac regularis observantiae perniciem inhiarent. *Quis audivit talia horribilia?* Caeterum inclusum Ormonii epistola indicem et fratres illo nominatos, quos ille (ut vidisti) amovendos monuit, hic ex eodem Philopatro, Ormonii atque Ormonistarum studiosissimo, habe in aeternum eorum encomium.

1903
v

(401) " Catalogus quorundam Seditiosorum Fratrum
Ordinis S. Francisci. qui avertere nituntur subditos
a fidelitate in Regem, et pacem, ac tranquillitatem
Regni perturbant.

Fr. Thomas Mackiernan, Provincialis.

Fr. Bernardus Connius, ExProvincialis.

Fr. Joannes Mologhan, Diffinitior Momoniae.

Fr. Franciscus Ferallus, Diffinitior Lageniae.

Philop.
lib. 2.
p. 160.

- Fr. Bonaventura Quinnaeus, Diffinitor Ultoniae.
 Fr. Petrus Tiernanus, Diffinitor Conacae. |
 1904 Fr. Antonius Dogherty, Custos.
 Fr. Patricius Brenanus, Praeses Kilkenniensis.
 Fr. Philippus Relly de eodem Conventu.
 Fr. Jacobus Synotus, Guardianus Wexfordiensis.
 Fr. Bonaventura Molaghin, Guardianus de Inisgorfy.
 Fr. Franciscus Fox, Praeses Rossiponti.
 Fr. Antonius Dalaghan, Guardianus Kildariensis.
 Fr. Florentius Patricius, Guardianus de Neanagh.
 Fr. Edmundus Bray, Guardianus Yeoghellenensis.
 Fr. Edmundus Bray alter, Guardianus Clonmelliensis.
 Fr. Matthaeus Sharpe, Guardianus Limericensis.
 Fr. Dominicus Dempsey in eodem.
 Fr. Jacobus Tirell, Guardianus de Longford.
 Fr. Petrus Gennor, Guardianus de Clainc.
 Fr. Antonius Purcell, Waterfordiae.
 Fr. Hugo Molloy, Guardianus de Wicklow.
 Fr. Paulus Molloy, Guardianus de Stradbally.
 Fr. Petrus Molloy, Guardianus *de Killihye.*" Hactenus
 Proregis Catalogus.

(402) Eidem Proregi a secretis, Georgius Lane, ipseque haereticus, ex Proregis mandato ad eundem Carrorum scriptis epistolam cum annexis accusationum capitibus, quae acta pariter ex Philopatro in medium produco in aeternam Patrum persecutionem passorum laudem et adversariorum opprobrium.

"Epistola Secretarii D. Proregis ad R. P. Raymundum Caronum."

"R^{de} admodum Pater.

- Philop. lib. 2. p. 161. (403) "Inveniet sua Paternitas in epistolis Excellentissimi D. Proregis catalogum quarundam personarum, quas concipit refractarias esse, mihiique mandat mittere ex variis aliquot querelas, quibus accusantur, et Paternitati vestrae commendare, ut viis illorum et actionibus attendat, et insuper Paternitatem vestram rogare, ut dignetur modis uti explorandi alios, qui cum istis eandem ineunt viam in praejudicium Regis et servitii communis tendentis in Regni hujus pene | irrecuperabilis compositionem et pacem. Opus hoc ita pium et religiosum est, ut

de industria vestra confidamus illud promovendum, manentes
 Ex Castro Kilkenniensis,
 22 Maii 1649.

H umilis servus
 Georgius Lane."

"Summa accusationum in quosdam privatos fratres.

(404) " 1°. Primi septem inscripti catalogo Excellentissimi D. Proregis, erant principales authores et inventores omnium malorum et seditionum vestro Ordini, eo quod in omnibus Conventibus praeposuerint Superiores suae factionis in hunc finem. Praeterea quod illi essent soli, qui nuper post pacem publicatam, contra mandata Comitiorum Generalium Regni, atque ut impedirent pacis progressum, congregationem suam intermedium celebrarunt in Comitatu de Cavan, ubi omnes illos Superiores deposuerunt, qui Regni Gubernio favebant, et alios ipsorum loco malignae inclinationis substituerunt.

(405) " Quoad vero nomina illorum septem particularia, P. Provincialis sufficienter descriptus in articulis accusationum. P. Bernardus Connius, exProvincialis, fundamentum jecit omnium malorum in suis visitationibus. Subscriptis Galviae cruentae (ut vocant) declarationi. Sermones habuit seditiosissimos ibidem, quibus scandalose in Concilium invehebatur, illorumque adhaerentes. Limerici agebat de alienatione coronaee a Rege. P. Franciscus Ferallus de Comitatu de Longford extreme egit contra Regni Gubernium. P. Bonaventura Quinnaeus in Comitatu Wexfordensi excitavit Kevanachenses, aliasque, quos pueros otiosos vocant, in rebellionem, donec tandem per statum illis praedonibus debellatis in Septentrionem fugerit. Roma scripsit instrumentum laesae Majestatis, ut ex illius epistola patet intercepta, et Londini per Parlamentum Angliae impressa : ubi petit Coronam Regiam alienari et septentrionalibus Iberniae incolis asservandam. Caeteri tres, scilicet Mologhan, Tiernan, et Dogherty, praeterquam quod juramentum fidelitatis seu *allegiantiae* violaverint, celebrando suum capitulum in Comitatu de Cavan contra Comitiorum Regni decretum, quo illa Congregatione ob varia motiva, et sub vi et virtute *allegiantiae* seu fidelitatis inhibebant ; insuper etiam publice et privatim laborabant ut populum a fidelitate Regis et Concilii retraherent, sub praetextu cohaerendi D. Nuncio, in re tamen uniendi se D. Eugenio O Neillo, quod et

maxime intendebant. In quem finem desudabant nationalem distinctionem populo persuadere.

(406) " 2°. Praeterea P. Patricius Brenan publice asseruit pacem potius ineundam esse cum Parlamento Angliae quam cum Rege, atque in omnibus suis actionibus et conatibus violenter se paci opposuit, et pro D. Eugenii O Nelli parte concionem habuit Galviae contra Supremum Concilium.

(407) " 3°. Fr. Relly ex oppido Kilkennensi fugit ad partes D. Eugenii O Nelli, indeque correspondentiam tenuit cum D. Decano Firmano Kilkenniae tunc residente, ubi cum dolore expressit quod D. Eugenius non habuerit illum successum contra Concilium Regni, dum prope Kilkenniam esset, quem expectabat, et in compendio ubicunque Frater hic transiverit, nihil nisi seditionem causabat.

(408) " 4°. P. Jacobus Sinnott declaravit se violentissime pro parte statui Regni adversa, excitando varios in Comitatu Wexfordensi contra statum; Supremum Concilium condemnando; et conciones seditiosas divulgando, qui et nuper factus propterea Guardianus Wexfordiae in capitulo intermedio, sub pracepto obedientiae mandavit omnibus subditis, ne verbum loquantur ex parte Regis vel Regiorum, quos factionistas vocabat Ormonii. | Deinde cuidam ex Patribus interdixit facultatem praedicandi, eo quod aliqua dixerit in favorem pacis initiae et obedientiae suae Majestati debitae, et quod contra rebelles, quos otiosos vocant pueros, invehernetur.

1905
v

(409) " 5°. P. Mlaghlin fuit et est praecipuus dux ominum seditiosorum fratrum in inferiori Lagenia. Ex illo recipiunt licentiam, et autoritatem, et libertatem omnium suorum contra fidelitatem Regni conatum. Qui Pater proinde, et in illum finem in partibus illis constitutus est per Provinciale Commissarius, cuius et seditiosi conatus, et in illum finem violentiae ita in Comitatu Wexfordensi innotescunt, ut probationibus nihil hac in parte deesse possit.

(410) " 6°. Pater Fox ejusdem genii est, qui et inter caetera divulgavit nuper falsam et turpem imposturam Supremo Concilio injuriosam, quod scilicet sibi obtulisset centum libras *Anglicas*, si libello, qui dicitur *Quaeres*, subscrisisset, quodque subornaverint eos pecuniis, qui dicto libello subscriperunt, cuilibet decem libras consignando.

(411) " 7°. Pater Dalaghan praecipuus erat Consiliarius Capitanei Gavni, ut detineret castrum de Athlon, contra status Regni mandata.

(412) "8°. De caeteris in catalogo Excellentissimi Proregis notatis notorium est illos pro tota sua potentia verbo et facto opposuisse se Regni Gubernio, suadendo ubique adhaerendum esse D. Nuncio contra Concilium.

(413) "9°. Pater Jacobus Tirellus mandavit per obedientiam Religiosis suis, ut non tantum ad portam sui Conventus, sed etiam deforis in civitate censuras D. Nuncii contra Concilium et adhaerentes affigerent. Praeterea citatus fuit per Concilium virtute fidelitatis seu *allegiantiae* praestitae, ut Kilkenniae compareret, nec voluit obedire. Deinde postquam ob gravia et capitalia crimina | deprehensus fuerat, ex mandato Comitorum Generalium Regni per *Balivum*, facto prius sanctae religionis juramento, quod Kilkenniae appareret juxta mandata Comitiorum, hoc non obstante juramentum violavit, et ad septentrionem Longfordiae fugit, et mox contra aliud Comitiorum decretum Congregationi intermediae nuper in Comitatu de Cavan celebratae interfuit.

1906

(414) "Horum omnium et singulorum articulorum probations inveniet ipse P. Commissarius in suo exercitu, et varia alia infidelitatis horum contra Regni Gubernium argumenta." Hactenus Proregis secretarius.

(415) Praeterea Commissarii fiduciarii ad eundem P. Carronum litteras dedere, quas pariter ex Philopatro habe ipsissimo pene Ormonii et secretarii spiritu dictatas.

"Reverende admodum Pater.

(416) "Non dubitamus quin ab illo tuo in Regnum ingressu exploratum habueris, quam violenti fuerint aliquorum vestri Ordinis conatus opponentium se Regni Gubernio, et populum in divisionem et rebellionem moventium, et gentem nostram in distractiones excitantium. Spem magnam concipimus ut, juxta obedientiam et mandata Superiorum tibi injuncta, nos curae tuae et prudentiae experiamur effectus, quibus vias illas capias suppressendi tales, qui in Ordine Seraphico S. Francisci incendiarii reperiuntur. Quod ut perficere possis, inclusas tibi mittimus ex variis aliquot querelas nostras et contra Provincialem et alios Ordinis quosdam, quos per te expectamus removeri ab officiis et facultate removendi Regnum ab ulterioribus molestiis, quibus ultra expressionis modum fideles suae Majestatis subditi depauperantur, et | quibus (praeter speciale Seraphici Ordinis damnum) tota religio Catholica pericitatur. Et sicut in te confidimus, ut juxta obedientiam et mandata Reverendissimi Commissarii Generalis fideliter ex-

Philop.
lib. 2.
p. 166.

1906
v

equaris ea, quae curae vestrae ac missione sunt commissa;
ita e contra si te supinum vel partiale in hac causa invenerimus,
Superiores tuos non tantum de te advertemus, sed et insuper
(ne seditiosarum talium personarum viis Regnum periclitetur)
ad regiam autoritatem jam inter nos stabilitam recurremus,
aestimantes nullum actum esse scandali dati occasionem, quo
suae Majestatis interesse, et nationis nostrae securitas con-
servetur vel promoveatur. His tibi omnia felicia optamus
manentes

Kilkenniae

18 Maii 1649.

Vestri ad obsequium amantissimi:

Edmundus Limericensis. Fr. Patricius Ardagh-
densis. Everard. Ric. Belings. Alex. Mac-
Donell. Teren. O Neill. *Geffridus Brown.*
Geraldus Fenell."

(417) Non dubitandum est quin Ormonius et Commissarii
fiduciarii longe plura P. Carrono dixerint quam scripserint,
cum ille non alibi quam Kilkenniae, ubi illi praesentes dom-
inarentur, ad has controversias tractandas pro tribunali sederit.
Quo etiam accivit ex variis Regni tractibus fratres P. Pro-
vinciali adversantes, qui Ormonii et Commissariorum
fiduciariorum brachio suffulti eum in iisdem confusionibus
perpetrandis haud segniter adjuverunt. Porro eodem die 18
Maii 1649 Eugenius O Nellus ex suis castris ad Cavanum in
Ultonia sitis Nuncio in continentem scribens: " Multum (inquit)
persequuntur Provinciale Franciscanorum et fratres, qui
hactenus sequebantur partes Ecclesiae, et hoc auctoritate
Commissarii Generalis Belgarum, Marchant, qui, jussu Supremi
Concilii et inobedientium fratrum ejusdem Ordinis, misit unum
Commissarium suae farinae, ut mortificet et coercent omnes
adhaerentes parti Catholicae. Unde obnoxie vestram Illustrissi-
mam Dominationem obsecro, dignetur in curia efficere ut
cohibeantur tam suspecti conatus supradicti P. Commissarii." Sic
Eugenius. Verum hoc remedium sero nimis paratum fuisse
video. Acta autem quae inter Patrem Carronum et P.
Provinciale transierunt, haud melius te docere possum,
quam per hanc schedulam P. Carrono a P. Provinciale
scriptam:

(418) " Reverende Pater Raymunde Carrone accipe sequentia
puncta, quae serio consideranda vobis transmitto.

(419) " I. Te instanter rogavi ut tuam Commissionem

Zepher-
inus

1907

executioni mandare desisteres, donec convocarentur Patres Provinciae hujus et Diffinitores, quos authoritate mea et vestra convocare pollicitus sum, quatenus admitteretur tua Commissio, et liberareris a nota partialitatis, quam plurimi de te conceperunt. Rogavi ulterius ut in exequendo tuam commissionem (prout noster Reverendissimus P. Commissarius Generalis Marchant ad me scripsit) assumeres tibi assistentes seu assessores, qui de statu rerum et Provinciae | ulterius te informarent, et adjuvarent, et ut inter nos Religiosos procuraretur pax, concordia, et charitas, ego omnimodam meam assistantiam et favorem tibi promisi.

(420) " 2^m. Vestra Reverentia noluit expectare hanc convectionem et Congregationem Patrum Provinciae, volens agnoscere et acceptari ut absolutus Commissarius et Judex.

(421) " 3^m. Quapropter ego te legitimum Commissarium non agnovi, sed ut suspectum Judicem, qui nimis faveas ac patrocineris *Apostatis a nostra Religione, fugivitis et meis adversariis, quos in omnibus tuis processibus a consiliis et secretis habes.*

(422) " 4^m. Te insuper rejicio, ex eo quod fueris procuratus et vocatus a meis adversariis, et (ut apparet) corruptus eorum donariis et favoribus.

(423) " 5^m. Provisum est a jure, in casu recusationis Judicis, item dirimi debere per arbitros a partibus electos, qui in seculo et competenti loco possint examinare si exceptiones adversus Judicem propositae sint frivolae, an vero justae et bene fundatae. Vestra ad hoc responsa fuerunt excommunicatio in me fulminata, censurae, et comminationes.

(424) " 6^m. His non obstantibus ego declinare volens ulteriora scandala, quae hinc oriri possent, nunc aliquali libertate donatus et securitate, contentus sum partem exercitii officii mei ac Juris omittere, nempe desistere ab inchoata visitatione Provinciae, ea conditione, ut desistat vestra Reverentia a suo violento et destructivo modo procedendi usque ad tempus commonendi et convocandi Patres Provinciae, qui decident nostras | differentias; aut saltem processus difficultatum ac quaestionum inter nos ortarum deferatur ad aliquos indifferentes Patres hujus Provinciae, aut ad nostrum Reverendissimum P. Commissarium Marchant, cuius super hoc responsum expectabimus.

(425) " 7^m. Interim vivamus in pace et amore fraterno, et Provinciae regimen maneat penes vicarium eligendum a

1907

v

1908

Patribus Provinciae et Diffinitoribus, et si Patres Seraphici Ordinis sint tibi suspecti, elegantur aliqui Patres aliorum Ordinum, et si hi non sint ad tuum gustum, elegantur Archiepiscopi, qui nostras controversias componant, et ego me contentum offero.

(426) "8^m. Si nulli harum conditionum velis acquiescere, mihi imposterum licebit procedere adversus omnes et singulos tuis jussis obtemperantes, non secus ac *adversus adhaerentes fautori haereticorum, destructori immunitatis Ecclesiae Catholicae, et patrono Apostatarum*. Datum in loco Refugii nostri die 2 Junii 1649.

Fr. Thomas Mackiernan,
Minister Provincialis."

(427) Itaque (ut video) Carronus in Iberniam advexus Provincialem citavit. Ille Carronum velut adversae partis studiosissimum, et Ormonii atque Ormonistarum instrumentum in Judicem repudiavit, praesertim cum (sicut inferius demonstrabitur) sui mandati praescriptis insistere noluerit. Carronus salvum conductum variasque conditiones inferius necessario perstringendas, proindeque hic brevitatis causa omittendas obtulit, ut Kilkenniam accederet. Quibus legibus a Provinciale ob rationes in praefata schedula perstrictas jure merito recusatis, ille Provincialem Kalendis | Junii excommunicavit, v ubi Ormonius et ejus Commissarii fiduciarii dominarentur, et ubi Provincialis et Provinciae Diffinitores longeque maxima Provinciae pars ei obedientes atque adhaerentes, quibus perinde ac P. Provinciali Carronus bellum indicebat, nullam expectarent sibi concedendam agendi vel sententiae in sui favorem exequendae libertatem. Imo prudentissime timerent ne in carceres et a suis fratribus Carrono adhaerentibus, et ab Ormonio atque Ormonistis compingerentur. Carronus autem praefata P. Provincialis schedula, quae excommunicationis a Carrono pridie latae mentionem facit, proindeque Provincialem tunc haud longe Kilkennia abfuisse docet, recepta, quosdam sibi, suis et suae causae Ormonicae addictos consuluit, qui una tantum partium audita secundum illam relationem protulerunt suam opinionem, sicut hic ex eodem Philopatro legas.

(428) "Ad instantiam Reverendi admodum P. F. Raymundi Carroni, Provinciae Iberniae Fratrum Minorum strictae observantiae Commissarii, congregati sunt infrascripti Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi in publica audientia et loco, aliique diversorum Ordinum Praelati, quibus P. Commissarius proposuit

1908

v

Philop.
lib. 2.
p. 176.

(chartis utriusque partis ostensis) controversiam ortam inter ipsum et R. P. Thomam Mackiernan, in qua hic notati sic judicium tulerunt.

(429) " Visis Reverendi admodum P. Fr. Raymundi Carroni Provinciae Iberniae Fratrum Minorum strictae observantiae Commissarii *patentibus*, et Rdo. admodum P. Provinciali ostensis et legitime communicatis ; similiter visis responsionibus ad Reverendi P. Thome Mackiernan objectiones et effugia, judicavimus dictum R. P. | Commissarium plane satisfecisse, et omnes Patres et Fratres dictae Provinciae, qui postea notitiam certam illarum *patentum* acceperint, teneri sub peccato mortali et paena excommunicationis ipso facto illis obediens et dictum R. P. Commissarium pro legitimo suo Judice et Superiore cognoscere, eique inobedientes vel dictas *patentes* non suscipientes mortaliter peccare et ipso facto excommunicationem incurrire, et legitime posse et debere e Conventibus expelli et carceribus mancipari, *ubi statutum aliquod speciale ipsius Ordinis non excuset, vel aliud statuat.* Datum hac die 13 Junii 1649.

1909

David Episcopus Ossoriensis. Edmundus Episcopus Limericensis. Thomas, Episcopus Midensis. Fr. Patricius, Episcopus Ardachadensis. Fr. Patricius Donavan, Carmelitarum Excalceatorum Provincialis. Fr. Thomas Dillon, Carmelita Excalceatus, Diffinitor. Fr. Gregorius Laules, ejusdem Ordinis Diffinitor. Fr. Stephanus Browne, ejusdem Ordinis Diffinitor."

(430) " Eandem censuram adprobarunt Felix Connor, Prior Monasterii Dominicanorum Kilkenniensium, et duo Patres Capucini ibidem, nec non P. Josephus Langton Ordinis S. Dominici, S. Theologiae Magister, et P. Petrus Nagel ejusdem Ordinis S. Theologiae Bacalaureus.

(431) " Idem per omnia censem quod Illustrissimi et Reverendissimi Domini Episcopi in praedicta controversia, aliquie PP. diversorum Ordinum praedictorum, RR. PP. Societatis Jesu Kilkenniae, scilicet R. admodum Pater Robertus Nugent, P. Joannes Yong, P. Guillelmus S. Leger, Residentiae Superior. Quod attestamus hac 16 Junii 1649.

Thomas Midensis." |

(432) Verum quod hic habetur, nempe P. Felicem Connor et duos Patres Capucinos eam censuram approbasse, a viro v

1909

Religioso fide digno lego in Philopatri excusi margine verbis manu scriptis notatum hoc stigmate: " *Impostura; quia noluerunt eam approbare.*"

(433) His in fundamentum pessimum jactis Carronus et Franciscani ipsi adhaerentes, spretis P. Provincialis et Difinitorum exceptionibus, 8 Julii 1649 pro tribunali sedendum et in audacia progrediendum duxerunt. Ad quos Proregis haeretici nomine quidam suaे partis Praelati et laici querelas detulerunt, quas, et violentum procedendi modum hic vel ex Philopatro habe.

" *Acta Supremi Senatus Regni Iberniae in Congregatione Fratrum Minorum strictae observantiae celebrata Kilkenniae 8 die Julii anni 1649.*

(434) " In primis Illustrissimus et Reverendissimus Ardagh-adensis Episcopus mittitur 9° Julii ex parte supremi Senatus Regni ad Reverendum admodum P. Commissarium instando tempus et horam audiencie illis assignari, qua exprimere possint in publica Patrum Congregatione Regni gravamina, et quid contra aliquos Provinciae Patres habeant allegare. Eadem etiam die Illustrissimus Comes de *Castel-haven*, supremus Equitum Generalis, instabat se ex parte Excellentissimi D. Proregis in hunc finem ad Patres in Congregatione demandatum, horamque petiit sibi assignari. R.P. Commissarius eorum postulationibus annuens determinavit supremo Senatui horam tertiam pomeridianam | dictae diei 9 Julii, et Illustrissimo D. Generali horam 5am ejusdem.

(435) " Hora ergo tertia comparuerunt ex parte et corpore supremi Senatus, Illustrissimi et Reverendissimi DD. Episcopi Limericensis et Ardachadensis, perillustres et amplissimi DD. Nicolaus Plunkettus, Eques auratus, et Zepherinus Broun, armiger. Qui quatuor in plena Patrum Congregatione, Praeside R.P. Commissario assidebant, exponentes per vices varia gravamina et querelas, pro quibus festinam reparationem et remedia ad Regni securitatem urgebant.

(436) " Primo amplissimus D. Nicolaus Plunkettus, tanquam Prolocutor, sermonem habuit, quo exposuit varias rebelliones et seditiones aliquorum Patrum, quibus regimen totius Regni deturbabant, publicos Regni adversarios (qui alias jam se submisissent) fovebant et animabant; ita ut praecipui essent authores omnium Regni malorum, distractionum, et misericarum.

Philop.
lib. 2.
p. 168.

Portu-
Castel-
lanus.

1910

Deinde protestabatur affectum status in Ordinem Seraphicum et in illos specialiter, qui statui et Regimini supremo se accomodabant, rogando ut illi foverentur, et alii mox punirentur, qui libello accusationis ante porrecto sunt ascripti. Postea protestabatur beneficium pacis non esse extendendum nisi ad Patres et Conventus, qui supremo Senatui se accommodarent; alios vero Conventus, nisi se emendant, esse confiscandos.

(437) " Deinde sermonem habuit Illustrissimus et Reverendissimus Episcopus Limericensis, quo praedicta omnia confirmavit, et insuper addidit, supremo Regni statui satis jam innotuisse R.P. Provincialis molimina, et nuper per Momoniam actiones, in quibus tamen ad tempus dissimulabant, expectantes hujus Congregationis resolutionem et Provincialis submissionem. Et quantum ad se ipsum protestatus est, neque se, neque alios Regni Commissarios sibi persuadere posse, P. Provinciale, vel alium unquam velle se sincere statui Regni accommodare, qui legitimis suis Superioribus inobedientes vivunt ac perseverant; adeoque suam opinionem esse, ut tales omnes inobedientes collo adducerentur, ut se submitterent. Et hinc ex R.P. Commissario justitiam petiit, protestando, si quis ei per suam diaecesim resisteret, quod vellet illum ad obedientiam cogere, aliosque omnes Episcopos ad simile teneri. Deinde instabat ut omnium inobedientium nomina *Statui* presentarentur, promittendo *Statum* se paratum reddere ut, ubicumque in Regno laterent, illos apprehenderent, et submitterent, neque hujusmodi inobedientium apprehensionem ulli immunitati Ecclesiae contravenire.

1910
v

(438) " Postea sermonem habuit Illustrissimus et Reverendissimus Ardachadensis, quo primo exposuit, licet cum dolore, se veram egisse Cassandram, esto non prophetam, praedicendo scilicet antea scandala et tumultus, quae hic Kilkenniae evenerunt, et convertens se ad P. Patricium Brenanum protestatus est se illi antea praedixisse illa scandala, quae ex illius inobedientia et renitentia facta sunt Superiori, et statui evenerunt. Cujus rebellionis suae causa ita reddidit se spectaculum Regno et civitati ut cum confusione sua in Castro Kilkennensi propter tumultus publicos includeretur. Deinde in discursu protestabatur ulteriora adhuc scandala secutura, eaque de facto Provinciae et Conventibus imminere, nisi Provincialis cum suis adhaerentibus submittant, et *Statui* se accommodent.

(439) " Deinde sermonem habuit amplissimus D. Zepherinus

1911 Browne de exceptionibus P. Provincialis. Contra primo protestabatur exceptiones illas esse tantum | dilatorias et frivolas, impedientes bonum commune et pacem Regni, fidelitatem Regi debitam, et *reformationem Ordinis* tempestive assecurari et stabiliri; adeoque illas non esse admittendas sine Regni, Regis, et Ordinis periculo aut forte ruina, nec arbitros quos Provincialis semper appellavit, esse expectandos, maxime in causa hominis, qui rebellibus seu nullam habentibus bellandi potestatem adhaesit, scilicet D. Eugenio O Nello.

(440) " Tandem R.P. Commissarius sermonem inchoavit, quo Regno et *statui* gratias ex parte Ordinis habuit pro illorum in Ordinem Seraphicum benevolentia et affectu, declarans non esse culpam Ordinis vel Praelatorum Generalium, sed aliquorum particularium incautelam, quod status Regni sic offenderetur vel periclitaretur; seque velle juxta Praelati Generalis mandata et Commissiones Regno et *Statui* satisfacere, aut ubi haec non posset, brachio illorum relinquere, quos regularis obedientia corrigere non posset. Gratias egerunt et manutenentiam Ordinis obtulerunt, ea conditione ut Pater Commissarius facto promissum expleret.

Portu-
Castel-
lanus.

1911 v

(441) " Deinde hora 5a ejusdem diei sedente semper Congregatione comparuit Illustrissimus *Dominus Castel-haven*, Supremus equitum Generalis, ibique sermonem inchoavit de tenero suo affectu in Ordinem Seraphicum ab infantia. Deinde exposuit se missum ab *Excellentissimo D. Prorege* in illum finem, ut quandoquidem ex hac jam sedente Congregatione speretur diffinitiva satisfactio, et Regni securitas, nulla interponeretur hac in parte dilatio, nec statum patriae dilationem hanc velle permittere. Unde instabat pro finali resolutione hujus cause, rogando personas accusatas amoveri ab officiis et locis suspectis, aut si obedire nollent, brachio saeculari tradi. | Deinde petit authores tumultus Kilkenniensis degradari et paenis committi temporalibus. Deinde *ex parte Excellentissimi D. Proregis* libellum supplicem P. Commissario porrexit sequentis tenoris:

(442) " 1. Peto justitiam contra illos omnes incendiarios utriusque catalogo R. Patri Commissario misso adscriptos; atque ut remedia postulata ab Illustrissimis Dominis Commissariis contra illos statim executioni demandentur.

(443) " 2. Ut authores nuperae seditionis in hac civitate Kilkennensi motae statim puniantur juxta leges Romanae Ecclesiae et statuta Ordinis, fiatque decretum contra futuros omnes seditiosos.

(444) " 3. Cum innotescat per viros qualificatos etiam ex Ordine S. Francisci, jam semina flamarum et sanguinis effusionum seminata esse, atque (ut supponitur) per Superiores rebelles et inferiores in diversis Regni partibus; congruum duxi favorem R.P. Commissarii implorare, ut juxta suam *allegiantiam*, et in quantum est verus Regis subditus, statim removeat omnes Superiores suspectos, et fratres catalogo illi porrecto inscriptos, eorumque loco viros integritatis et fidelitatis ponat, praecipue in locis maritimis et civitatibus, aliisque locis consequentiae.

(445) " 4. Ut statim restituantur illi Superiores suis dignitatibus et officiis, qui in ultimo Capitulo celebrato in quarteriis inimicorum, et a viris laesae Majestatis reis deponebantur ob fidelitatem in Regiam Majestatem.

(446) " 5. Ut omnes Religiosi jam Kilkenniae praesentes assumant juramentum fidelitatis seu *allegiantiae* juxta articulos pacis.

(447) " 6. Ut omnes fratres, sive Superiores, sive inferiores, per totum Regnum cogantur idem juramentum assumere.

(448) " 7. Ut omnes fratres residentes in exercitu Domini Eugenii O Neill amoveantur inde, et qui inobedientes fuerint, declarentur ex nunc pro tunc tradidores, et omnis officii Ordinis incapaces. |

(449) " 8. Ut omnes fratres, qui verbo vel facto approbaverint actiones rebelles D. Eugenii O Neill, declarentur tradidores et omnis officii Ordinis incapaces. 1912

(450) " 9. Ut omnes jam residentes in quarteriis Regiis, aut qui fidelitatis juramentum assumpserint, declarentur tradidores, si imposterum accesserint quarteriis Eugenii O Neilli, aut ad aliquem istius partis scripserint, aut litteras inde receperint absque Proregis licentia, aut autoritate a Prorege derivata.

(451) " 10. Ut omnes Religiosi teneantur illos notificare, qui imposterum ullo modo approbaverint, corresponderint, aut adhaeserint suaे Majestatis inimicis declaratis.

(452) " 11. Ut aliquot Consiliarii Religiosi elegantur, qui curen̄t satisfieri injuriis Regi illatis, et Ordinem assecurari.

(453) " 12. Ut authores novarum seditionum puniantur eodem gradu, quo ordo seditionem punit.

(454) " 13. Ut si R.P. Commissarius haec perfecerit, et Ordinem suaे Majestati fidelem assecuraverit, ego ex parte suaे Excellentiae atque illius nomine suscipio Ordinem esse protegendum et manutenendum juxta omnia Ordini juste

debita, praerogativas, et privilegia, et quod omnes refractarii vel inobedientes fratres ad obedientiam debitam Superiorum cogentur.

Castel-haven Audlil."

(455) Postridie ab Ormonica illa fratum Congregatione, ad jacienda prima tantopere ab Ormonio desideratae *Reformationis* fundamenta, lata fuit seditiosissima et scandalosissima in optimos doctissimosque quosque Provinciae Religiosos, etiam Praelatos suos legitimos sententia, quam non erubuit Ormonii et Ormonistarum, atque adeo illius refractariae Congregationis apologista, Philopater Irenaeus, in lucem edere his verbis :

1912 (456) " Nos infrascripti, visis patentibus litteris Reverendissimi Patris Commissarii Generalis, Fr. Petri Marchant, quibus constituit R. admodum P. Raymundum Carronum, sacrae Theologiae lectorem, Commissarium hujus almae Provinciae Iberniae, Judicem in causis controversis, ac praescriptionum ejusdem Reverendissimi merum et verum executorem; lectis etiam exceptionibus, quibus tam Provincialis quam Diffinitorium ejus autoritatem declinare conantur, et mature consideratis responsionibus praefati R. admodum P. Commissarii ad ipsas et singulas earum, censemus et judicamus dictas exceptiones omnes et singulas esse frivolas, dilatorias, declinatorias, et nullas, adeoque omnes et singulos fratres hujus almae Provinciae Iberniae teneri sub mortali obedire eidem Commissario, repugnantesque juste ab eodem paenis et censuris in *patentibus* expressis, quae sunt excommunicatio ipso facto, privatio officiorum et actuum legitimorum, subjici. Similiter censemus praedicti R.P. Commissarii receptionem a Diffinitorio ut a corpore hujus Provinciae non dependere, nec ipsum Commissarium posse suam receptionem subjecere arbitrio aut debere. His addimus sententiam ab eodem R. admodum P. Commissario declaratoriam latam Kilkenniae contra Provinciale 1º Junii 1649 esse validam, ac ab omnibus observandam. In quorum omnium fidè manu propria subscrisimus in Congregatione Kilkennensi 10 Julii 1649.

Philop.
lib. 2.
p. 178.

(457) " Ulterius sentimus Assessores ipsi non esse assignandos, donec Provincia eum recipiat in Judicem et agnoscat. Similiter censemus fratres omnes cuiuscumque qualitatis aut dignitatis existant, illi inobedientes posse et debere e Conventibus expelli, vel carceribus mancipari, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, prout Reverendissimus P. Com-

missarius Generalis in suis privatis praescriptionibus clarius statuit. Quae omnia et singula censemus ita vera, ut nullis | statutis vel privilegiis aut consuetudinibus Ordinis aut Proviniae, aut sacris canonibus contrariantur, imo praxi Ordinis per omnia esse conformia. Datum Kilkenniae die et loco citatis.

1913

" Fr. Valentinus Brown, Provinc. Procurator.
 Fr. Richardus Synnot, S. Theologiae Lector, olim Diffinitor et Custos. Fr. Christophorus Plunkettus, Guardianus Dubliniensis. Fr. Jacobus Fitz-Simon, Guardianus Montifer. Fr. Joannes Barnewallus Th. Lector et Eremitiorii Slanensis Praeses. Fr. Antonius Gearnon, Guardianus Dundalkensis. Fr. Simon Wafer, S. Theologiae Lector, olim Guardianus. Fr. Georgius Dillon, olim Diffinitor. Fr. Antonius de Burgo, Guardianus et olim Diffinitor et Commissarius. Fr. Jacobus Madan, olim Diffinitor. Fr. Bonaventura Font, Guardianus Galviensis, olim Diffinitor. Fr. Thomas Babe, olim Guardianus, Sanctimonialium Confessor. Fr. Joannes Dormer, Guardianus de Disert. Fr. Bonaventura a S. Maria, Guardianus Kildariensis. Fr. Antonius Carronus, Guardianus Athloniensis. Fr. Antonius Geraldin, Guardianus Conventus novi. Fr. Patricius Plunkettus, olim Diffinitor. Fr. Antonius Sweetman, olim Guardianus, et Serenissimae suae Majestatis concionator. Fr. Joannes Esmond, aliquoties Guardianus. Fr. Patricius Dormer, praedicator et Confessor. Fr. Bonaventura Barnewal, olim Guardianus et Provinciae Secretarius. Fr. Joannes Hatsbury, olim Guardianus. Fr. Franciscus Gafneus, sac. Th. Lector. Fr. Jacobus Delamar, praedicator et Confessor. Fr. Richardus Geraldinus, praedicator et Confessor. Fr. Franciscus a S. Bonaventura, alias French, Phylosophiae Lector. Fr. Petrus Valesius, S. Theologiae Lector, nunc Praeses Kilkenniensis. Fr. Petrus Darcy, S.

1913
v

Th. Lector, olim Provinciae Diffinitor. Fr.
 Franciscus Wolf, olim Guardianus. Fr.
 Haymo Stafford, olim Guardianus. Fr.
 Daniel O Neill, Scotiae Missionarius. Fr.
 Thomas Talbot, Sacrae suae Majestatis |
 Capellanus. Fr. Joannes Sarfied, philos.
 Lector et Sanctimonialium tertii Ordinis Con-
 fessarius. Fr. Laurentius Tanckart, pae-
 dicator et Confessarius. Fr. Antonius Archer,
 Vicarius Conventus Kilkenniensis. Fr.
 Jacobus Tuit, pae dicator et Confessor. Fr.
 Philippus Flasburg, Confessarius."

(458) Hoc actum turbulentissimum eo spectabat ut regendae Provinciae clavus P. Provinciali et Diffinitoribus extorqueretur, et ad eum Carronus tanquam Commissarius Generalis sederet. Quo facto ille cum praefatorum turbinum non nullis decendio interjecto alia condiderunt acta non minus ab aequo et vero aberrantia, quae etiam ex Philopatro subdo, monens lectorem illos Compromissarios, de quibus mentio habetur, non a Provinciale et religiosis ipsi adhaerentibus, sed ab ipsis refractariis et ex ipsis fuisse cooptatos.

"Acta ultima Compromissariorum Congregationis Kilkenniensis.

Philop.
lib. 2.
p. 181.

(459) "Fr. Raymundus Carronus, Provinciae Iberniae Commissarius etc. legit et ostendit RR. PP. Compromissariis Congregationis Kilkenniensis Fratrum Minorum strictae observantiae ultimas epistolas et resolutiones P. Thomae Mackiernan, et quaestionem proposuit, quid cum illo Patre agendum?

"Resonderunt sic :

1914

(460) "Quandoquidem acta omnia, causae et controversiae inter R. admodum P. Fr. Raymundum Carronum, Praelati Generalis Commissarium, et cum plenitudine potestatis delegatum ab una parte, et P. Thomam Mackiernan ab altera parte; nobis in Congregatione publica | Kilkennensi quinquaginta Patribus et amplius in Spiritu Sancto et pro pace communi ineunda congregatis proposita, fuerunt examinata et stricte discussa: ubi 1°, vidimus gravissimas querelas et accusationes Regno et Ordini periculosissimas, tum a supremo Regiminis statu, tum a variis Provinciae Patribus qualificatis contra Provinciale et Diffinitores aliosque quosdam, quos (proh

dolor !) in partes suas traxerunt. Vidimus secundo R.P. Commissarii citationes diversas ad dictos Patres omnes et singulos cum salvis conductibus destinatas. Vidimus 3º, R.P. Commissarii epistolas varias et oblationes superabundantes per diversos et successive Patres seu *Agentes* dicto Patri Thomae missas, quibus illi obtulerat etiam sub jurejurando et perpetuae infamiae nota in nullis causis arduis se processurum sine Assessoribus utrinque assumptis, omni conatu se velle laborare ut dicti Patres accusati omnes et singuli purgantur et statui reconcilientur, plenamque sui officii libertatem per Regnum acquirant, offerens ulterius dicto P. Thomae conditionem hactenus inauditam, ut illum licet in judicio convictum nunquam sententialiter condemnaret, sed vel lites oblivione communi extingueret, vel ad Praelatum Generalem remitteret, vel ipsum P. Thomam executorem justae sua compositionis modeste et suaviter relinqueret. Quibus omnibus non obstantibus, vidimus binas dicti P. Thomae epistolas ultimas, quibus contra expressa jura et Pontificia et Ordinis nostri Praelato Generali, ejusque Commissario resistit, atque in sua excommunicatione et consumaciam insordescit, ita ut nulli mandato Superioris ecclesiastici obediatur, nec cum vel sine salvo conductu comparere velit, ut statui Regni juxta querelas factas satisfaciat ; sed utramque potestatem ecclesiasticam et civilem dilationibus nocivis, exceptionibus frivilis, et viis | insolitis eludat et contemnatur, varios Provinciae Superiores et subditos vel minis vel malis informationibus contra potestatem debitam excitando, idque sub praetextu alicujus Provinciae privilegii nunquam hactenus ostensi, neque etiam in casu hujus controversiae extantis, et, si extaret, certe pro praesenti Regni statu sine Patriae periculo et Ordinis ruina admitti non posset, adeoque dictus P. Thomas omnem pacis et obedientiae occludit viam, Regnum periculo et totam Provinicam ruinis et scandalis exponit.

(461) "Quapropter nos omnes et singuli nostro et totius Congregationis nomine, et invocato prius Dei auxilio protestamus coram Deo et mundo dictum P. Thomam cum suis totam nostram Provinciam, ejusque honorem et pacem publicae confiscationis, ignominiae, et scandali periculo exponere, utrique potestati ecclesiasticae et civili contravenire, omnia mandata contemnere sub praetextu ficto aut immunitatis ecclesiasticae aut Provinciae privilegii conservandi, protestantes nos nunquam immunitatis ecclesiasticae, aut ullius veri ac realis privilegii violatoribus consensisse aut consensuros ; adeoque censemus

1914

v

R.P. Commissarium pro conservatione non tantum juris, sed et ipsius Provinciae nostrae, Regni, et Ordinis teneri sub peccato mortali supremo regimini Regni exponere, et significare se nihil cum dicto P. Thoma efficere posse, quo vel ad obedientiam debitam, vel ad Regni securitatem, vel satisfactionem supremo statui, illum retrahere possit; ne absque spe recuperationis, P. Commissarii super hoc silentium praejudicet
 1915 Ordini | et Provinciae. Datum Kilkenniae in Conventu Fratrum Minorum strictae observantiae 20 Julii 1649. Subscripserunt nomine suo, totiusque Congregationis:

Fr. Valentinus Brown, Provinciae Procurator. Fr. Petrus Valesius, S. Th. Lector, Praeses Kilkenniensis. Fr. Antonius de Burgo, Guardianus, olim Diffinitor et Commissarius. Fr. Haymo Stafford, olim Guardianus. Fr. Antonius Gernon, Guardianus Dundalkensis. Fr. Richardus Synnot, S. Theologiae Lector, olim Diffinitor et Custos. Fr. Bonaventura Font, Guardianus, olim Diffinitor. Fr. Petrus Darcy, S. Theol. Lector, olim Diffinitor. Fr. Patricius Plunkettus, olim Diffinitor. Fr. Georgius Dillon, aliquoties Guardianus, et olim Diffinitor."

(462) Haec omnia acta Philopater Irenaeus Carrono et adhaerentibus ipsi aliis Franciscanis Ormonicis patrocinaturus, sed re ipsa eorum turpitudinem universo mundo revelans, et praeter mentem Provinciali, Diffinitoribus, atque (illos circiter quinquaginta turbines excipio) toti Provinciae numerosissimae, ac totius sui Ordinis citra controversiam optimae ipsis adhaerenti suffragans in lucem edidit. Nec dubitandum est quin iidem ejus clientes acta illa a se lata, et quibus possent coloribus velata, ipsi in sui purgationem edenda malesuadi suppeditarint. Verum postea videbis hos pene omnes, excepto scelerum tot tantorumque hortatore P. Petro Walsheo vel (ut hic scribitur) Valesio, etiam ipsum Carronus, palinodiam cecinisse. Quam sane licet nunquam cecinissent, acta tamen illa nihil habenda et nunquam nisi in ipsorum | refractariorum ignominiam, atque in Provincialis et Provinciae gloriam exhibenda essent ob facultatem Carrono a Marchantio factam non nisi surreptitiam, causae manifestam iniquitatem, Carroni atque adhaerentium a legitimis Praelatis, ipsaque causa Catholica ad

haereticos defectionem, haeretici Proregis fautorumque technas, suggestiones, incitamenta, et violentiam in adhibenda illorum refractariorum opera ad promovendas suas machinationes politicas nationi atque Ecclesiae Ibernicae perniciosas, et ob conditions ab ipsis refractariis petitas. Quorum coryphaeus, Carronus, licet anno circiter vertente paenitentia ductus sua acta revocaverit, et per omnia se submiserit, postea tamen (ut videbimus) ita Londini in Sedem Apostolicam et Pontificis Romani authoritatem actis subscrispsit et calatum acuit ut fidem habeat eum hoc anno 1649 in Ibernia eodem spiritu sed larvato ductum fuisse, dum suam illam pseudo-Commissarii provinciam in Ormonii favorem atque ad ejus nutum obiret. Quod ad P. Valentimum Brounum et P. Georgium Dillonum spectat, ambo quo pacto in Ecclesiam et Nuncium tanquam publici incendiarii anno superiori insurrexerint, ibi tradidimus. Qui licet deinde apud Nuncium paenitentiam vel egerint, vel prae se tulerint, hoc tamen anno cum Carrono ad vomitum redierunt, ut in litteris ex Ibernia ad Nuncium scriptis legatur eos *suae paenitentiae paenituisse*. In quarum unis D. Edmondus O Meara, Doctor Medicus; "Jam (inquit) paenitet | Patres Georgium Dillonum et Valentimum Browne suae paenitentiae, et sex mensium (ut aiunt) silentium a D. Nuncio imperatum jam importunis vociferationibus compensare satagunt, Dillonus ruri excurrendo, Valentinus vicatim hic declamando." Sic ille Galvia 19 Aprilis 1649.

1916

(463) Ad P. Petrum Walsheum seu Valesium quod attinet, ille ad annum superiorem quantopere et frontem perficuerit, et suo libello Anglicano Kilkenniae typis edito, dignissimo talis genii faetu, Ecclesiae Ibernicae offecerit, ibi tradidimus. Qui in apostasiae mercedem brachio haeretico nedum saeculari suffultus, atque in Conventus Kilkenniensis moderatorem intrusus, postea semper ita in contumacia hactenus perstigit, ut demum post aliquot annos Londini cum Carrono per acta et scripta in lucem edita (sicut suo loco recensebimus) Sedi Apostolicae et Pontifici Romano libellum indixerit. Quare credendum est eum hoc anno 1649 non nisi eodem spiritu diabolico possessum in suum Provinciale et Provinciam rebellasse. Denique illi omnes Franciscani, qui hoc anno in Provinciale conjurarunt, ita se gesserunt, ut eorum impia ac temeraria facinora in perennem Provinciae nedum Provincialis famam et ipsorum cedant ignominiam. Porro in mediis hisce controversiis P. Antonius Sweetman, quem acto 10 Julii lato

et superius posito subscrispsisse vidimus, 13 Junii, die S. Antonio sacra, Kilkenniae concionem habuit, qua ille non S. Antonium, sed se ipsum et tricas politicas atque odiosissimas discordias praedicavit, sicut concionis 1^a capita sermone Anglico, quo eum | concionatum fuisse parum dubito, in Italiā missa manifeste probant. Proindeque illa concio eo spectabat ut Ormonio et Ormonistis, imo ipsis haereticis Ormonii imperium non detractantibus persuaderentur, sua magni interesse, ut Carronus et alii Franciscani Ormonici praevalerent. Quod si ille suo solius consilio occupatus illis dissidiorum nationalium seminibus veritatis Cathedram prophanasset, tanquam capitū vertigine actum spernerem, sed omnino pro certo habendum est eum suis patronis politicis jam dictis illam operam praestitisse, vel non dubitasse quin illis et suae refractariorum Congregationi rem facturus esset longe gratissimam. Quare praefata concionis turbulentissimae capita tanquam facem publicam, et (ut credere par est) auctoritate publica tunc vibratam Latine verto:

(464) " 13 Junii 1649, die S. Antonii de Padua in Kilkennensi Franciscanorum ecclesia Fr. Antonius Sweetman concionem habuit, cujus observata sunt sequentia capita.

(465) " 1. In tota concione nihil de festo, Sancto, vel Evangelio dictum est, excepto initio. Aseruit bellum nostrum fuisse sanctum, legitimū, et bonum, et Suam Sanctitatem, Cardinales, atque Universitates approbasse et magnopere commendasse nostrum faederis Juramentum. Haec duo intra et extra Regnum fuisse velut binas taedas, donec turbo diabolicus ex Inferno demum | erupisset, qui haec funeralia et alios cereos in omnibus Iberniae sacris basilicis accensos pene restinxit.

(466) " 2. Sermo caepit et progressus est super metaphora hominis sani atque incolumis, sed occulto morbo haereditario laborantis, et postea mox a capite male valentis, exinde debilitati sudore, doloribus et tabe ingravescentibus, donec demum viribus ac natura debilitata consumptaque, vetus morbus avitus emergit et se prodit.

(467) " 3. Sanum et incolumem hominem fuisse Confaederatorum corpus postea debilitatum &c., Confaederatorum vero caput Praelatos et Clerum. Qui ante alios morbo petiti circa Juramentum titubarint et caespitarint, quod scilicet bona ecclesiastica periclitarentur, nec essent in tuto.

(468) " 4. Totam sacram paginam nihil complecti, quo probari posset quod ecclesiastici haberent latifundia vel possessiones.

(469) " 5. Aequum fuisse ut nec nostri Praelati et ecclesiastici nec *Protestantium* Clerus nunc durante bello suas possessiones repeterent, de quibus recuperandis *Protestantium* Clerus minus sollicitus fuit, et minus sollicitus esse potuit, quod eorum nemo aliquam artem non caleret, qua vitam sustentaret, cum Clerus noster ea vivendi ratione careret.

(470) " 6. *Angelum seductorem*, qui lapsus erat, secum hac via Clerum aliosque traxisse, ipsis (ut avari cupidique sunt) spem faciendo se illis latifundia et antiquas possessiones recuperaturum et servaturum, quas nunquam sub Regimine Anglicano obtinerent. | Atque adeo eum ipsis persuasisse, ut excuterent illius moderaminis jugum et fundamentales Angliae leges, nec secus religionem et Ecclesiam unquam fore securam aut tutam.

intelli-
gere
videtur
Eugenium
O Nellum

1917
v

(471) " 7. Fundamentales Angliae leges inter nos unicam esse Christianismi, sanctitatis, religionis, et possessionum ecclesiasticorum basim et sustentaculum, quibus perditis omnia corruant. In Ibernia ante Anglorum irruptionem nihil extitisse praeterquam Paganismum, ritus ethnicos, barbariem, et leges tyrannicas, de quibus modo per hoc bellum iterum introducendis ageretur. Omnem sanctitatem, urbanitatem, quicquid boni in Ibernia habemus, ex Anglia et Anglis descendisse.

(472) " 8. Nostrum Clerum, ne sua latifundia et possessiones non adipiscerentur, circa faederis juramentum fluctuasse et paci intercessisse. Laicos in recuperandis ab haereticis et servandis bonis ecclesiasticis sua collocare noluisse. Veteres Iberos paci obviasse ut, quae sua esse dicebant, recuperarent. Anglos in Ibernia tam novos quam veteres hac ratione omnia, quae possidebant perdendi aleam subituros, cum nisi quod corona Anglicana concederat, suppeteret nemini, excepto solo Angelo seducente et rebelli, cui nunquam curae fuit debitum Principi obsequium, nec gloriatur | id sibi unquam cordi fuisse aut se jugo Anglicano collum submisisse *unicum* ex ipsis, qui ad verum honorem promotus sit, haud citius fuisse elevatum quam dejectum et relapsum ac Regno exulasse.

1918
I. Tiro-
niuum.

(473) " 9. In Hispania esse nuperi Tironiae Comitis filium, Hugonem nomine, Iberniae Principem, sic in aula totaque Hispania dictum et aestimatum. Se hunc hominem vidisse, eumque non Ultoniae, nec Momoniae, nec ullius partis Iberniae, sed perinde ac si ipsi jus in Regnum universum competenteret, Iberniae Principem vocitari, et juxta poetam ipsi esse jus ad tres coronas repetendas. Ei regem Hispaniae, a quo et cuius gratia hi motus omnes et bella gerantur, adminiculari. Nullam

mitram, nullam praelaturam, nullum pileum rubrum Iberniae nisi Hispaniae interventu concedendum. Praesentem Pontificem, Nuncium, et Cardinales Hispano studere, omnemque Pontificem duorum Regum alteri, vel Hispano vel Gallo, favere.

(474) " 10. Unicum hujus belli rebellem nutritorem et promotorem ex Hispania esse et Hispaniae militare et hoc eum gloriari atque ostentare.

(475) " 11. Bellum illud in Regem Angliae, ejus jus et interesse in Iberniae Regno directe geri, quo ejus jugum excutiatur, ejusdemque rei exequendae viam esse, ut omnia vastentur et consumantur, | Regnumque ad incitas redigatur, quo praefatus cum sui fautoribus rerum potiatur, et nihil non possideat.

1918 v
(476) " 12. Condemnavit et vehementer invectus est in eos, qui Protestantium facultates diripuerint, inque id genus bona involaverint, affirmans viam, qua ad fidem converterentur, esse ut potius eorum bona ipsis tuta sint et augeantur. Hoc probandum suscepit, praeter alios sacrae paginae locos, exemplo S. Petri et aliorum Apostolorum, qui *relictis omnibus secuti sunt Christum*. Addiditque se saepius hanc direptionem pro suggestu improbasse, cum tamen re ipsa suis concionibus eam saepius commendasset velut rationem qua Protestantes converterentur.

(477) " 13. Subjunxit nihil in hoc bello gestum fuisse quod negotiosus et phanaticus quidam frater Romae non prae cogitarit et machinatus sit, cuius epistola complectans id, quod hactenus actum et imposterum agendum esset, prelo subjecta sit et legenda extet propediem cum multis aliis iniquitatis mysteriis in lucem edenda atque in medium afferenda. Eadem nominatos fuisse eos, in quibus fides collocanda foret ad onera publica assumendis et ad dignitates ecclesiasticas, aliaque id genus promovendis.

1919
(478) " 14. S. Francisci Ordinem funditus dispositum et directum fuisse ad hoc opus promovendum. Jam a longo | tempore haud alios fuisse delectos et agnitos in Provinciales, Guardianos, et Praelatos, nisi qui ad hunc scopum idonei censerentur. In ultimo Capitulo Provinciali fraudem et violentiam intervenisse, et inter noctem commentitio peditatus Scotici classico, reque ipsa a quibusdam servis atque otiosis viris, quos factio vocales numero sexaginta se plus nimio superiores animis dejectura ac dispersura ad id praestandum adhibuerat atque instigaverat, Capitulum valde conturbatum fuisse, quo nec non Nuncii paecepto et commendationibus factum, ut Thomas Mackiernanus fuerit salutatus in Provincialem, et moderni

Diffinitores omnes, violenta instrumenta ad Eugenii *Rufi* et Nuncii consilium secundandum apta, electi sint, totius Provinciae regimine ab illa parte usurpato.

(479) " 15. Ordinis S. Francisci in Ibernia Provinciale quovis principe, imo quibusvis tribus in orbe Christiano principibus esse aliquatenus potentiores. Siquidem S. Francisci Ordinem propagatum per universum mundum, etiam inter infideles, ubique habere Conventus et Monasteria, nullamque esse Provinciam, in qua fratres Iberni non commorarentur, eosque in quibusdam Provinciis esse binos, in aliis quaternos, in aliis senos, omnes magnam partem viros doctos et Lectores. Hos gubernari et regi ab Ibernia Provinciale, qui crebro suo litterarum commercio, et per ea, | quae omnibus Regnum egressuris in monitis dat, multisque aliis modis eos omnino suis ipsius opinionibus haud mediocriter praecupat, idque efficit ut ubique gentium divulgant et praedicent Eugenium et Nuncium velut Ecclesiae ac religione patrocinantes, justitiam et pietatem in hac controversia defensare, Concilium vero atque adhaerentes haeresim atque haereticos contra Ecclesiam propugnare. Et hac quidem ratione Supremum Concilium fautoresque famae jacturam fecisse, hominumque odium ac detestationem subiisse, et consequenter magnam in Ibernia irrogatam fuisse injuriam.

(480) " 16. Se ipsum ad agenda et procuranda religionis negotia in Capitulo legitime electum, multis et arduis difficultatibus intra extraque Regnum superatis, demum ad generalia Ordinis Comitia in Hispania celebrata pervenisse, ubique suae causae aequitatem liquido demonstrasse adversus Provinciale, Diffinitores, et alios quibus, cum nulla alia ipsi resistendi superesset via, suorum in Hispania procuratorum opera, Regis Catholici autoritatem ac potentiam interposuerunt. Quo factum ut perinde ac si ipsius Regis causa ageretur, ejus litteras obtinuerint atque ad Comitia attulerint, et usque adeo praevaluerint ut causa reicta sit velut mortua, justitiaque suppressa, ne Regis indignatio contraheretur.

(481) " 17. Semet, quod causam procurasset, vocatum fuisse Apostamat, omnesque alios Regni bonum anhelantes, Coronae fideles, et in animum intendentes ut Ordo | reformaretur, passos fuisse persecutionem, correptiones, et ignominiam.

(482) " 18. Nec Nuncio nec ulli Legato, Cardinali, aut Praelato in Franciscanorum capitulum esse potestatem aut jurisdictionem, proindeque Nuncium immiscendo se eorum rebus, juxta ac in multis aliis errasse et modum excessisse.

1919

v

1920

(483) " 19. P. Thomam Mackiernanum bene legitimeque et Provincialatum fuisse abdicatum, et ab ejus Praelato, nempe Commissario, excommunicatum. Fratres quoque eidem P. Thomae adhaerentes, nec non omnes alios etiam Praelatos et Episcopos ejus causam sustinentes, excommunicationem incurrisse.

(484) " 20. Eundem P. Thomam intra et extra Regnum constuprasse et seduxisse universum Ordinem. Commissarium autem, atque eos, qui eum sequuntur, non aliud ambire quam ut abusus corrigantur et emendentur, Ordoque reformatur, ac regimini morem gerat, ejusque nutus observet.

(485) " 21. Proh pudor (inquit) quid duobus S. Francisci et S. Dominici Ordinibus cum hac controversia, cum nullae ipsis sint nec perdendae nec acquirendae possessiones? Alii, quo latifundia adipiscantur, in omnes sese facies vertunt, nempe Praelati, Episcopi et Monachi, alii ubi pedum alterum collocant, ibi alterum intrudunt. Sed S. Francisci et S. Dominici Ordines nihil tale praetendunt aut cupiunt, licet ante alios omnes his contestationibus se intricarint, et hos motus concitarint pro vixerintque, adeo ut hujus magnae infectionis et corruptionis venenum ac pus, ubi universum Confaederatorum corpus inutile reddidisset, | per hos duos Ordines velut binos canales et fontes eruperit.

(486) " 22. Unde (inquit) haec tota pestilentia, contagio, et morbus originem traxit? Ab Aquilone (inquit) omne malum. Ab Angelo rebelli, ejusque sectatoribus, qui omnium ruinis semet exaltare et Regnum occupare molitus est." Hactenus ille male feriatus et in rebus gravissimis petulantissime mendax.

(487) Itaque in Ibernia pars illa fratrum Provinciali et Diffinitioribus atque adhaerentibus adversa usque adeo malis suis artibus et brachio nedum saeculari, sed etiam haeretico praevaluit, ut Ormonii et Commissariorum fiduciariorum viribus freta Provinciae fraenos arripuerit, aliis depressis, et pene in cryptas et speluncas dispersis, ne in vincula et carceres, ipsamque forsan mortem darentur. Interea ambae partes per litteras et procuratores causam Romae agebant, praevalens quidem ut quicquid a se tumultuario et violenter gestum esset confirmaretur, depressa vero ut remedium obtineret. Inter hos utrinque adhibitos Romae conatus P. Josephus Arcamonius, quem a Nuncio ad prosequendam in Urbe suam causam ex Ibernia illo praemissum vidimus, auditio Carrorum fuisse in Iberniam modo jam dicto destinatum, nihil non tentavit, ut

revocandum curaret. Tunc autem Romae residebant ex ipsa natione Ibernica et Religione Franciscana, praeter alios, duo, nempe | P. Franciscus Breminhamus, vel (ut non nulli nominum gentilitiorum dolatores perperam scribunt) Ber-ingarius, et P. Lucas Waddingus, ille tunc Ordinis Diffinitor Generalis, hic ejusdem historiographus. Quorum primus antea Nuncio nescio a quibus ad infulas commendatus P. Josepho ad tricas illas, quibus Provincialis et Provincia Franciscanorum Ibernica a suis refractariis implicabatur, pro Nuncii partiumque ipsi in ea Insula studentium nutu expediendas suam assistentiam obtulit. Verum idem Josephus Waddingum tanquam partibus Nuncio adversantibus occultissime patrocinantem ita suspectum habuit, ut nec ipsi, nec iis, qui eo familiariter uterentur, sua consilia communicaret. Waddingum quoque apud ipsum Nuncium etiam antea in eandem suspicionem venisse video. Tot tamen litteras etiam autographas manu propria a Waddingo ad Nuncium in Iberniam, et post ejus regressum in continentem, nec non fratri ejus, Equiti Rinuccino in Etrusci aulam Italice scriptas p[re]e manibus habeo, quibus se Nuncii obsequentiissimum professus erat, et specialiter anno 1646 crebris litterarum fasciculis ex Urbe datis pacis Ormonicae rejectionem tantopere approbaverat, seque ab Ormonistarum molitionibus semper abhoruisse significaverat. Hoc etiam anno ad Nuncium jam in Gallias reducem, praeter aliam priorem mihi perditam, scripsit Italice manu propria hanc epistolam : |

" Illustrissime et Reverendissime Domine, Patrone colen-
dissime. | 1921 v

(488) " Mox atque de Dominationis vestrae Illustrissimae appulsu (in continentem) audiveram, per litteras cum tabellione Parisiensi scriptas ipsi prosperum regressum congratulatus sum, gavisus quod eam videam exiisse illa infortunata Insula, et evasisse illorum manus, quorum tanta fuerat ingratitudo ut beneficia a Deo accepta haud agnoscere norint, collocando res in eo statu ut, si concordarent et bono cum zelo ambularent, religionem Catholicam stabilire possent, et se in libertatem vindicare exutiendo crudele haereticorum jugum, sub quo tot annos ingemiscunt. Qui etiam ex altera parte defuerant obsequiis et gratitudini debitae Sedi Apostolicae, quae ipsis faverat, eosque tot modis honestaverat, suppeditando subsidia, honorifice excipiendo qui illinc legati fuerant, et super omnia destinando ad ipsos tanta dignitate et praerogativa virum, qualis est Dominatio vestra Illustrissima. Fateor me quoties

de illa infami pace et illius nationis procedendi ratione audio, vel ejus rei mihi in mentem venit, erubescere, et cupere quod nunquam in ea gente natus fuisse. Credere non possum quin Deus eam puniturus sit, quod nullo modo dolerem, nisi timerem futurum in plenam fidei Catholicae extirpationem." Haec ille aliaque eodem spectantia scripsit ex Urbe 17 Maii 1649.

(489) Verum his ac plurimis id genus aliis protestationibus non obstantibus, partes causae Catholicae in Ibernia | patrocinatae Waddingum Romae adversariis studuisse, et eorum causam occultis molitionibus procurasse tantopere conquestae sunt, usque adeo ut ipsi Franciscani Iberni Ecclesiae causam sustinentes praeter alios idem ei objectarint. Ille enim Waterfordiae civis fuit, cuius civitas cum aliis Iberniae urbibus et oppidis, et prae aliis omnibus coronae Anglicanae nedum temporibus Catholicis, sed etiam in bellis fidei causa ab Iberniae nobilitate in Angliae principes haereticos gestis semper militaverat usque ad hoc ultimum bellum, quo Waterfordienses aliquique Anglo-Iberni faederi Catholico nomen dederunt, cum vidissent non solum pro religione et patria, sed etiam pro eadem Corona Anglicana et jure regio bellum geri, cui fidem habet Waterfordiam nunquam secus fuisse subscripturam; quae licet in hoc bello antea, praesertim ad annum 1646 preclare se gesserit, ad annum tamen 1648 exindeque ita sententiae ibi variarunt, ut Ormonistae in ea civitate praevaluerint, totaque demum pacem hoc anno 1649 cum Ormonio conclusam, quam Waddingus in sua epistola *infamem* fuisse profitetur, admiserit, ipseque urbis Episcopus, et alias ejus concivis Waterfordiensis, Archiepiscopus Cassiliensis, demum ad illa Ormonistarum Comitia declinaverint, et in eadem pace pangenda promovendaque operam collocarint.

(490) Itaque conquerebantur Waddingum more majorum nunquam genium aut ingenium mutasse sed rerum articulos et commoda semper tempora Romae captasse, ut suis clam inserviret. Quae suspicio ante ortum hoc bellum Catholicum late propagata fuerat, quod ille inter diuturnam pacem | antecedentem multas subiisset querelas, quasi in distribuendis Iberniae beneficiis ecclesiasticis Regni causam in Aula Romana ita tractasset, ut eandem indolem ac voluntatis inclinationem ipsa opera indigitarint. Ejus etiam historiam Franciscanam in rebus, quae ad Iberniam spectant, tractandis ita contextam aiunt, ut inter duas Ibernorum partes, aborigines et Anglo-Ibernos, eandem ille avitam cordis propensionem in Anglo-

Ibernorum favorem prodiderit. In hoc etiam bello non nulla suspicionem hanc auxerunt: 1°, quod Waddingus a Bellingo ex legatione Romana in Iberniam reverso inter Comitia Generalia ad ineuntem annum 1647 celebrata testis laudatus sit illius responsonis, quam Bellinus Pontifici, Innocentio X^o, attribuit his verbis: "Non mirum (inquit Pontifex) si Rex vester quas petitis conditiones palam concedere minus tutum rebus suis judicat, ne pars ipsi hactenus in Anglia adhaerens eam ob causam ab eo deficiat, unde et ejus conniventia nobis impre-sentiarum sufficere debet." Haec Pontifex, si Bellingo credendum. Qui in Iberniam redux hanc responsonem, tan-quam veritatis oraculum, Comitiis jam dictis retulit, ut pacem conditionibus suae factioni arridentibus anno 1646 contractam defenderet, et eam Suae Sanctitatis sententiam esse demon-straret. Quod tamen Pontifex (ut alibi vidimus) Nuncio postea in Iberniam scripsit fuisse falsissimum, juxta tot documenta Nuncio tradita, et litteras ipsi scriptitatas, quibus constat, Suam Sanctitatem semper praescripsisse contrarium. Waddingus etiam illa responsonie tanquam Pontifica a Philopatro Irenaeo, ex Bellungi atque aliorum Ormonistarum scriniis ad annum 1650 in lucem edita, et ipso Waddingo in testem citato rogatus Romae a Doctore, Waltero Enos, nunquid Pontifex ipso praesente ita responderit, dixit non respondisse. Unde | in Philopatri marginе (pag. 21, lib. 1°, ubi rem illam tractat) lego propria dicti Doctoris manu scriptam redargutionem his verbis: *perversa falsitas, teste ipso R.P. Waddingo.* Bellinus tamen postea suis *Annotationibus in P. Poncium Parisiis* an. 1654 editis id ipsum repetiit, et subjungens: "Si (inquit) praesens in Comitiis fuisses, quando haec Suae Sanctitatis monita, manu P. Waddingi Praelatis, qui aderant, satis nota signata, lecta fuerunt, nonne aequa ferres illud veritatis oraculum surdas hominum aures invenisse." Haec ille, quae Nuncio jam mortuo in lucem edidit, ut a Nuncio anno 1647, quod ejusmodi mendacium de Pontifice Comitiis retulisset, objurgatus eum Waddingi epistolam celarit, et anno 1654 loco jam dicto maligne siluerit Nuncium ipsi ante et post illam responsonem Pontificiam Comitiis relatam dixisse se in mandatis a Pontifice habuisse contrarium; sicut ad annum 1647 fusius legas.

(491) 2°. Praevalente semper in Concilio Supremo Ormonis-tarum factione Waddingus in Confaederatorum Agentem Romanum cooptatus erat, usqueadeo ut ipsum Concilium Supremum, cuius pars maligna et numero potior anno 1648

1923

p. 182.

Iberniam prodidit, cum, ad eundem annum ineuntem, *Romanus destinavisset Reverendissimum Fernensem et nobilissimum D. Nicolaum Plunkettum, iis in mandatis dederit nihil nisi eo consulo proponere aut determinare.* Sunt Poncii verba, cui Fernensis tantopere familiaris et charus id retulerit. Porro in quam sententiam Waddingus suis Ormonistis favens iverit, colligere est ex conatu ab illis tribus tunc Romae exhibito, ut censurae in Ibernia illo anno in conjuratos fulminatae auctoritate Pontificia suspenderentur, et ex eorum sagacitate in procurandis ac abutendis litteris a Cardinale Roma 24 Augusti 1648 ad Nuncium in Ibernam datis in gravissimum causae Catholicae praejudicium.

Vind.
Evers.
p. 186.

1923
v

(492) 3°. Nuncius ex castris Bunratensibus 3° Julii 1646 notis arcanis ad Cardinalem Pamphilium in Urbem scripsit schedulam suo loco superius positam, qua inter alia significavit non nullos in Ibernia cogitasse de cooptando aliquo Principe externo, praesertim Pontifice, vel Hispano, aut Gallo in Regni Protectorem, qui ipsis opem ferret. Ad quem misit Cardinalis responsum Pontificium genuino Christi Vicario dignum, suo loco positum. 3a autem die post illam Nuncii schedam in secreta Cardinalium Congregatione Romae ponderatam, et post responsionem illam deliberatione Cardinalitia decretam Waddingus dedit ad Nuncium ex Urbe epistolam Italicanam manu propria scriptam, cuius ipsissima verba huc spectantia ex autographo habe: "Nella Congregatione secreta fatta avant hieri de questi nostri affari, furno lette le ultime cifre di vostra S^{ra} Illustrissima e Monsre Assessore hoggi risponde alle proposte di V.S. Illustrissima: nel punto principale dell' ultima hanno trouvato difficolta di rispondere, judicando questi Segnori di non dover intrarci. Ma dicono che V^{ra} S^{ra} Illustrissima ha fatto bene d'avisar del tutto." Haec ille, quae Latine verto: "In secreta (inquit) Congregatione super istis rebus nostris nudius tertius celebrata scriptae ab Illustrissima Dominatione vestra notis arcanis schedae ultimae lectae fuere, et Illustrissimus D. Assessor ad ea, quae Illustrissima Dominatione vestra proposuerat, hodie respondit: circa ultimae punctum principale molestiam ipsis facessivit, quid responderent? Hi enim Domini sibi ab ejusmodi rebus abstinentum esse judicarunt. Dicunt tamen Illustrissimam Dominationem vestram partibus suis bene functam, quod totum significarit." Sic Waddingus 2° Sept. 1646. Responsio tamen licet forsan eodem die delineata fuerit, non nisi postridie ad Nuncium data est,

haud alio titulo Assessori S. Officii Illustrissimo Domino Albitio,
 nunc S.R. Ecclesiae Cardinali, attributa a Waddingo, quam quod
 Congregationi Cardinalitiae rebus Ibernicis praefectae a secretis
 scripsit quae notis arcanis Cardinalis Pamphilus Suae
 Sanctitatis nomine significavit. Porro hic constat illud tanti
 momenti secretum | ab ipsa Cardinalium Congregatione, vel
 aliqua ejus parte Waddingo fuisse in Urbe communicatum,
 parique ratione fidem habet eum aliorum si non omnium, certe
 plororumque secretorum a Nuncio ex Ibernia toto suae
 Nunciaturae tempore in Urbem significatorum et Nuncio
 indidem scriptorum ibidem conscientum evasisse, parumque
 dubito quin in more positum fuerit ut ab ipsa Congregatione
 advocaretur et consuleretur, tanquam rerum suae Iberniae
 gnarus, et aliunde velut homo integrerrimus, ac partium in
 Ibernia causae Catholicae et Clero plus caeteris militantium
 studiosissimus et Ormonistis infensissimus p[re]a horum horrore
 et aliorum studio, ardentissimoque domus Dei zelo, quem
 semper praeseferebat. Caeterum alia id genus secreta a Nuncio
 ex Ibernia Cardinali Panzirolo, praesertim 25 Martii 1647 et
 23 Novembris eodem anno scripta fuisse invenio. De reliquo
 Ormonistae in Comitiis ad exeuntem annum 1647 celebratis,
 in quibus numero longe superiores essent, tanta facilitate
 aliquem Principem externum, et ante alios Summum Ponti-
 ficem in Protectorem cooptandum, ac legatos in eum finem
 Romam destinandos decreverunt, ut cum decreta illa et lega-
 tionem postea magna animorum contentione successu frus-
 trarint, conjectemus ipsos ante dicta Comitia occultam eorum,
 quae a Nuncio in Urbem 3° Julii 1646 et 25 Martii 1647 scripta
 fuisse diximus, notitiam hausisse, nec praefata circa Protectorem
 cooptandum in Comitiis proposuisse et decrevisse, nisi ut sub
 illo praetextu legatos, qui longe aliud cum Regina Angliae,
 Principe Walliae, atque Ormonio tractarent, in Galliam des-
 tinarent, et Nuncio alias machinationi obviatuero per illam
 palliationem fucum facerent, ejusque sensa ex consensu et
 partibus ab eo in ea re agendis magis explorarent, impugnarent,
 tanquam Coronae | Anglicanae noxia nec alio quam ad in-
 trudendum et intrudendum sub religionis velo Summum
 Pontificem, vel pro ejus nutu aliquem alium exterum Prin-
 cipem tendentia totius populi censuris exponerent, et ad ipsam
 Reginam Angliae ac Principem Walliae referrent, demonstra-
 turi hac ratione suum Ormonium necessario in Iberniam
 remittendum, nec secus Nuncius cum adhaerentibus Regem

1924

1924
v

Ibernia spoliaret. Illa etiam scheda 23 Novembris 1647 a Nuncio notis arcanis in Urbem scripta Ormonistas postea haud latuisse conjectandum videtur ex variis eorum edictis, et Nuncii criminationibus ac Philopatri Irenaei nec non Bellungi locis, quibus occulta Regni in exterum Principem transferendi molitio Nuncio objicitur, cum tamen nec ex illis schedis, nec aliunde (quod sciam) constet Nuncio scopum principalem fuisse alium quam ut conscientiae legibus satisfaceret in extirpanda haeresi, et fide Catholica postliminio restituenda. Porro cum Waddingus post haec omnia (ut vidimus) a Nuncio in suspicionem avocatus sit, consecutaneum erat ut praefata indicia atque alia multa suspicionem augerent, et suspicioni adminicularetur id quod Waddingum Nuncio 2º Sept. 1646 scripsisse diximus, nempe Congregationis rebus Ibernicis in Urbe praefectae Cardinales *dixisse Illustrissimam Dominationem suam partibus suis bene functam quod totum significarit.* Quibus verbis Nuncio Waddingus animum addidit ad alia ejusmodi semper suae Sanctitati significanda, quae de facto optima erat Waddingo via resciendi partium Catholicarum Nuncio studentium, atque ipsius Nuncii arcana a Nuncio Suae Sanctitati per litteras ita aperienda, | ut Romae praefatae Cardinalium Congregationi, atque adeo ipsi Waddingo inter deliberandum et respondendum essent communicanda. Denique has omnes conjecturas nonnihil suffulsi modus quo Waddingus inter illam Franciscanorum Ibernorum Ormonio atque Ormonistis in Ibernia suffragantium defectionem se gessit. Cum enim illa Iberniae Provincia Franciscana partim ex fratribus apud Regni civitates, oppida, et tractus Anglicanismo magis imbutos natis, atque educatis, proindeque Anglicani regiminis minus impatientibus, partim ex Religiosis vel antiquo veterum Ibernorum stemmate prognatis, vel certe Anglo-Ibernis, sed apud Regni tractus haud Anglicanismo tantopere depravatos genitis, atque adeo et nationis et Ecclesiae Iberniae libertatem ex animo studentibus componeretur, et, parte saniore praevalente, alii in multos fines causae Catholicae exitiales Provinciae in duas divisionem anhelarent, et Ormonius atque Ormonistae, imo Regina Angliae, quod sua in politicis interesset eos potentissime secundarent, pro certo habebatur Waddingum ex eadem petra excisum, et urbis Waterfordiensis Regum Anglicorum obsequentissimae civem illis fratribus dictam Provinciae divisionem anhelantibus in urbe et ex urbe adfuisse, praesertim cum P. Petrus Marchantius (sicut ipsius litterae

3º Septembris 1649 scriptae atque inferius inserenda me docent) Carrorum in Iberniam non nisi Waddingo consulto destinari, et ipse Ormonius litteras ad P. Lucam Waddingum in Urbem scripserit, quae haud adeo clam receptae, lectaeque fuerant, quin in magnum reliquarum imo novarum suspicionum adminiculum aliis per viam secretissimam receptas | fuisse innotuerit. Quare P. Josephus Arcamonius Nuncio ex Urbe 9 Augusti 1649 Italice scribens : " Hebdomada (inquit) superiori cum Dominationi vestrae Illustrissimae scribebam, haud communicandum duxi me audiisse quomodo Marchio Ormoniae Patri Fr. Lucae scripserat in novi *Commissarii Franciscani* commendationem. Existimavi enim fuisse imposturam, vel certe si veritati consonaret, fieri non posse ut probaretur, et propterea haud dignam duxi quam significarem. Verum rumore crescente me ad Patrem Fr. Lucam contuli, ipsique dixi me intellexisse missum fuisse in Iberniam Commissarium ex religione Franciscana, totum Ormonistam, ad male multandos omnes bonos, qui Ecclesiae partes propugnaverant. Quare eum rogavi ut sua autoritate grave adeo scandalum refraenaret, dixique : id confidenter aggredi debes ad obstruenda multis ora affirmantibus Commissarium tuo favore protegi, interventu Marchionis Ormoniae, quem ferunt scripsisse vestrae Paternitati, ut huic fratri patrocinetur. Nisi Paternitas vestra operam det ut homo ille revocetur, nemo non judicabit Marchionem Ormoniae in ecclesiasticos non solum in Ibernia sed etiam Romae dominari. Quod quotquot audierint horrebunt, et fama vestra denigrabitur citra causam, cum non dubitem quin nunquam haeretici intercessione conatus sis ut Franciscanorum pars fidelis, quae Ecclesiam, fidem, et Nuncii Apostolici authoritatem propugnaverat et propugnat, opprimatur. | Mihi autem respondit verum esse nedum Marchionem, sed etiam Reginam Angliae sibi in illius fratribus favorem scripsisse, sed se die pridiana ut ille frater revocaretur procurasse, et expectaturum Illustrissimam Dominationem vestram ad destinandum illo aliquem pro vestro voto et desiderio, dixitque se Dominationi vestrae Illustrissimae esse valde addictum, et ad Marchionis Reginaeque epistolas respondere noluisse." Hactenus P. Josephus. Porro re ipsa tunc per litteras ab Ordinis R. admodum P. Procuratore, seu Commissario Generali Romae residente ad P. Petrum Marchant datas adhibitam fuisse si non strenuam certe aliqualem operam ut idem Petrus Carrorum a se in Iberniam missum amoveret, collendum videtur ex ejusdem

1925
v

Carroni

1926

P. Petri litteris ad eundem P. Procuratorem Generalem ex Belgio in Urbem scriptis, quas, quia non pauca ad hanc controversiam pertinentia continentes, hic propriis ipsius verbis habe: "Admodum Reverende Pater.

(493) "Quod ad suas de 30 Julii non responderim, imputet quaeo continuis itineribus meis in visitatione quatuor Provinciarum, et celebratione Capitulorum, quibus occupatus fui jam a Martio usque in hodiernum diem totis sex mensibus. Quod spectat ad negotia Iberniae easdem quidem hic querimonias habeo, et ex utraque parte viri probi et sublimes plane contraria et contradictoria scribunt. Ita nesciamus quibus tandem fides adhibenda sit. Scribunt mihi proceres cum Concilio Supremo et conventu generali Confaederatorum Catholicorum gravissima contra Provincialem, Diffinitores, et alios Patres | tanquam perduelles et factiosos. Confirmant illa Episcopi et alii in dignitate constituti. Experientia etiam longa decem annorum expertus sum dolosum et refractarium animum istorum Patrum in materia necessaria Religionis et Regulae. Minae graves mihi factae sunt nisi remedium adhiberem. Distuli. Consultavi etiam cum Reverendo admodum P. Luca Waddingo. Tandem coactus misi quem habui ad manum et quem credidi indifferentem, cum duodecim jam annis a Provincia abfuisset. Illum pars una suscepit, altera tanquam suspectum repudiat. Regnum et plurimi Episcopi commendant. Si Patres attendissent ad meam commissionem et litteras ad ipsos a me datas, nulla erat difficultas. Tantum enim tria demandabam: 1°. Concordiam amicabilem et oblivionem injuriarum. 2°. Reformationem abusum. 3°. Sequestrationem a negotiis politicis, et compositionem sive reconciliationem cum Confaederatis Catholicis, salva Ecclesiae autoritate et fidei Catholicae integritate. Sine his non potest restitui aut quietari Provincia, nec aliquis quantumvis prudens aliud poterit concipere. De revocatione Visitatoris missi non possum cogitare, nisi denuo totum Regnum commovere velim, et Ordinem perdere. Caeterum relinquo totum superiorum judicio, modo tamen me ab isto onere excusent. Incredibilia sunt, quae scribuntur, acta a fratribus nostris. Ubi aliquid supererit otii, totam historiam describam, ut omnibus pateat mea sinceritas et justitia, illius autem Provinciae deplorandus status. Haec scribo Reverendae admodum Paternitati vestrae, quia ad ejus officium spectat, ne temere aut praecipitanter, una tantum parte audita, | procedatur. Scribam etiam

1926
v

1927

Reverendissimo P. Vicario Generali, quem audio agere circa Taurinum in Pedemontio. Si placeat vestrae Reverenda admodum Paternitati has communicare Reverendo admodum P. Lucae Waddingo ac Diffinitori Generali Iberniae, non erit ingratum. Hac enim vice non possum eis scribere. Deus V.P. admodum Reverendam servet sospitetque.

Dabam Gandavi

hac die 3 Septembbris

1649.

Reverendae admodum vestrae Paternitatis
Devotissimus servus

Fr. Petrus Marchant."

(494) Circa hanc epistolam notandum est 1° Marchantium misisse Carrorum in Iberiam ad Ormonistarum postulationem. 2°. Illos Episcopos, quos Carrono suffragatos dicit, haud alios fuisse quam Ormonio et Ormonistis adhaerentes, quos ille *plurimos* fuisse parum sincere scribit, cum ne paci quidem Ormoniae hoc anno contractae ex omnibus Iberniae Episcopis et Archiepiscopis nisi duodecim antea subscriperint, qui et ipsi forsan haud omnes Carrorum apud Marchantium commendarunt. 3°. Hic ab ipso taceri quod Carrorum in Iberiam miserit, Ormonio, Prorege haeretico, rogitante. Quod tamen Philopater, sui Ormonii arcanorum bene conscius, haud siluit. "Hisce (inquit) de fratrum machinationibus ab Ormonio per litteras monitus R.P. Petrus Marchant Belga Franciscani Ordinis per Germanias Commissarius Generalis, vir tam judicio maturus quam scientia ac pietate conspicuus, mittit in Iberiam venerabilem P.F. Redmondum Carrorum," &c. 4°. Marchantium saltem in prudentiam gravissime peccasse. Nam Proregis et partium Catholicarum ipsi atque haereticis in Nuncium Apostolicum fautoresque adhaerentium vota suspecta habuisset, nec eorum postulatis acquievisset, praesertim cum de perversa eorum conjuratione citra dubium certior factus fuerit, vel saltem juris controversi (quo casu a Nuncio et fautoribus potius stetisset) rem esse didicerit, si antequam Carrorum destinaret, vel Franciscanos Iberos, Conventus nostratum Lovaniensis inquilinos consuleret. Consuluisse autem quis dubitet cum inde Carrorum destinari. Sin autem, et nec alios nostrates causae Catholicae studiosissimos, quorum integri diversae conditionis greges in Belgio se tenerent, haud consuluerat. Hoc ipso cum suis partibus in materia gravissima et gravissime defuisse quis ambigat? Denique ipse fatetur se

Philop.
lib. 1.
cap. 18.
pag. 176.

1927
v

cum P. Luca Waddingo consultasse. Quod non nisi per litteras praestitit, cum ipse in Belgio et P. Waddingus Romae commoraretur. Quam circumstantiam observo ut notetur eum (sicut ipse dicit) *distulisse*, nec nisi ex maturrima deliberatione Carrorum in Commissarium cooptasse.

(495) Itaque concludendum videtur etiam Waddingum in hac consultatione partes non egisse suas, nec sanae Franciscanorum Ibernorum parti patrocinium praestitisse. Secus enim quorsum Marchantius hic in sui purgationem allegasset se *distulisse*, et *cum Waddingo consultasse*, et qua fronte ausus fuisse in hac ipsa epistola rogare ut illa Waddingo communicaretur, responsuro utrique in ejus opprobrium, se ipsi authorem fuisse ut sanae Franciscanorum parti patrocinaretur. Nec levis est causae circumstantia quod Waddingus superiori Augusto anno 1648 in Urbe didicerit Iberniae Catholicos ita inter se dissensisse, et parti sanae defuisse videatur per plures interjectos menses ante Carroni missionem, qui | circa finem Aprilis 1649 in Iberniam appulit. 5°. Mirum esse quorsum Marchantius ex Ibernia et ex Urbe de Carroni confusionibus monitus eum (sicut ex praefata epistola liquet) revocare noluerit cum ipse fateatur *viros probos et sublimes* scripsisse contrario iis, quae ab Ormonistis didicisset. Qui etiam ejus locus mihi videtur referendus ad tempus quod Carroni missionem praecesserat cum id quod se ab altera parte recepisse ibi subjungit, ad idem tempus referatur. Et hoc casu graviorem culpam contraxit, quod etiam a sana Catholicorum parte praemonitus illum turbinem in Iberniam direxerit Ormonii potius et Ormonistarum votis responsurus. Porro Deus controversiam diremit, nam justissimo suo judicio (sicut videbimus) permisit ut Ormonii atque Ormonistarum exercitus a Parliamentariis in obsidione Dublinensi 2 Augusti 1649 profligatus fuerit, parato ad trajicendum ex Anglia in Iberniam lectissimo aliorum Anglorum exercitu, adeo ut nemo tunc non viderit Ormonii et Ormonistarum spem evanuisse. Quo in Urbe cognito omnes Nuncii et partium ipsi in Ibernia adhaerentium fautores expectabant futurum ut nostratum plerique in ea Insula resipiscerent, et Ormonio ac praecipuis Ormonistarum abactis, Eugenii O Nelli viribus semper integris cohaerent, veteremque confaederationem renovarent. Denique multi, qui antea Nuncium ejusque in Ibernia partes calumniis obruerant, tunc aliter sentire caeperunt, affirmantes eum ejusque fautores prudentissime se gessisse, et plangentes quod induciae cum

Insequinno contractae, aut pax cum Ormonio celebrata, vel ipse Ormonius in Proregem admissus fuerit. Sic hominum judicia ad fortunae vices variarunt. In qua rerum mutatione Waddingus manu propria scripsit Italice sequentem | epistolam Generali (credo) Ordinis sui Vicario praefatis P. Petri Marchantii litteris memorato, et tunc in Italia extra Romam obeunti suum officium.

1928
v

"Reverendissime Pater, Patrone Colendissime.

(496) "Circa Provinciae Iberniae negotia, super quibus Paternitas vestra Reverendissima Patri Diffinitori Beringario (Brimingamo) scripsit quod mecum consultare deberet, dicendum mihi est P. Commissarium Generale Flandriae mandasse quendam P. Raymundum Carronum, Collegii Lovaniensis lectorem, juvenem inexpertum et audacem, in illius Provinciae Commissarium, sed cum non nullis restrictionibus, nempe ut cum Ministri Provincialis et Diffinitorii assistentia quibusdam incommodis ac perturbationibus inter religiosos, quorum non nulli se rei politicae nimis intricaverant, natis mederetur, atque in omnia diligenter inquireret, et inquisitionem ad se referret. Ille vero antequam consilia cum P. Provinciale conferret, temerario in quosdam Guardianos processerat, et unum abdicaverat, atque ad jus non vocatum absque causa in carcerem conjecterat, eo etiam in Provinciale progressus ut in ipsum atque eos, qui ei obediendum ducunt, censuras fulminaverit, aliosque Guardianos officiis dejecerit tantummodo ad paucorum fratrum turbulentorum et scandalosorum instantiam, qui Proregi haeretico adhaerebant. Persistit etiam semper in persequendis et male tractandis illis omnibus, qui Nuncii Apostolici partes sequuntur, et censuras ab eo in haereticorum fautores et | causae Catholicae adversarios fulminatas propugnant. Hinc multa et gravia scandala, magnaque inter fratres dissidia nata sunt, et in dies majora nascentur, nisi hujus Commissarii quantocys revocetur authoritas, et abusibus introductis, atque injuriis, quae Patribus gravibus ac regularis vitae disciplina conspicuis irrogatae sunt, remedium adhibeat. De his omnibus praeter relationem hic ab Illustrissimo D. Massario, Congregationis propagandae fidei secretario, datam, et illam, quam Illustrissimus D. Rinuccinus Reverendissimae Paternitati vestrae jam istic dederit, multae etiam relationes a viris fide dignissimis receptae sunt. Quare (ut Reverendissimae Paternitati vestrae meam sententiam reverenter dicam) crediderim esse necessarium ut ad Patrem

1929

Marchantium scribat, quo dictum Commissarium omnino revocet, et illis bonis Patribus, qui injuste et omnem contradictionem male multati fuere, satisfiat. Nec hoc consilio supersedendum est. Nam frater ille de die in diem magis magisque in patrandis facinoribus absurdis, et in persecundis illis, qui a sana Catholicorum parte stant, progredietur. Quo fiet ut discordiae in Provincia altiores radices agant. Qui Proregi student, insigni, quam a Parliamentariis passi erant, clade nupera magnopere depressi fuere, et jam haud tantopere, sicut antea, superbierint. Itaque omni cum observantia | atque efficacia Paternitatem vestram admodum Reverendam rogo ita ad P. Marchantium scribat, ut non habeat unde subterfugiat, nec dictum Commissarium revocare differat. Cui etiam declarandum est, aliter futurum ut Reverendissima Paternitas vestra suam interponere autoritatem, et totum per se praestare teneatur. Excusatam habeat Reverendissima Paternitas vestra meam audentiam. Verum zelus causae Dei, et religionis bonum me impulit ad supplicandum ipsi cum hac instantia. Vestra manus reverenter deosculor, precans Dominum Deum ut suo divino auxilio Reverendissimae Paternitati vestrae assistat inter tot labores et fastidia officium comitantia. Ex Conventu S. Isidori 2 Octobris 1649.

(497) "Cum Provincialis 3m annum inchoaverit, missio Commissarii ad visitandam Provinciam et ad celebrandum Capitulum differri poterit usque ad redditum Reverendissimae Paternitatis vestrae et Illustrissimi D. Rinuccini, qui forsan eodem tempore perveniet." Hactenus Waddingus.

(498) Haec epistola propria Waddingi manu Italice scripta in Nuncii Scriniis asservatur, et dum haec scribo prae manibus est, sed sine subscriptione et superscriptione. Quo fit ut conjectem aliis litteris, quibus forsan annexa vel involuta fuit, Waddingum subscriptisse et superscriptisse, proindeque in ipsa subscriptionem et superscriptionem omisisse tanquam superfluam, et forsan ex industria ne in Ormonistarum | manus incideret, qui (ni fallor) stupebunt, si quando hanc ab eo epistolam scriptam fuisse viderint. Ex ipsa autem colligo missam Reverendo admodum R. Danieli a Dongo, tunc Ordinis Vicario Generali, ad id tempus (sicut ex Marchantii epistola superius posita liquet) circa Taurinum agenti, qui eam (credo) Nuncio Waddingum in suspicionem vocanti, et secum de Iberniae Franciscanis agenti vel Taurini vel Romae tradidit. Nam Nuncius ad idem tempus Taurino iter tenebat, et ambo

hoc anno Romam redierunt. Vix etiam dubito quin Waddingi industria fuerit, ut Nuncio in sui purgationem et sagacem benevolentiae tanquam nunquam temeratae insinuationem ostenderetur, quo ipse omnem Nuncii adversariis studendi suspicionem a se amoliretur. Nam pessime olebat quod occultus Ormonii atque Ormonistarum fautor haberetur, qui triginta retro annos Romae residens toto illo tempore adeo Sedis Apostolicae obsequium profitebatur, ut ecclesiastica Iberniae negotia interea in Aula Romana procurarit et inter hoc bellum secretissimarum rerum in Sanctioribus Cardinalium Congregati onibus ponderatarum conscius extiterit. Sed sicut epistola Cardinale *Roma* mense Augusto anno 1648 (dum partes Ormonicae triumphatura sperarentur) procurata, atque in Iberniam sigillo volante cum Fernensi et Plunketto missa ardentissimam Ormonio atque Ormonistis astipulandi voluntatem cum sagacissimo simulandi artificio connexam sapuerat, ita haec secunda Ormonistarum rebus jam fractis excogitata fuisse videtur | in primae illius et multiplicis industriae alius non absimilis evasionem haud minus ingeniosam. Nam ambarum partium Iberni, qui in Waddingi sensa penetrarint, dubio procul judicaverint hanc posteriorem epistolam ab ejus renibus et corde fuisse alienissimam, et primam a Cardinale *Roma* esse procuratam *ex cordis abundantia*. Nam partes Nuncio in Ibernia militantes tantum abest ut Waddingum sibi in Ormonistas ut etiam Ormonistis in se studuisse censuerint. Ex quibus etiam non defuere qui postea Innocentio X° et iis ex Aula Romana, quibus communicandum judicarent, retulerint eum tot retro annos, quibus Romae degens praecipuum Ecclesiae Iberniae procuratorem gesserat, egregium simulandi ac dissimulandi artificem egisse, et Anglo-Ibernis suis ita studuisse, ut demum id in causae Catholicae ruinam haud mediocriter cesserit, cum experientia docuerit inter has Iberniae discordias plerosque Ibernorum veterum et pene omnes Nuncio adhaesisse, sed Anglo-Ibernos ex parte longe maxima ad Ormonium defecisse nec Innocentius hujusmodi accusationibus surdas aures praebuit, apud quem adeo Waddingus offendit, ut demum ad Congregationes, in quibus res Ibernicae dirementur, admitti destiterit, et monuerit Sua Sanctitas ne circa libellos supplices ab Ibernis vel eorum nomine ad illius Insulae beneficia ecclesiastica assequenda porrigendos, quales antea Waddingo ut suam sententiam diceret, communicabantur, ulterius | consuleretur. Nec sane parvum Iberniae infortunium

1930
v

1931

praesagiisse videbatur quod non alias quispiam in publicum Iberniae bonum atque in Ecclesiae fautores citra controversiam bene affectus sed Waddingus in tantum Aulae Romanae favorem et per tot annos irrepsert.

(499) Ad illam Waddingi epistolam 2º Octobris 1649 scriptam redeo. Quam observo exaratam cum judicaret facile futurum ut vel ipso invito turbo ille, Carronus, mandato abdicaretur, Ormonistis in Ibernia profligatis, Massario, P. Josepho Arcamonio, et P. Paulo King, quem a sana Franciscanorum nostratium parte aliisque causae Catholicae in Ibernia fautoribus in Urbem hoc anno destinatum vidimus, ipsoque Nuncio apud Suam Sanctitatem, Cardinales, et Ordinis Vicarium Generalem potentissime sollicitantibus atque eorum non nullis praesertim P. Paulo atque aliis ex parte sana Franciscanis Ibernis toto pectore contendentibus, ut Waddingum sibi ipsis in multis per tot annos adversatum omni favore dejicerent, ejusque partibus, Franciscanis Ibernis in Conventu eorundem Romano, quem Waddingus ab initio procuraverat, deturbatis, ipsi substituerentur, commodissimam hanc et quasi caelitus natam arripientes occasionem sibi tanquam causae Catholicae columnis a Nuncio ac Massario Romae secundandis aspirantem et ob rationes ab adverso petitas Waddingi sorti perinde fatalem. Quare Waddingus in illa epistola scribenda haud sinistre suam industriam exeruit ut ipse prae caeteris earundem partium Catholicarum studiosissimus haberetur, et ea ratione intentatam sibi | atque imminentem ruinam declinaret. Nec interea Waddingus Fratrum in Ibernia Ormonistis faventium causam oblivioni tradidisse videtur. Nam animadverto eum rogasse Vicarium Generalem, non ut Carronum recta revocaret, sed ut litteras eo fine ad Marchantium daret, eique declararet futurum ut aliter ipse Vicarius Generalis suam autoritatem interponeret. Qua subtili illis suffragandi ratione Waddingus in id animum intendisse videtur, ut Carroni abdicatio sub speciosis praetextibus differretur, cum dilatio saepe peragat, ut postea facile praestetur quod antea fieri non potuerat. Verum nec postea successit, nisi quod Carroni et Carronistarum causae magis magisque praejudicavit. Ibidem etiam sub alio specioso obtenu sugessit Waddingus ut haud antea Commissarium Generalem in Iberniam destinaret Vicarius Generalis quam Romam perveniret, cum tamen Provinciae in Ibernia incendium a Carrono concitatum nullam horum duorum remediorum dilationem pateretur.

(500) Hunc conjecturarum cumulum in medium attuli, ne causae Catholicae fautoribus deesse in veritatis praejudicium, quae postulat ut non solum certa constanter asseveremus, sed etiam ipsas conjecturas recenseamus. Quod ita praestiti ut moneam conjecturas saepissime fallere et falli, meque tanti facere Waddingum ut pene persuasum habeam eum in spinosissimis Iberniae controversiis non se gessisse, nisi sicut sua ipsi conscientia dictaverat. Quae si de facto a melioribus aliorum dictatis discordaverit, lectori in memoriam revoco diversas factorum relationes, | locorum distantiam, et 1932 judiciorum in rebus perpendendis diversitatem efficere ut saepe viri etiam sancti inter se sententiis discordent. Porro idem R. admodum P. Daniel a Dongo, Ordinis Vicarius Generalis, Romam deinde regressus rebus bene discussis demum mandavit ut praefatus P. Carronus suo Commissarii et Visitatoris Generalis officio spoliaretur. Quod quo pacto, etiam actis rescissis, factum sit, ad annum sequentem recensemus.

(501) Ab Iberniae Franciscanis strictioris Observantiae ad ejusdem Regni Carmelitas discalceatos transeo. Quorum Provinciale, P. Joannem Rouaeum ab Ormonistis Romanum destinatum fuisse vidimus ut Appellationem prosequeretur. Quo ibi absente, Carmelitarum in Ibernia, ubi numerosi non sunt, Capitulum Provinciale hoc anno 1649 celebratum fuit. Circa quod, et Carmelitarum tunc statum habe communem quorundam ex ipsis epistolam Limerico, Iberniae civitate, ad supremos Ordinis sui (ut conjecto) moderatores exarata.

"Reverendi admodum Patres.

(502) "Cum paradoxa quaedam et inaudita tempore Capituli Provincialis in hac Provincia inter nostros Religiosos contigissent, ea Reverentiis vestris intimare omnino duximus. Quo autem evidentius ea intelligatis, per capita recensere consultum judicavimus. Absente Patre Provinciale primus Diffinitor praesidebat Capitulo, et cum excommunicatos, inhabiles, ac privatos voce activa et passiva propter recursum a Superioribus nostris, maxime a sententia nostri P. Visitatoris Generalis, ad curiam saecularem, a Capitulo excludere voluimus, Vicarius Provincialis non Canonicus haud id passus, cum iisdem recessit, seque Praesidem asseruit. Quare conventiculo | facto cum illis inhabilibus personis ad electionem Provincialis processit, reclamantibus toto Diffinitorio, aliisque gremialibus. Idem Vicarius, P. Patricius a S. Jacobo, quo suffragantium majorem numerum accresceret, quosdam aliorum Conventuum et qui jam votarunt pro alio socio, autoritate

propria mutavit ad supplendum numerum suffragantium alterius loci, et hoc in ipso Capitulo refragantibus Constitutionibus. Ipse ac complices Episcopum diaecesanum ad Capitulum adduxerunt, ut de fidelitate praestanda Consiliariis etiam haereticis juramentum ministraret, ipsique intrepide jurarunt. Ad Capitulum citati contempserunt, nec cum aliis difficultates decidere voluerunt, neque decisioni Diffinitorii paruerunt. Ne schisma recrudesceret, Provincialis, aliquie Superiores electi noluerunt persistere, verum obtulerunt omnia officia sua resignare, modo conventiculum illud idem praestaret. Negarunt. Per secreta suffragia exclusis excommunicatis R.P. Cyrillum a S. Josepho in Provincialem suffecerunt, reliquaque officia prout in Domino visum fuerat, dignis personis contulerunt. Pars adversa continuas intentat minas et brachio saeculari omnes Conventus et hospitia invadere praesumunt, magna populi offensa, certo religionis exitio, ni mature prospiciatur. Quibus penitus consideratis, qui legitime Superiores, qui vero intrusi, Patres pro sua sapientia et discretione judicabunt. Id in confessio apud omnes esse debet, nos pro religione, pro Superioribus, pro fide tandem Apostolica contra contumaces, refractarios, inobedientes perstitisse. Deus Opt. Max. spiritum suum Vestris Reverentiis impertiat, quo bona a malis et vera a falsis discernere possitis, et optima quaeque sanciatis ad Dei gloriam ac Ordinis incrementum. Datum | Limerici 21 Aprilis 1649 nominibus nostris subscriptum ac sigillo munitum.

Fr. Patricius a S. Brigida Diffinitor et Superior
Loci. Macarthy. Concordat cum originali:

Fr. Antonius a S. Maria Carmelita Excal-
ceatus, Vicarius Provincialis. Walsh."

(503) Itaque juxta hoc actum Carmelitarum Capitulum in duo Capitula Provincialia divisum fuit, a quorum uno Ormonistis (si his fides habenda est) morem gerente P. Patricius a S. Jacobo ex O Donovanorum familia apud Carbriam Comitatus Corcagiensis territorium illustri, ab altero Pater Cirillus a S. Josepho, qui alio saeculi nomine P. Oliverus Walshaeus seu Valesius vocabatur, in Provincialem cooptatus est, quorum uterque pro virili Provincialem exinde gessit, et Patricius domi ita praevaluuit ut P. Oliverus se ad proficiscendum Romam accinxerit, ut ibi suam causam melius ageret.

(504) Quod ad aliorum Ordinum Religiosos tunc in Ibernia degentes spectat, haud eos invenio paci cum Ormonio contractae obviasse, licet non omnes in eam jurarint, nec instrumentis publicis subscripserint, quibus tamen eorum non

nulli alii illam approbarunt. Et haec quidem sunt quae de Cleri Ibernici in pacem hoc anno 1649 promulgatam propensione dicenda habui.

(505) Interea Episcopus Fernensis et Nicolaus Plunkettus, Eques, 22 Martii Limerico discesserunt ab Ormonio et Commissariis fiduciariis ad Eugenium O Nellum allegati, ut cum ipso agerent de partium reconciliatione. Ille vero eos in conspectum non admisit, sed quosdam ex suis delegit, qui ipsos audirent. Partibus autem non concordantibus, Fernensis et Plunkettus remigrarunt, quo tempore Eugenius cum Parlamento Anglicano aliquam conventionem circa se et suos ad statum pene desperatum redactos ineundam meditabatur. Philopater autem tradit eum ad Munkum, tunc oppidi Dundalkensis in Ibernia sub Parlamento | Anglicano Gubernatorem, has litteras dedisse (ni fallor) 25 Aprilis 1649, ut ex Munki responso inferius ponendo conjectare liquet, exaratas.

1933

v

“ Domine.

(506) “ Epistolam tuam 21 datam nuperrime recepi, nec prius tibi respondere valui, eo quod cessationis articuli ibidem inclusi nonnihil essent aequo breviores, adeoque nec iis nisi ampliatis subscribere possem. Patricium Mac-Mahonium, Centurionem ad te misi cum potestate super eo negotio juxta tradita sibi mandata tecum agendi et concludendi, ut et tradendi tibi quasdam propositiones Angliae Comitiis praesentandas pro firma pace inter ipsa et partem nostram statuenda. Quarum quidem propositionum substantia (si bene nemini) ad Colonellum Jonium jam missa fuerat. Ad quas ille (quod miror) nullum adhuc responsum dedit. Quaecumque conciliatio a predicto Capitaneo circa praemissa omnia facta fuerit, ea me omnesque mihi adhaerentes obligabit, pactisque fideliter stabit,

Domine,

Humilis servus tuus
Eugenius O Nellus.”

(507) Propositiones etiam, de quibus hac epistola mentionem etiam fieri vides, Philopater asserit esse sequentes.

“ *Propositiones per Generalem O Nellum, Pares Regni, nobiles, ac tertium Ordinem seu Communes faederatos Ultoniae Provinciae Catholicos, Honoratissimo Potentissimoque Angliae Parlamento praesentandae.*

Idem.
ibid.
p. 188.

(508) “ 1. Ut leges omnes, statuta, ac mulctae impositae aut conclusae contra Romanam Catholicam religionem ejusque

Philop.
lib. I.
p. 187.

1934 **Ministros et professores, eorum libertatem, ac liberum ejusdem religionis exercitium, ab anno 20 Henrici 8 revocentur, rescindantur, ac in perpetuum abrogentur, idque scitum | tam ad praesentes dictae partis homines, quam ad successores eorum extendatur.**

(509) " 2. Dictus Generalis postulat ut Amnestia seu perpetua oblio facinorum quorumlibet perpetratorum ab ineunte anno 1641 ad omnes et singulos partis suae homines extendenda publicetur.

(510) " 3. Postulant ut Generali O Nello de munere in exercitu natalibus, honori, ac merito ejus convenienti provideatur.

(511) " 4. Ut agri omnes a parte illa, eorumque majoribus a 1º Jacobi Regis anno illegitime extorti restituantur.

(512) " 5. Ut pars illa quorumlibet Reipublicae munerum tam in bello quam in pace exercendorum habilis seu capax reddatur.

(513) " 6. Ut omnes inhabilitates, incapacitates, ac diffidentiae notae parti illi antehac per Comitorum scita, aut alio quovis modo, inustae aut impositae rescindantur.

(514) " 7. Ut irae, odia, ac simultates utrinque deponantur; concordia, amor, et amicitia inter utramque partem redintegretur ac publicetur.

(515) " 8. Ut Generalis Eugenius O Nellus in possessionem praediorum majorum suorum postliminio inducatur, usquequo discussum fuerit utrum jure an injuria bona illa ipsis ablata fuerint.

(516) " 9. Ut eidem parti commodus in Provincia Ultoniae portus concedatur.

(517) " 10. Ut exercitui Generalis O Nelli eodem modo in omnibus provideatur, quo reliquis exercitibus providebitur. Subscribuntur hae propositiones.

Eugenius O Nellus."

(518) Ultima lineae ultimae verba, nempe *subscribuntur hae propositiones*, ipsaque subscriptio apud Philopatrum alio charactere exciduntur, quo forsitan ille solitam malam fidem prodidit, quasi confessus se ea addidisse. Reque ipsa fidem vix | habet Eugenium his manum apposuisse: 1º, quod fuerint postulata ab Eugenio interposita, non pacta, de quibus inter se partibus convenerit, nec partes conditionibus nisi jam pactis subscribere soleant. 2º, quod hae propositiones fuerint conditiones, quas Eugenius postulabat. Quare ultra modum ineptiisset subscribendo propositionibus non sua sed partis, cum

qua agebat, manu roborandis, vel certe si his propositionibus subscrispsit Eugenius, credendum est illam subscriptionem haud alio spectasse quam ut Parlamento Anglicano alias dubitaturo fidem faceret illas esse conditiones a se postulatas, quo etiam sensu intelligendum videtur quod Monkus litteris ad Eugenium datis rogavit, nempe ut articulis a se recusis manum et sigillum apponneret. Illas Monki litteras ad Eugenium in responsum datas Philopater has esse tradit.

"Domine.

(519) "Litteras tuas 25 Aprilis datas accepi. Vidi etiam traditam a te Capitaneo Hugoni a Mac-Mahonio potestatem pro pace mecum, tam tuo quam parentium tibi copiarum nomine tractanda atque concludenda. Propositiones tuas perlegi, in quibus cum non nulla esse judicarem, quae Parliamentum Angliae primo aspectu concedere refugeret, earum aliquas non nihil eo confidentius mutavi, quod pro comperto habeam rem tuam ne minimum quidem inde detrimentum esse capturam, quin potius efficit mutatio illa, ut majorem illi in te, tuaque parte fiduciam collocent, quam et te spero, tua in eorum obsequio fidelitate, sinceritate, ac diligentia abunde meriturum. Si propositiones, ut a me mutatae et recusae sunt, tibi | probantur, 1935 eas (quaeso) signo et sigillo tuo munitas ad me remitte, ut easdem ego Angliae Parlamento quam primum praesentem, ejusque favorabilem super iis responsonem obtineam. Interim peto ut juxta inclusam chartam trimestres induciae inter nos concludantur, et inviolabiliter inter vires nostro imperio subjectas illius temporis decursu serventur." Hactenus illa epistola.

(520) Item author habet Monkum, reliquis illarum propositionum parum aut nihil immutatis, tres, nempe 1am, 4am, et 8am recudisse, easque ad Eugenium velut sic facilius a Parlamento admittendas remisisse, et hanc fuisse novam illam formam praedictis tribus propositionibus a Monk datam.

(521) "1. In primis postulant (Eugenius scilicet ejusque partes) ut quotquot se Generali, Eugenio O Nello, in Parlamenti obsequio junixerint, libertatem conscientiae, tam pro se quam pro suis posteris, habeant.

(522) "4. Ut agros suos, quos ante inchoatum hoc bellum possidebant, tamdiu ipsi et posteri possideant, quamdiu in fide erga Rempublicam Anglicanam permanebunt.

(523) "8. Ut Generalis, Eugenius O Nellus titulo mercedis navandae operae in conservanda re Parlamenti Anglicani in

Philop.
lib. 1.
p. 192.

1935

Idem.
ibid.
p. 191.

hoc Regno majorum suorum, aut alia ejusdem valoris praedia, obtineat ac possideat."

(524) His articulis a Monkō recusis et praefatorum reliquis Eugenium subscrisisse, eosque suo calculo munitos ad Monkum Parlamento Anglicano praesentandos remisisse, interceptaque praefatarum litterarum nec non propositionum autographa ad Commissariorum fiduciariorum Ormonio in regimine assistentium manus pervenisse author est Philopater, quem in multis aliis a veritate et sanis scribendi regulis ita deviasse constat, ut ejus libellum Romae prohibitum fuisse videamus. Quare Philopatri, praesertim in Eugenium ejusque partes iniquissimi fides etiam in his recensendis apud quem non hebescat? Propterea si horum actorum autographa (sicut Philopater testatur) apud Commissarios fiduciarios seu (ut ille loquitur) Catholicos Regiminis Assessores visebantur, mirum est ipsum, cui illorum Commissariorum Chartophilacia patuerant, quique suam scribendi segetem ex eo fonte satis impuro hauserat, illa acta in medium produxisse, nec die, nec anno, nec scribendi nec sigilli loco, nec subscriptionibus appositis praeterquam epistolae et primarum propositionum ab Eugenio (ut inquit) missarum subscriptionibus, quarum nedum 2am (quod jam notavi) sed etiam primam Philopater aliis apicibus excusam in medium producit eo plane modo, quo fit cum authores actis publicis aliquid e suo addunt. Itaque cum illa acta mihi non aliter nec alibi occurrant, lectorem moneo ut apud ipsum non nisi Philopatri fide valeant.

(525) Sed cum a Philopatro citata sint, ut ex illis Eugenium atque ejus partes nullam vel pene nullam religionis Catholicae curam habuisse demonstret, faciamus re ipsa litteras illas et propositiones fuisse missas, nec tamen continuo sequitur quod Philopater perperam concludit. Siquidem Eugenius et partes ipsi adhaerentes Dei, fidei, Ecclesiae, Sedis Apostolicae, Nuncii, Cleri Ibernici omniumque ejus toto Regno fautorum causam ita hactenus propugnarunt ut propterea capitale haereticorum nedum in Anglia, Scotia, atque Ibernia, sed etiam in Europa universa positorum, et Ormonistarum etsi Catholicorum odium sibi conciliarint. Quare antiqua Anglo-Ibernica in aborigines et prae aliis in Ultonienses antipathia hoc recentis inimicitiae incremento et nuperis belli civilis hostilitatibus in immensum aucta eo Ormonium et Ormonistas praecipites dedit, ut extremum Eugenii et partium ipsi adhaerentium excidium anhelarint, praesertim cum metuerent, nequa sorte aut Cleri

Idem.
lib. 1.
p. 194.

1935
v

Idem.
p. 194.

1936

populique recipiscentia fieret ut seipsis iterum depressis, Cleri fautores (sicut anno 1646 successerat) denuo rerum potirentur. Eugenius tamen et partes ipsi adhaerentes, ubi se invitit Ormonium introductum fuisse, et ipsum atque Ormonistas cum haereticis conjuratos nationis atque Ecclesiae causam presumdedisse vidissent, ad Ormonistarum demum Comitia Kilkenniam (sicut jam retulimus) destinarunt, qui ipsorum nomine ponderarent conditiones ipsis ab Ormonio et Ormonistis offerendas, quae non aliae fuere quam quibus fere ad desperationem redigerentur. His tamen non obstantibus Eugenium, dum Nuncius in Ibernia se teneret, Angliae Parliamentariis eum ut sibi ipsis coalesceret sollicitantibus, haud aurem praebuisse idem Nuncius tum alibi, tum sua ad Cardinalem Panzirolum epistola 2° post ejus exscensionem in terram Gallicanam die 14° Martii 1649 data et superius posita testatur, resque ipsa id ipsum loquitur. Ex quo patet Ormonistas non nisi ex solita decipiendi libidine suis pacis cum Ormonio tali quali lege accelerandae votis in ipsorum pseudo-Comitiis praetendisse Eugenii conatum contrahendae pacis cum Parliamentariis, ad quem utique Ormonistarum ad suum Ormonium, Insequinnium, aliosque haereticos defectio, et pax inquissima cum iisdem jam contracta, ipsaeque demum summae rerum angustiae, et Ormonii atque Ormonistarum perinde imprudens et barbara tyrannis Eugenium nolentem | volentem protruserunt. Quem ejus ad incitas ab ipsis redacti conatum tantopere ab omni aequitatis norma abhorruisse clamitarunt boni Ormonistae, licet ipsi non solum (sicut dixi) ad haereticos antea defecerint, et ipsum eo angustiarum redegerint, sed etiam eorum plerique ad exeuntem annum 1648 parati fuerint ad se (sicut ex Fernensis et Plunketti epistola 30 Decembris 1648 Nuncio scripta et superius posita liquet) iisdem Parliamentariis dedendos (nisi pax cum Ormonio contraheretur), vel ad consulendum suae saluti exilio, quod (credo) nunquam non essent posthabituri praefatae ditioni, modo conditiones a Parliamentariis obtinuissent non solum aequae bonas, sed etiam longe inferiores illis, quas Philopater tradit Eugenium postulasse. Idque totum licet illis integrum esset sibi de meliori salutis via prospicere, recedendo ab omni haereticorum faedere ad ambarum partium Catholicarum concordiam, quam dissuerant, Eugenium vero et suos extrema premeret angustia, et necessitas Ormonistarum, Ormonii, atque aliorum haereticorum ejusdem conjurationis concisorum

1936

v

1937

1937

v

fraudibus, violentia, odio implacabili, et ardentissimo ipsum suosque delendi desiderio procreata. Plurima autem hominibus ad statum desperatum redactis licere, imo ad ea tanquam unica salutis media excogitanda eos teneri constat, quae secus et ipsi horrerent, et conscientiae leges non permetterent. Denique si Eugenius ibi vel alibi aliquid in religionem Catholicam peccavit, cum aliis et ante alias reprehendo. Peccasse autem non credam, nisi alio praeterquam Philopatro authore compertum fuerit. Porro tractatum illorum, quibus Eugenius se immiscuit, hic ordo fuit. 1°. Ubi civili anni | superioris bello assequi non potuisset, ut primaevae ambarum partium Catholicarum confederationi in haereticos omnes insisteretur, suos Commissarios ad Ormonium et Ormonistas Kilkenniam destinavit. Sed ob Ormonii atque Ormonistarum durum tractandi modum illa legatio ante discessionem ad nihilum recidit. 2°. Ormonius et Ormonistae post Nuncii discessionem metuentes ne Eugenius infortunio et desperatione pressus cum Parlamentariis pacem contraheret, et ipsum aliqua spe lactaturi, populoque ob perennes discordias tanquam sola ipsius culpa non compositas detestabilem reddituri, Fernensem et Plunkettum ad eum allegarunt. Quos 22 Martii 1649 Limerico discessisse ut ad eum proficiserentur, et nugatoria eorum legatione modo jam dicto ab Eugenio rejecta, ad suos re infecta rediisse testantur litterae 21 Aprilis 1649 a D. Patricio Lyncheo, S. Nicholai Galviensis Praeposito, Galvia in Continentem ad Nuncium datae. Quo duro Ormonii atque Ormonistarum tractandi secum modo non nisi hac etiam legatione comperto Eugenium propositiones Monko misisse docet praefata Monk ad Eugenium epistola, quam ex Philopatro in medium attulimus, cum dicto Lynchei calculo comparata, quae utique propositionum et litterarum ab Eugenio ad Monkum 25 Aprilis scriptarum mentionem facit. Paulo autem post variae ab Eugenio et partium ipsi adhaerentium primoribus scriptae fuere ad Suam Sanctitatem, non nullos Cardinales, aliosque litterae non nullam etiam circa haec controversiae capita lucem allatura, ex quibus utique collendum est Eugenium nec per illas propositiones, | nec per alias posteriores saltem usque ad 18 Maii, 1649, quo litterae illae scriptae fuere, ullum cum Parlamentariis pacis tractatum suo calculo confirmasse, contra ac Philopater indicare videtur, docens Eugenium propositionibus Monko missis manum apposuisse. Epistolas illas alia quoque continentis hic subdo, et primo omnium hanc Innocentio X^o scriptam.

"Beatissime Pater.

(526) "Inter varias, quibus jam vinea Domini Sabaoth in hoc miserabili Iberniae Regno quatitur, tempestates, sola animorum Catholicorum subitanea divisio maximas in Regno parit angustias cum Catholicus nostri in hoc bello pro fide Orthodoxa pie et animose suscepto adeo jam inter se alienati sint, ut Provincia Ultoniae praecipue, et major pars et senior Cleri, cum non nullis aliarum Provinciarum nobilibus in suo continuandi belli proposito constantes et Illustrissimo D. Nuncio Apostolico obedientes manserint, reliqui vero Catholici, qui monasteria et pinguia beneficia ipsis annexa possident, eisque adhaerentes, sui propositi et juramenti pro fide Orthodoxa restituenda ab initio praestiti omnino immemores, Illustrissimi nostri D. Nuncii mandatis auscultare, aut suis confaederatis amplius adhaerere neglexerint, ut Gubernium *Protestanticum*, in quo possunt suis monasteriis et beneficiis potiri, introduce-rent, sicut de facto in quibusdam Regni partibus introductum est, prout fusius Dominus Archiepiscopus Brundusinus, noster jam specialis *Agens*, ad haec et alia nostra negotia Sanctae Sedi insinuanda a nobis electus intimabit, | cui ut fides habeatur humillime rogamus. Sacros deosculamur pedes. Ex campo nostro apud Cavan 18 Maii 1649.

1938

Vestrae Sanctitatis servi:

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus. Eugenius
Kilmorensis. Joannes Rapotensis. Don
Eugenio O Neill. Philippus O Relly."

(527) Archiepiscopus Brundusinus, de quo hic loquuntur, erat tunc Dionisius O Driskeollus, natione Ibernus, isque Momoniensis, ex illustrissima antiquissimaque O Driskeolorum familia oriundus, ad illum Brundusii in Regno Neapolitano Archiepiscopatum aliquot tunc retro annos, Rege Catholico Philippo 4° praesentante, promotus, quem illi rerum suarum in Aula Romana agendarum authoritate munierunt hoc instrumento:

(528) "Nos Hugo Archiepiscopus Ardmachanus et totius Iberniae Primas, et Eugenius O Neill exercitus Catholicus in Ultonia Generalis, aliique ex Clero et nobilibus Iberniae huic instrumento subscribentes omnibus has visuris salutem in Domino sempiternam.

(529) "Notum facimus quod circa mensem Maii anni 1648 magna pars Confaederatorum hujus Regni a reverentia Suae Sanctitati, et ab obedientia ejus Nuncio in hoc Regno Iberniae

debitis, et sententiis et ordinationibus ejusdem Nuncii ac
 quatuor Archiepiscoporum, multorumque aliorum Antistitum,
 1938 imo fere | totius Cleri Regni recesserit, tum deserendo bellum,
 v quod pro Dei gloria et vera fidei et religionis restitutione et
 nationis libertate a septem fere annis gestum est, tum etiam
 contemnendo autoritatem et censuras Illustrissimi Domini
 Nuncii, Archiepiscoporum, et praefatorum Praesulum, quo
 facilius Regimen *Protestanticum* introducerent, prout de facto
 (proh dolor) introductum est. Hinc est ergo quod nos, qui
 majorum vestigiis inhaerentes cum Christi Domini in terris
 Vicario, Romano Pontifice, Innocentio X°, ejusque successoribus
 per Dei gratiam conjungimur, quique mori maluimus et
 malumus, quam ejusdem Romani Pontificis sententiis, de-
 cretis, censuris, debitum honorem, reverentiam, et obsequium
 non exhibere, specialem Procuratorem et *Agentem* in Curia
 Romana nominare et instituere cogamur, ne Sua Sanctitas
 falsis querelis et calumniis deficientium praefatorum Con-
 faederatorum in aliquo sinistre de sinceris Regni Iberniae
 Catholicis informetur. Quare Illustrissimum ac Reverendis-
 simum Dominum D. Dionisium Brundusinum Archiepiscopum,
 tenore praesentium constituimus, ordinamus, nominamus,
 nostrum specialem procuratorem et *Agentem* ad nostra negotia
 movenda, proponenda, sollicitanda, et alia munia, quae ad
 dictorum negotiorum expeditionem procurandam necessaria
 censebuntur, exercenda coram Sanctissimo Domino nostro
 Innocentio X°, Congregationibus, aliisque Consistoriis ac
 personis in Urbe, ad quae pro nostrorum negotiorum ex-
 peditione prosequenda accessus necessarius fuerit, eique facimus
 potestatem omnibus melioribus et efficacioribus modis, quibus
 1939 melius et | efficacius de jure possumus et valemus, omnia
 nostra negotia commissa vel committenda procurandi, alium
 seu alios procuratorem seu procuratores substituendi loco sui,
 quando id necessitas exegerit, et substitutum seu substitutos
 ad libitum revocandi, et generaliter omnia et singula faciendi,
 exercendi, et expediendi, quae in praemissis aut circa ea
 fuerint necessaria seu quomodolibet opportuna, licet mandatum
 magis speciale de se exigant, quam superius expressum est,
 revocantes per praesentes omnes et singulos procuratores,
 tam generales quam speciales, aliqua autoritate nostra vel
 alicujus nostrum fultos. In quorum robur, fidem et testimonium
 his subscrisimus propriis manibus. Datum in Campo nostro
 apud Cavan die 28 Maii 1649.

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus, totius
Iberniae Primas. Joannes Rapotensis
Episcopus. Don Eugenio O Neill. Philippus
O Relly."

(530) Dederunt etiam ad binos fratres Cardinales Barberinos,
Franciscum et Antonium, litteras totidem praeter quatuor
epistolas ab Eugenio ad Cardinalem de la Cueva, Principem
Pamphilium, antea quidem sed non tunc Cardinalem, Iberniae
Nuncium, et Massarium exaratas, quarum sex epistolarum
quatuor priores et sextam ex apographis sicut mihi traditis,
quintam autem ex ipso autographo subjungam. |

"Eminentissimo D. Cardinale Francisco Barberino.

1939

v

"Eminentissime Domine.

(531) "Superiori anno inter triticum bonae nostrae intentionis gloriose pugnandi pro fide Catholica et natione, inimicus homo superseminavit zizania discordiarum. Quorundam enim Catholicorum adeo dementavit corda, ut neglecto faedere toties juramento firmato, ac erupta de propugnanda fide Catholica unione, se conjunxerint Protestantibus, renitente Illustrissimo Domino Nuncio Apostolico, majori ac totius Cleri saniori parte, imo sub censuris ecclesiasticis prohibente. Quibus tamen non obstantibus, imo illis contemptis, caput ejusdem sectae Gubernatorem instituerunt, ut securius bona Ecclesiae, quibus abundant, possideant, et eo devenerunt dementiae ut quosque ecclesiasticos, qui suae non adhaerent opinioni, ad tribunalia imo ad carceres trahant publicos, in quo certamine plus caeteris desudarunt et passi sunt vestrae Eminentiae filii religiosi S. Francisci, quos sicut et reliquos Ecclesiae et veritati adhaerentes adversa pars variis ignominiis et calumniosis titulis rebellionis tam in Urbe quam in aliis partibus obscurare nititur &c. Ex campo nostro apud Cavan 18 Maii 1649.

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus, totius
Iberniae Primas. Eugenius Kilmorensis,
Joannes Rapotensis Episcopus. Don Eugenio
O Neill. Philippus O Relly."

"Eminentissimo Domino Cardinale Antonio Barberino.

"Eminentissime Domine.

(532) "Extrema miseria hujus Regni Iberniae coget ut

ad spirituales patronos pro remedio recurramus. Hactenus
 1940 Confaederati Catholici gloriose conatu et | faelici successu pro
 fide et patria pugnavimus unanimiter, sed superiori anno
 seminator pravi consilii quorundam Catholicorum depravavit
 animos ac mentem adeo exulceravit invidia, ut rupto toties
 jurato faedere, et pro tuenda fide Catholica, unione, et omni
 reverentia et obedientia Sanctae Sedi Apostolicae ejusque
 Nuncio debita contempta, ac renitente majori et saniori parte
 Cleri totius Regni, Protestantibus, inimicis Ecclesiae, se con-
 junixerint, et de facto ejusdem sectae caput et Gubernatorem
 Marchionem Ormoniae instituerint, ut eo favente securius bona
 Ecclesiae, quibus abundant, quorumque amore et desiderio
 languent et dementantur, ac beneficia pinguis possidere possint,
 quo facto totum Regnum susquedeque evolverunt, et in tantam
 adduxerunt confusionem, ut vix audeat quis se pro Ecclesia
 ostendere. Solum Ultonienses, et quae tam de Clero quam de
 nobilitate sanior pars Regni, quorum Deus corda tetigit, se
 murum pro domo Dei opponunt, se suaque pro fide et patria
 impendere et superimpendere sunt parati &c.

Ex campo nostro apud

Cavan 18 Maii 1649.

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus" &c. ut
 supra ad ultimam epistolam.

"Eminentissimo Domino Cardinali de la Cueva.

"Eminentissime Domine.

1940

v

(533) "Antiqua mea confidentia etc. Hactenus unanimiter
 cum laude Catholici hujus Regni pugnavimus cum communi
 Ecclesiae hoste, sed quorundam corda ita exulceravit invidia,
 mentesque amor bonorum ecclesiasticorum, quae toto tempore
 haereseos inique et abunde possederant, adeo excaecavit et
 demulsit, ut relicto sancto faedere toties juramento firmato de
 propugnanda | vera fide, et contempta obedientia Sedis
 Apostolicae ejusque Nuncii, Cleri Regni spreta autoritate,
 iniqua colligatione se conjunixerint haereticis et Ecclesiae
 inimicis, imo ejusdem perfidiae caput et Gubernatorem in-
 stituerint Regni, Marchionem Ormoniae. Hoc tamen non
 obstante, favente divina clementia, inventi sunt qui huic
 Baal non flexerunt genua. Provincia enim Ultoniae, cuius
 militiam guberno, et ex toto Regno major et sanior pars Cleri
 et nobilitatis aucta majorum nostrorum haereditate in obedientia

et reverentia Sanctae Sedis Apostolicae remanemus. Sed hanc nostram filialem observantiam, tam in Curia quam in aliis Regnis, calumniosis titulis rebellionis et incendii contra Rempublicam obscurare nititur pars adversa, etc.

Ex campo nostro

18 Maii 1649.

Eminentissimae Dominationis vestrae filius,
Don Eugenio O Neill."

"*Ad Eminentissimum D. Cardinalem Pamphilium.*

(534) "Eminentissime Domine. Cum status nostri Regni (proh dolor) sit redactus ad illam conditionem ut Illustrissimo Domino Nuncio nostro Apostolico, ipsum sequente saniore et digniore parte ecclesiastica, et non contemnendo principalium nobilium totius Regni numero invitis, introductum sit haereticum caput sub praetextu pacis et fidei conservandae ab aliquibus hactenus in authoritate constitutis, palliantibus suam malitiam inurendo et Nuncio et ipsius sequacibus notam seditionis eo quod aversentur Lutheranismum, cuius professionis est idem caput introductum contra commune votum et juramentum Confaederatorum Catholicorum, a quo tres Provinciae Iberniae partim | vi, partim seductae, recesserunt et Gubernio ejusdem praefati capitatis adhaeserunt praeter aliquos nobiles majori zelo ductos hinc inde dispersos, ita ut sola Ultonia Nuncium et ecclesiasticos ipsi adhaerentes sequatur, quorum ego in militia praepositus, tam de praesenti quam de futuro protestor me nihil velle aut voluisse quam ipsorum vestigiis inhaerere, et fidem Catholicam, quam semper anhelo, promovere, &c.

Ex campo nostro

apud Cavan

18 Maii 1649.

Don Eugenio O Neill."

1941

"*Illustrissimo Domino Archiepiscopo Firmano et Nuncio Apostolico.*

"Illustrissime Domine.

(535) "Vix dici potest quantum passi sumus a discessu vestro continue in castris in quibusdam paucis nostris Comitatibus, quos funditus destruximus, eo quod inde egredi non potuimus. Jam sumus in puncto quasi desperationis. Sollicitat nos Ormonius cum sua factione ut secum nos conjungamus.

istinc
1941 v

Idem facit factio Parlamentaria. Utramque (Deus novit eodem odio et horrore prosequimur. Sed urgente necessitate brevi unum vel alterum necessario nobis est faciendum, nisi tempestive nobis *inde* succurratur. Quare humanissime rogo vestram Illustrissimam Dominationem ut paterna sua sollicitudine dignetur nobis providere de pecunia et bellica *amunitione* ut causam Dei et Ecclesiae defendere possimus, et ne cogamur tam iniquo faedere in damnum fidei et opprobrium nationis ligari. In hac expeditione summa festinatione opus est, quia maximum est periculum in mora. Illustrissimus Clogherensis detinebatur captivus apud D. Felicem O Neill, sed faelici omne evasit manus ejus. Multum persequuntur Provincialem Franciscanorum et fratres, qui hactenus sequebantur partes Ecclesiae, et hoc authoritate Commissarii Generalis Belgarum, *Marchant*, qui jussu Supremi Concilii et inobedientium fratrum ejusdem Ordinis misit unum Commissarium suae farinae, ut mortificet et coercent omnes adhaerentes parti Catholicae. Unde obnixe vestram Illustrissimam Dominationem obsecro dignetur in Curia efficere ut cohibeantur tam suspecti conatus supradicti Patris Commissarii, ac insuper nobis tempestive mittere vel nervum belli vel salutare consilium et paternam vestram benedictionem. His sacras vestras deosculor manus.

Ex Castris nostris prope
Cavan 18 Maii 1649.

Vestrae Illustrissimae Dominationis
Addictissimus servus,
Don Eugenio O Neill."

"Ad Decanum Firmanum, Illustrissimum D. Dionisium Massarium.

"Reverendissime Domine.

istinc
istic.
1942

(536) "Tandem ad tantas devenimus angustias et extremitates ut necessario adhaerere debeamus vel uni vel alteri partii haereticae, nempe factioni Supremi Concilii aut factioni eorum, qui Dublinii degunt, quorum utrumque nobis amarius est ipsa morte. Hactenus ultra posse stetimus pro causa Dei expectantes summa aviditate *inde* auxilium paterna cura Illustrissimi Domini Nuncii et vestra *ibi* procurandum. Fuimus semper in castris in Comitatibus Longfordiae, Cavan, et Leitrim, ubi nostros speciales amicos funditus | destruximus, eo quod inde non audebamus egredi. Rogo vestram Reverendissimam

Dominationem dignetur tempestive nobis adesse summe necessario succursu, ne irreparabili fidei damno et nationis gravi infamiae nota cogamur iniquo faedere nos conjungere haereticis. Illustrissimus Clogherensis fuit captus a D. Felice O Neill, sed faelici astu evasit manus ejus. Casu quo nihil nobis procurare poteritis, dignetur (quaeso) vestra Reverendissima Dominatio nos suo salutari consilio dirigere, ac benedictionem paternam impertire. Quantum ad me, si necessario adhaerendum sit ulli parti haereticae, reliquam partem vitae meae in alienis transigam partibus. Misere mortificantur Religiosi S. Francisci, qui adhaerebant Ecclesiae, insultantia et inobedientia quorundam discolorum ejusdem Ordinis, qui foventur favore et authoritate Commissarii Generalis Belgarum, P. Marchant. Faciat (quaeso) vestra Reverendissima Dominatio ut in Curia illius Commissarii cohibeantur suspecti conatus, ne ulterius in favorem haereticorum procedat. His me commendo favori vestro, et vestras deosculor manus.

Ex castris nostris

prope Cavan, 18 Maii 1649.

Vestrae Reverendissimae Dominationis

Addictissimus servus,

Don Eugenio O Neill."

(537) Eugenio subsidia a Nuncio et Massario, vel aliunde eorum interventu frustra expectanda erant, cum ipse Nuncius non nisi subsidiorum inopia ex Ibernia pedem retulerit. Porro Ormonius non solum in vires Anglicanas Parlamento Anglicano apud Iberniam militantes, sed etiam in Eugenium hac aestate movit. Jam autem vidimus | Eugenium dum anno 1646 per Lageniam ad Dubliniam aliaque ibi praesidia, quae tunc Ormonii nutum sequerentur, obsidenda iter cum suo exercitu teneret, haereticis in ea expeditione praeter alia Mariamburgum, Athiam, et Castrum Rebanum eripuisse, deindeque vallasse, ac haeresi, quae ibi ab initio regni Elizabethae nonaginta circiter annis cum haereticis Anglorum coloniis plantata erat ac radices egerat, extirpata, atque ipsis haereticis ejectis, fidem Catholicam cum Catholicis tam clericis quam laicis substituisse. Porro hoc fidei Catholicae triumpho in tota illa Lisiae vicinia confecto, quidam ex potentioribus haereticis inde deturbatis, Petrus Crosbius nomine, cum Eugenio egit ut bona ecclesiastica, quae in eo territorio ante tanquam haereditaria successione possederat, nescio quibus conditionibus recuperaret. Cui

Eugenius : Esne (inquit) homo ecclesiasticus. At ille : tantum (inquit) id abest, ut etiam Protestanticam religionem profitar. Et ego (inquit Eugenius) illa latifundia tibi non restituerem, nisi non solum Catholicus, sed etiam ecclesiasticus esses, ut pie ac religiose vivendo primaevae fundatorum menti satisfaceres. Et sic vir ille, caeterique ejusdem fermenti, qui antea in illo tractu praedia ecclesiastica velut avitam haereditatem incoluerant, nihil Eugenio dominante praeterquam aeternam repulsam expectabant. Caeterum in ea praesidia Eugenius sibi affirmabat competere et alios titulos | praeter jus expugnatione comparatum. Nam (sicut in D. Nicolai O Berni relatione lego) Concilium et Congregatio Ecclesiastica, a quibus expugnationis tempore Confaederati Iberniae Catholici regabantur, jusserant ut Eugenius illa in hostes muniret ea lege, ut eadem tanquam creditor hypothecarius teneret, donec sumptus omnes in illis vallandis collocandos receperisset, deindeque Eugenius anno 1648 a Concilio Supremo rogatus Mediae Occidentalis Comitem anno 1647 in praelio Prestoniano a Jonio, virium Anglicarum Praefecto generali, captum quorundam antea a se captorum permutatione redemit, ea conditione ut praesidia illa in lytri sibi refundendi securitatem et hypothecam teneret. Quibus omnibus non obstantibus Ormonius et Ormonistae loca illa Eugenio hac aestate bello eripuerunt, neutra ipsi summa numerata.

(538) Captis praeterea eodem tempore minoribus aliquot praesidiis, quae Parliamentarii in eadem Lageniae Provincia interius occupaverant, missus est Insequinnius jam Ormonio atque Ormonistis conjunctus cum fortissima exercitus, qui prope totus Catholicus erat, parte ad majora eorundem Parliamentariorum in ea vicinia oppida et propugnacula expugnanda. Quam ille expeditionem animose suscepit. Nam primo Trimmum cepit. Deinde Vadipontum, nobilem urbem vigesimo a Dublinia lapide ad mare sitam expugnavit, exinde progressus Dundalkum expugnaturus. Quo tempore Eugenius jam contractis cum Monko, Dundalki | Gubernatore, induciis eo misit sui exercitus partem, quae a Monko juxta pactas conditiones pulverem nitratum et fomites militares asportaret. In quam ad Eugenii castra redeuntem Insequinnius irruit, caesis multis, et captis ducibus cum illo apparatu bellico. Hic ex Eugenii copiis mille ducentosque caesos ac profligatos fuisse, eosdemque Monko opem laturos author est Philopater. Verum Nicolaus O Bern jam dictus, illius exercitus Ultoniensis Vicarius Generalis,

1943

v

hactenus saepe nominatus, nec numerum diffinit, nec eos opem Monko venturos, sed in reditu cladem illam passos tradit. Utcumque fuerit Insequinnius tunc Dundalkum in suam potestatem redigit, Monko fuga maritima in Angliam dilapso, secutaque deinde spontanea Carlingfordiae ac Neurii, maritimorum pariter oppidorum, ditione.

(539) Inter haec Scotti in Ultonia cum viribus et oppidis, quibus ibi praeescent, regias partes secuti Ormonio Proregi adeo obtemperabant, ut non nulla in ea Provincia minoris momenti praesidia Anglis sub Parlamento Anglicano stipendia facientibus eripuerint, et Deriam seu (ut novo nomine appellant) Londonderiam, quod oppidum satis munitum pene Anglos Parliamentarios esset, obsederint. Ubi ab obsessis ad initium Maii insignem passos fuisse cladem, sed non propterea obsidionem deseruisse litterae tunc Nuncio ex Ibernia in Continentem 16 Maii 1649 scriptae habent. |

(540) Itaque eo loci res devenit, ut tota Ibernia mense Julio 1944 Ormonii imperium sequeretur, excepta Dublinia in Lagenia, et Londonderia in Ultonia a Parlamento Anglicano stantibus, et Eugenii O Nelli copiis inter ambas partes in arcto positis, ita ut Londonderiae obsidio continuaretur, et Ormonius se ad Dubliniam obsidendarum accingeret.

(541) Eugenius certo scivit, his duobus locis semel expugnatis, omnes Iberniae partes diversas, Scoticas, Anglicas, et Ibernicas, Catholicas et haereticas, in se suumque exercitum irruituras sub Ormonii, Ormonistarum, atque adhaerentium vexillis, a quibus multifariam infensissimis nullam expectaret misericordiam. Ad quas angustias caeteris anterioribus arctiores ne redigeretur, prius variis modis operam dederat, ac primo quidem per suos cum Principe Roberto egerat, ut aequis conditionibus sub ejus imperio pro fide, Rege, et patria in Parlamentum bellaret. Principe enim paulo ante Nuncii discessum Kinsaliam, Momoniae in Ibernia oppidum maritimum, ex Hollandia cum aliquot navibus regiis appulso, Nuncius a non nullis consultus annuit ut mox a partibus sibi in Regno adhaerentibus ejus benevolentia conciliaretur, quatenus Princeps illis apud Regem, amitinum, cui carissimus esset, patrocinaretur, et cum ipsis in Ormonium causam nedum regiam, sed etiam Catholicam, a qua haud abhorrente videbantur, secundaret. Ad quod consilium exequendum in instrumentum omnium aptissimum electus est, qui totius negotii seriem et | acta non nulla eodem spectantia quibusdam sibi fidissimis postea

Romae credidit. A quibus et ea ego recepi. Is fuit Joannes Vangyrishius, natione Germanus et religione ab aliquot retro annis Catholicus, quem nec non cohortes Conacienses a Nuncio stantes vidimus anno superiori, praeter alia ibi memorata, Aranias Insulas Conaciae in Oceano respondentes, et paucula millaria dissitas occupasse, quas etiam tunc exindeque vallarunt, et Eugenio O Nello ita obsequium devoverunt, ut Vangyrishium ab ipsis Conaciensibus electum etiam Eugenius sub se earum virium ducem atque Insularum Gubernatorem mandato instituerit, antea notum et charum Principi Roberto, a quo etiam tunc missus est, qui eum de suo appulso certiores redderet, et rogaret ut ad se veniret. Fuit enim Vangyrishius multis modis industrius, ad stratagemmata praesertim et machinas bellicas excogitandas natus, quem etiam anno 1647 cum Concilio Supremo egisse invenio de facultate et mediis obtainendis, quibus nedum aliorum metallorum, sed etiam argenti fodinas in Ibernia effoderet, et ea ratione copiosum belli nervum conflarebat. Nec scio quorsum ejus votis Concilium non acchieverit?

(542) Vangyrishius cum ante Principis Roberti adventum omnium Nuncio atque ejus partibus adversantium inimicitiam sibi conciliarit, haud se itineri versus Principem committendum duxit absque salvo conductu, quem | tamen Ormonius non concessit, nisi ea lege, ut ad se recta veniret. Ille vero ab Ormonio sibi valde metuebat, et alia jam tacta meditabatur. Itaque Nuncio jam Ibernia egresso, varia a sui consilii fautoribus, Conaciae et Momoniae viris nobilibus, obtinuit acta Anglica Principi, ut cum ipso evidentius ageret, exhibenda, quae hic temporis ordine Latine verto.

(543) " Nos infrascripti Chiliarchi sincerorum Catholicorum partes ab incepto semel bello semper secuti, et haud obstantibus tot regiminis mutationibus, a nostro in Ecclesiam obsequio, in Regem fide, ac pietate in patriam nunquam dimoti, adeoque juramentum de propugnanda religione, de Regis praerogativis defensandis, deque privilegiis et immunitatibus nationis nostrae sub tam diuturna servitute gementis vindicandis delatum nobis a faederis Catholici Ministris *Status* licet a se ipsis, quorum utique nutum maneremus, temeratum usque in praesentem diem minime transgressi; tametsi vana, diuque languente subsidiorum expectatione inescati patrimonia in milites, ne delaberentur, sustendandos impenderimus, peneque facultates in ea re exhauserimus, usque adeo ut impresestiarum consumpti, et ad extremas rerum angustias redacti, animum prope

despondeamus, nihilominus sperantes futurum ut Vangyrius, militum Tribunus, promissis stet, nobisque ante diem abhinc vigesimum alterum pecuniarum armorumque opem ferat, promittimus et ea, quae viros nobiles decet, fide spondeamus in vitae nos, libertatis quoque et possessionum periculum copias militares non | dimissuros ante primum supra vigesimum abhinc diem, et tunc dum subsidia non desint producturos in aciem in diversis locis trina saltem solida virorum millia armis instructa, tum vero atque exinde fore paratos cum variis nostris legionibus ad suscipiendam quamlibet expeditionem juxta mandata a nostro Praefecto generali, eo scilicet qui subvenerit intimanda, omnem denique nos interea temporis operam adhibituros, ne quae possidemus loca munita in aliorum potestatem permittamus. In cujus rei fidem calculos apposuimus.

1945
v

Galviae 6° Aprilis 1649.

Dermitius O Brien. Richardus Boorkus.
Donochus O Connor."

(544) "Cum ita res se habeat ut nobis infrascriptis Vangyrius, Chiliarchus, aperuerit, opportunam offerre se modo occasionem, qua nos aliquie ex hac calamitosa natione nunc sub crudeli modernorum haereticorum et schismaticorum Ministerum Status jugo praegravata viri nobiles sublevemur, adjuvemur, et suffulciamur sub longe celeberrimi, celsissimi, et potentissimi Principis Roberti protectione, quo Ecclesiae causa promoteatur, monarchia sustentetur, democratis et aristocratis jam ad haeresim et schisma aequa fovendum, atque ad religionem orthodoxam ac monarchiam restinguendam plus nimio introducta supprimatur, et quo suas nationi nostrae sub diuturna servitute squalenti immunitates sartas tectas reddamus. Hinc non nostro modo, sed etiam adhaerentium nomine, eam quam nobilium virorum esse convenit, fidem astringimus, nos intra dies quindenos, postquam de transmissis subsidiis | et praestita protectione nobis constiterit, contrac-turos in unum exercitum intra Conaciae occidentalis limites robustorum pugnatorum millia quina, tunc quoque, et ibidem, atque exinde in vitarum, libertatum, et dominiorum discriminem, et usque ad effusam nostri omnium sanguinis guttam ultimam observaturos jussa, mandata, et praescripta dicti Principis, quem utique ad promovendam religionem, ad tutandam Monarchiam, et ad afflictam modo nationem nostram in sua jura et praerogativas restituendam in Protectorem cooptamus.

1946

Quod et calculis nostris hic adjectis munimus 9° Aprilis 1649.

Mor. Flaherty. Teigus Flaherty. Rogerus
Flaherty. Mor. Flaherty. Edmundus
Flaherty. Teigus O Flaherty. Mor. Flaherty.
Thad. Flaherty. Brienus O Flaherty."

(545) "Ego viri nobilis fide spondeo, modo superius contento,
me partim in Corcagiensi, partim in Kierriensi Comitatu
contracturum in unum corpus ad diem vigesimum alterum tria
millia pugnatorum, et in eum finem meis atque omnium partes
meas sequentium verbis nomino et eligo caros fidosque amicos,
praefatum Vangyrishium, Chiliarchum, et D. Nicolaum Hal-
pennum in Procuratores, qui res nostras in sua Celsitudinis
aula, ubicumque demum illa teneatur, prosequantur. In cuius
rei robur subscripti et subsignavi hac die 12 Aprilis anno 1649.

Don Dermitio O Sullevan More."

(546) "Ego infrascriptus verbo viri nobilis in me suscipio
onus conscribendi ad praefatos fines in Comitatu Tiperariensi
pedites mille et equites centum, simul ac mihi innotuerit |
jam dicta subsidia fuisse suppeditata. In cuius rei fidem manum
apposui. 16 Aprilis 1649.

1946 v Joannes O Kennedy."

(547) Vangyrishius in quorundam ex his consessu, qui ante
ejus discessum aderant, ad rei sacrae finem sancte protestatus
erat nullum a se lapidem non movendum, quo manum ipsis
auxiliarem procuraret, et tam ille quam illi coitam societatem
jurejurando firmarunt. Quo facto discessit, et multis per viam
periculis defunctus, cumque aliis in transitu simile faedus pactus,
Kinsaliam ad Principem Robertum, vel (nam utroque modo
scribi video) Rupertum, pervenit, Ormonio, quod suas manus
evasisset, molestissime ferente, qui pactiones illas odoratus,
easque conjurationis ac concitatae in suam autoritatem
seditionis loco ponens, Principem, misso nuncio, rogavit ut
eum sibi sistendum curaret. Quod tamen successisse non video.
Vangyrishius autem audita a Principe Ormonii querela dedit
Anglice ad eundem Proregem hanc epistolam :

"Excellentiae vestrae placeat.

(548) "Intelligo a sua Celsitudine, Principe Roberto,
Excellentiam vestram recepisse non nullam in me inquisitionem
per D. Theobaldi Boorki epistolam, nempe me in seducendis ad
rebellionem suae Majestatis subditis, vel ad obsistendum
praesenti regimini sceleratum esse instrumentum, et circa
eiusmodi causas ad suam Celsitudinem venisse. Qua pos-

tulatione cum non solum me ipsum injuria affici, sed etiam suam Celsitudinem tangi videam, aequum duxi omnium, quibus dicta suspicio et falsa inquisitio subnituntur, transactionum et mei huc itineris occasionis exactam Excellentiae vestrae reddere rationem. Itaque ubi ea animi sententia ut Excellentiam vestram Limerici vel Corcagiae assequerer, meum huc iter suscipere statuissem, illi, qui accusantur, vel eorum non nulli, cum mihi familiares essent, ad meum cubiculum accesserunt, et auditio me huc profecturum esse, non nullas mihi gravaminum suorum querelas suaे Majestati a sua Celsitudine praesentandas tradiderunt, praesertim circa nuperam praedam ipsis atque amicis a D. Marchione Clanricardiae abactam, et super sui ipsorum nec non militum, quos in suaे Majestatis obsequium ducunt, transportatione in Syllinas Insulas &c. Quae cum ab ipsis accepissem, deindeque futurum considerasset ut ejusmodi scripta, si apud me inter viam reperirentur, in malam partem acciperentur, et mihi molestiam crearent, ea Galviae ante discessum igni litavi et Excellentiam vestram inter veniendum assequendi (quo tua mandata juxta fidem publicam a te datam absolverem) voto frustratus; huc ad suam Celsitudinem me contuli, atque ad exequendas magni momenti res suaे Majestatis obsequio profuturas, quas nunc chartae committere tutum non est, operam obtuli, atque hactenus semper suaे Celsitudinis mandata super iisdem recepturus hic expectavi, speroque futurum ut meas illa ex parte cogitationes brevi ad faelicem exitum perducam, quo Excellentia vestra suo tempore maximopere gaudebit. Quod autem ad Flahertiorum causam spectat, eam ego non nisi perfunctorie et oretenus tractavi. Ad quam sua Celsitudo respondit quoad eorum gravamina sibi nihil esse cum civili regimine, sed si sua Majestas huc veniret, se illis commodaturum quantum posset." Haec ad Ormonium Vangyrius, qui postea Romae retulit se tunc Principem ea rerum notitia imbuisse, ut ei suaserit persuaseritque nedum ab irritandis Catholicorum partibus a Nuncii atque Eugenii O Nelli nutu pendentibus se contineret, sed et Ormonio eique morem gerentibus neutquam cohaereret, proindeque nec Proregi sena librarum Anglicanarum millia cum tribus navibus apparatu bellico oneratis a Rege in subsidiorum decreta missaque numeraret, sed in Catholicorum partes Ormonio adversantes magis propenderet, ipsisque tres magnas naves, pulverem nitratum, tormenta bellica, atque alias suppetias centum et quinquaginta scutorum millia valentes des-

1947

1947
v.

tinaret, sed a classe Parlamentaria postea obsessas et transmissione interclusas. Porro Vangyri shius Kinsalia suae legationis eventum iis, a quibus missus accesserat, significavit, cum quibus praefata consilia ad tempus fovit, idque egit ut Princeps Robertus meliorem de Eugenio O Nello ejusque mente opinionem concedererit atque operam dederit, ut aequis conditionibus Regi in Parlamentum Anglicanum bellaret. Huc spectat Principis ad Ormonium epistola longe prudentissima, quam ex Anglicana Latinam reddo.

1948 "Excellentissime Domine.

(549) " Audio Eugenium O Nellum, non obstante tuo prolixo tractatu et multis aequis conditionibus ipsi oblati, jam cum Jonio et reliquis e partibus Parlamentariis societatem coisse, quae ad pessimumdandum Regni statum tendit et ad suae Majestatis vires enervandas. Ipse porro ex parte persuasum habeo, eum ab admittendis dictis conditionibus abhorrente, quod de tuo procedendi modo suspiciones et dubitandi ansam tametsi acceptam potius quam datam, meramque diffidentiam conceperit, quam ille adeo altis apud se radicibus actam alit, ut ea nisi aliorum interventu extirpare non valeat. Video pariter partium studia ex hoc fonte in singulos dies magis magisque pullulare, et dissidium tantopere recrudescere, ut per diversos Regni tractus in immania ulcera erumpat. Quod parum addiderit animos suae Majestati ad trajiciendum huc inter nos, cum tamen id solum ipsi sit reliquum, quo in solium Regium restituatur. Sed nec mihi liquet ullam tibi ad amputandas hasce divisiones superesse viam, nisi forte vi et armis praevaleas. Quod nec ipsum penes te est, considerata Parlamentariorum potestate, eorumque faedere cum praecipuis capitibus et principibus tibi succensentium indigenarum, quorum timendum est ne numerus potius crescat quam decrescat, si igne et gladio impetantur. Quotquot sumus omnes experientia fuimus erudit in similibus occasionibus inter horum temporum calamitates. Perpendamus civitates nostras et cincta muris municipia in ipsorum gremio discordiis flagrare, et municipum plerosque, ac praeceteris vulgum (Catholicos Romanos volo) jure vel injuria in Eugenii O Nelli partes propendere, eorumque, qui Protestantium fines incolunt, quin et copiarum militarium his adhaerentium partem potissimum corde et animo ad Parlamentum inclinari. Quare si nationem tyrannicis hisce bellis intestinis implicuerimus, Catholicae et civitates et regiones pro nobis facientes ad

Eugenium O Nellum, dum unius diei victoriam reportaverit, deficient, parlique ratione si Jonius vel unico praelio evaserit superior, aut ullius momenti auxilia Parliamentaria in quocumque ex Protestantium nostrorum tractibus exscensionem in terram fecerint, dubio procul nostrorum *Protestantium* portus et coloniae a nobis descissent. Quare suae Majestatis gratia tibi author sum ut ad me confestim transmittas binos salvos conductus in *albis*, ut quos ipse ad res peragendas magis idoneos judicavero duos seligam viros nobiles, eosque ad Eugenium O Nellum atque alios ab ejus nutu pendentes allegam, quo eorum sensa explorem, et pertentem si quid in suae Majestatis obsequium cum ipsis proficere valeam. Quippe mihi suggestum est velle eum libertissime Regi coalescere, eique non minus in hoc Regno quam in Anglia suppetias venire securis pollicitationibus et legibus haud iniquis. Quod si mihi circa haec postulata in promptu non provideas, eum in finem ad ipsum Regem recursum habere compellar. Nihil enim mihi videatur magis quam hoc Regem concernere, aut minus | pati moram. Quod totum tuae ipsius prudentiae perpendendum relinqu. Kinsaliae anno 1649." Hactenus Princeps.

1949

(550) Tradit author meus Principem misisse, qui hanc epistolam Ormonio porrexerit, sed ejus operam incassum recidisse, et Ormonium non solum Principis postulatis non acquivisse, sed etiam effecisse ut Rex Principem in affectandae corona Iberniae suspicionem vocaverit, atque adeo ipsi cum Eugenio O Nello transigendi denegatam ab Ormonio non fecerit potestatem. Et sic iste reconciliandarum partium conatus in fumum abiit. Invenio tamen ipsum Ormonium, cum Episcopus Fernensis et Nicolaus Plunkettus Eques antea ad Eugenium allegati nihil profecissent, postea et alios ad partes reconciliandas destinasse. Verum authore D. Nicolao O Bern, qui se interfuisse affirmat, Richardus Barnevallus, Census equestris, ab Ormonio et Commissariis fiduciariis missus cum Episcopus Clogherensis ab Eugenio in Commissarium destinatus de conditionibus ageret, respondit, nec Ormonium nec ejus partes viribus Ultoniensibus indigere, nec ullum esse in Ormonii exercitu angulum, cui Eugenii O Nelli vires opus forent. Quo factum ut Eugenius velut ad statum desperatum redactus cum Carolo Cooto, Londonderiae jamdudum a Scotis Ultoniam incolentibus obsessae gubernatore, Parlamenti Anglicani imperium sequente pactus sit, se ea lege in obsidentes irruiturum, ut Carolus omnes ejus vires duobus mensibus

1949 sustentaret, | et nescio quantam pecuniae summam ei numeraret,
 v ac pulverem nitratum subministraret. Quae conditiones
 utrinque praestitae fuere. Modum autem quo Eugenius
 obsidionem illam solvit, Philopater exactius memoriae prodidit,
 nempe Eugenium contractis copiis in Ultoniae intima penetrasse,
 et quia Scotorum ibi praedas acturus videbatur, detractas ex
 viribus, quae Londonderiam cingebant, copias ab Ardesio,
 obsidentium praefecto, in suorum subsidium adversus Eugenium
 missas fuisse. Sed hoc explorato Eugenium, itinere e vestigio
 ad obsessam urbem flexo, Ardesium inopinato sui adventus
 terrore perculsum ab urbis confinio fugasse, et denique Carolo
 Cooto secum assumpto in Scotorum illius Provinciae praedas
 involasse, omnia ad ipsos spectantia populabundum. Carolus
 autem Londinum misit, qui 23 Augusti 1649 illo appulsus solutae
 obsidionis nuncia Angliae Parlamento gratissima retulit.

(551) Philopater calamus in Eugenium hic acuit quod
 Londonderiam obsidione liberasset, et regicidarum partibus in
 Regem militasset. Verum facti circumstantias Eugenio in
 purgationem patrocinantes silentio praeterit. Constat autem
 obsidentes fuisse Scotos, proindeque Calvinistas et Calvinistarum
 prope omnium obstinatissimos, et Catholici nominis hostes
 longe infensissimos, quorum natio hoc bellum adversus fidem
 Catholicam et Regem concitarit tanto furore et rebellionis
 aestu ut ipsum Monarcham ad sua castra profugum, | Angliae
 1950 Parlamentariis turpissime vendiderit, et dum haec ipsa hoc
 anno 1649 in Ibernia gererentur, Edinburgi pseudo-Cleri Conciliabulum laicorumque Comitia celebrarit, quorum duea binae
 litterae, unae a Conciliabulo 6° Augusti, et aliae a laicorum
 Comitiis 7° ejusdem mensis ad Regem datae atque inferius
 memoranda, eandem in Iberniae Catholicos etiam Regi sub
 Ormonio obtemperantes rabiem spirant. Accedit Ultoniae
 Scotos, in quos Eugenius tunc irruit, specialiter de Ibernia, ac
 potissimum de splendidissima antiquissimaque Eugenii familia,
 deque universa Ultoniae Provincia pessime fuisse meritos.
 Qui scilicet a Rege Jacobo in Tironiae ac Tirconalliae Comitum,
 atque aliorum Procerum et nobilium Catholicorum Ultoniae
 fidei causa stirpitus eradicatorum locum substituti, in ejus
 filium justo Dei judicio insurrexerant et toto bello Catholicos
 praesertim Ultonienses ferro flammaque dilaniaverant. Quodsi
 pacem hoc anno cum Ormonio conclusam amplexi sunt, et
 Regi sub ejus praefectura obsequium devoverunt, id non nisi
 ea lege factum, ut in majorem Eugenii suorumque compro-

vincialium ruinam ac fidei Catholicae in Ultonia excidium, et contra faederis Catholici susceptique juramenti spiritum et litteram eaedem ipsis vastissimae possessiones confirmarentur, alias facili negotio deturbandis, si haec pax Catholicos Ultonienses in integrum restituisset, ea conditione Regi etiam sub | Ormonio cum excludere eum incassum sategissent, libenter obsecuturos, et illam Calvinisticam Scotorum coluvionem extrusuros. Quam Scotti ruinam declinaturi, Regis obsequium suo commodo praetendarunt et tempori servierunt, postea ad genium reddituri. Caeterum quam ludicum atque umbratile fuerit hoc eorum obsequium Regi praestitum ex eo satis constat quod Prorex Ormonius nec praesidia in eorum munitionibus collocarit, nec praefectos in eorum finibus mutarit, nec vectigalia publica in belli sumptus ipsis imperarit, nec aliis experimentis eorum fidelitatem probarit, sed omnia ipsis sicut antea permiserit ea tantum lege ut Anglos Parlamento obtemperantes adorirentur. Quod illos specie quidem ut Regi obsequerentur, sed de facto ut suos in Ultonia fines servarent augerentque, commodissimamque illam deprehendi occasionem arriperent, praestitisse docuit eventus postea secutus, cum facillime (sicut videbimus) deficiendi iterum ab Ormonio et Ormonistis ansam amplexi sint, suam imitati Scotiam, quae anno insequente (ut videbimus) Regem induxit ut eandem pacem contra fidem publicam refixerit; in religionis Catholicae excidium et Calvinismi propagationem jurarit, atque Iberniae Catholicos, etiam Ormonistas, legum haereticarum crudelitati mancipandos decreverit. | Quis ergo Eugenio vertat probro, quod in illam hominum pestem impetum fecerit, praesertim ab Ormonio aliquaque haereticis et Ormonistis jam ad statum pene depositum redactus, praesidiis in Lagenia excussus, viribus ad Dundalkum recens imminutus, bello aperto jamdudum petitus, et nulla ob defensam toties patriam mercede donandus, sed potius certus in se suosque dirissimo quovis supplicio cruciandos, deque facie terrae delendos, totius Iberniae vires etiam illas Scoticas esse convertendas, capta semel Londoneria et Dublinia, duobus tantum locis Parlamento Anglicano tunc superstitibus. Nec hic video premere quod praeterea objicitur, nempe Eugenium ita suos hostes, Scotos illos dissipasse ut obcessis Parliamentariis una commodarit. Nam Parliamentariis viribus in Scotos, pessimis inessimis usus est, ut se suosque alias perituros servaret, opportunam a Deo expectans occasionem, qua patriotae ad primevum faederis Catholici statum redirent, et una omnes utramque haereticorum Angliae

1950
v

1951

et Scotiae partem deturbarent. Huic sanctissimo scopo Eugenium semper institisse liquet, et nunquam in votis non habuisse ut in eundem universi Regni Catholici totis viribus collinearent.

(552) Ad alia paulisper digredior. Siquidem Patricius Crellius, Ordinis Cisterciensis, Abbas Niurensis, seu *de viridi ligno* in Ibernia anno 1648 (ut praelibavimus) cum Marchione Antrimiae ex | patria Insula in Galliam navigavit. Ubi Antrimius et Marchio Montrosanus, natione Scotus, rationem inierunt, qua in Scotiae Puritanos adversus Deum et Regem rebelles bellum innovarent. Cumque Montrosanus anno 1647 de bello illo prosequendo cum Massario in Gallia egerit, et re per litteras inter Urbem, Nuncium Galliarum, et Iberniae Nuncium in religionis atque Ibernorum bonum communicata, Iberniae Nuncius Antrimium ex Ibernia in Galliam anno 1648 trajec-
tum monuerit ut id consilium promoveret, hinc Crellius anno 1648 Antrimio domum regresso Romam petiit, ubi quid hoc spectans proposuerit sequens charta se decebit.

*"Rationes quibus persuadetur, Suam Sanctitatem et
alios omnes interesse habentes auxiliari debere
honoratissimo D. Marchioni de Antrim in Bello
contra Scotos suscepto, quod pro Romana Catholica
Religione initum esse dignoscitur.*

(553) " Illud in primis observandum, a quo scilicet primum tempore haeresis seu *Protestantica*, quam vocant, religio Regnum illud infecerat, anno nimurum 1560 aut circiter lege publica et capitalis sub paena supplicii edictum prodiit, quod nullus sacerdos Catholicus ibi moram trahere attentaret, eademque paena publica divina mysteria peragentibus et audientibus statuta est. Tamen per Dei gratiam anno a Christo nato 1644, cum exercitus in Ibernia mille quingentorum Ibernensium conscriptus ab honoratissimo D. Marchione de Antrim ex lectissimis suis vassalis eo destinaretur sub conductu | et regimine D. Alexandri Mac-Donel, cognati sui, ea quae necessaria ad illam expeditionem videbantur, supremum Iberniae Confaederatorum Concilium providit, quo ad arma, apparatus bellicos, commeatus &c. Cui etiam exercitui comites se praebuerunt praecipue sacerdotes saeculares et Regulares non pauci, qui omnes Scotiam ingressi eum, faventibus superis, progressum fecerunt, et ita animis ac viribus praevaluerunt, ut, non obstantibus legibus antedictis, cultum Dei Opt. Max. ritu Catholico publice fuerint professi. Itaque ita ex votis

res successerant, ut plures tam ex Insulis quam ex continentia Scotica, amore praefati Illustrissimi D. de Antrim, cognati sui, et familiae potentissimae ac numerosissimae in Ibernia principis, partim conciliati, abjurata haeresi, orthodoxam religionem amplexi sint, ut ex annexa *Protestantium Theologorum* Scotiae supplicatione appareat. Si ergo rursus tam Ibernorum quam aliorum Catholicorum, ac maxime sanctissimi Domini Papae ope et auxiliis eandem viam terere aut consimilem exercitum reparare posset praefatus Illustrissimus D. Marchio, plures absque dubio animas Christo lucraretur, et evulsi haeresum fibris Catholica religio cum pristino splendore caput ibidem attolleret.

(554) " Secundo inde etiam germanam religionem stabiliendi spes major effulget, quod plerique Regni illius dynastae Proceres ac principes viri, utpote Marchio Huntleus, maxima pars militiae ac praepotentis Gordonorum familiae, aliqui aquilonares principes viri ut Marchio Duglasius, Nidelsius, Comes Montuinus, Dominus Harisius, aliqui Barones | ac generosi viri Scotiae Meridionalis animis ac mentibus Catholicis sunt, et nisi nimia legum paenitentia tam civilium quam ecclesiasticarum saevitia obstaret, eandem publice profiterentur. Qui omnes, si viderint auxiliares Catholicorum illis submitti copias, procul dubio vires suas his conjungent, ut omni Puritanorum feritate depressa, religioni vim suam, Regi sua jura restitui ac servari facient, idque regna alia haeresi infecta multum turbabit ac dejiciet, cum viderint Scotos orbis Christiani rigidissimos sectatores ac novatores ad avitam religionem orthodoxam conversos.

(555) " Sed et illud Dei legem zelantes ad hanc causam fovendam promovendamque erigere debet et accendere. Etenim mille quingenti supranominati Marchionis nobilissimi de Antrim ejusque amicorum et affinum suffulti subsidiis et Imperatoris Alexandri praedicti artibus, sex diversis in praeliis, etiam ex haereticorum ipsorum confessione, triginta hominum millia occiderunt, et quinque millia Puritanorum ac rebellium ad captivitatem redacti sunt.

(556) " Cum idem Illustrissimus Dominus Marchio de suorum in Scotia victoriis resciret, ipsemet in Scotiam praeclaris de hierarchia ecclesiastica personis comitatus navigavit. Ubi faelices in dissipandis hostibus ac re Catholica promovenda fecit progressus, et cum interea temporis Rex serenissimus Angliae in Scotorum redactus potestatem, ipsis admittentibus expresse per litteras Regio sigillo munita eidem D. Marchioni

1952
v

sectorios

1953 mandavit, ut arma | mox deponeret, quae antea regia suffultus authoritate assumpserat, incensus tamen nobilis ille Dominus propagandae fidei purioris zelo ejusmodi noluit obtemperare mandatis, animadvertis quod Scoticum juxta et Anglicum Parliamentum conjunctis viribus rem Catholicam in utroque Regno affligere seu penitus extirpare meditati sunt. Quod praesentiens dictus D. Marchio in Iberniam, ubi modo est, remigravit, eo animo ut relictis quas in Scotia habebat, sub conductu dicti Alexandri copiis, nova illo Regno subsidia et novum auxiliarem exercitum in Scotiam mitteret. Quo in negotio ita apud generalia Iberniae Comitia praevaluit, ut jam publico decreto quinque armatorum millia cum bellicis apparatibus in Scotiam sub conductu germani ac unici fratris sui, D. Alexandri Mac-Donel, transmittenda impetraverit.

(557) "Denique D. Marchio exhaustas pene videns Regni Iberniae vires continuis bellorum tumultibus ad resistendum duobus Parlamentis non sufficere, per Agentem suum et Procuratorem Reverendum D. Abbatem de Nurii humiliter a Sanctissimo Domino Papa petit obsecratque, ut perpensis omnibus antedictis nova subsidia in Scotiam tam orthodoxae professionis propagandae quam Regni Iberniae conservandi gratia mittere dignetur, sine quibus Regnum illud subsistere nequit, ut per Agentem praefatum Suae Sanctitati ostendetur. Denique humiliter petitur ut Illustrissimus Dominus Iberniae Nuncius circa predicta regenda vel moderanda pari potestate in Scotia et Ibernia fulciatur. Caetera oretenus ab eodem Agente explicabuntur." Hactenus illa scriptura. |

1953 (558) Crellium in petendis Romae subsidiis oleum et operam perdidisse non dubito. Mutata enim tunc rerum Ibernicarum facie, Sua Sanctitas se Ibernis incassum subvenisse experta parum propenderit ad pecunias in illud bellum Scoticum prodigendas, a quo longe minorem fidei progressum expectaret. Regressus autem ex Urbe Crellius Londinum petiit, ubi se totum tricis politicis immersit, et cum *Independentibus* tunc in Anglia dominantibus egit, quid, quomodo, vel qua autoritate nisi forsan ab Eugenio O Nello atque ejus exercitu derivata? haud scio praeter ea, quae hic promam. Lego siquidem in quadam epistola satis prolixa Londino a quadam Catholicum et Regium profitente 26 Martii 1649 scripta pauculos ex Angliae Catholicis Independentium factioni adhaesisse, necessitate (credo) et temporum injuria coactos, et (ut credere par est)

mente bona sed improvida obtinendi a nefariis illis regicidis utiles sibi, suisque, nedum religioni Catholicae, conditiones, modo se illis ad alios Catholicos in ipsorum partes adversus Regem attrahendos instrumenta paeberent. "Quo circiter tempore (inquit Anglice author epistolae) iisdem etiam persuadentibus quidem Crellius, negotiosus et ardentl cerebro Ibernus Monachus, adeo in patria sua ob facinora turpiter patrata undique agitatus, ut absque speciali Papae, Reginae, Proregis aut Parlamenti, ad quos omnes recursum habuerat, autoritate domum se conferre non auderet, huc conductus fuit, his negotiatoribus ipsi pollicentibus | se ejus causam cum Parlamento singulariter acturos, idque affectuos ut in Iberniam mandato munitus mitteretur. Verum re ipsa eo animum intendunt ut ad agendum pro se ipsis cum Independentibus ejus opera utantur, spondentes se, si Independentes secum in Anglia societatem coierint et convenerint, peracturos ut Iberniae etiam Confaederatos ad eorum partes illiciant." Sic ille. Qui ibidem dicit se partim a jam dictis pauculis Angliae Catholicis, partim ab ipsis Independentibus hanc occultam conventionem rescivisse. Porro liquet ex Crellii litteris mense Maio 1648 Lutetia Parisiorum ad Nuncium in Iberniam datis, et superius positis eum tunc judicasse expedire ut Catholici cum Independentibus contra Praesbyterianos, et omnes etiam Regios, qui Praesbyterianis cohaererent, faedus percuteretur, cogitasse. Parum etiam dubito quin antequam Lutetia Romam anno 1648 contendit, Galliarum Nuncio et in Urbe aliis persuaserit hanc fore religionis Catholicae in Ibernia, Anglia, et Scotia resuscitandae atque haereseos profligandae viam unicam, facilem, et efficacem, eumque in Anglia nedum Catholicorum pauculis illis suae mentis consciis et sociis aliunde et forsan plus ipso eadem opinione occupatis, nec non ipsis, cum quibus in Anglia egerit, Independentibus, imo Independentium primoribus egregie imponendo se non sua solius, nec solum Eugenii O Nelli atque exercitus ejus, sed etiam Pontificis Innocentii, quorundam Cardinalium aliquandis Romae deliberationibus praefectorum, et Nunciorum Apostolicorum | Galliae atque Iberniae authoritate velut legatum de rebus illis agere. Verum Nuncius Iberniae (sicut alibi tetigi) anno 1648 eum Marchioni Antrimiae ex Ibernia in Galliam navigaturo associaverat tantum ut suo consilio facilem Marchionis indolem inter obeundum illam legationem moderaretur, atque eum in aliorum duorum collegarum Ormonio studentium sagacitatem muniret, sicut ipse Iberniae Nuncius tunc Cardinali Panzirolo 5 Februarii

1954

1954

v

Reg: 1648 et Galliarum Nuncio eodem die litteris etiam arcanis
 p. 579 et scripsit. Et licet Nuncius iisdem binis litteris, nec non aliis
 580. aliquanto posterioribus 17 Februarii eodem anno Galliarum
 Reg: Nuncio scriptis, hominem illum apud ambos velut *stabilem,*
 p. 585. *fidelem, imo fidelissimum,* magna apud Antrimium auctoritate
 valentem, proindeque fide dignum commendarit, haud tamen
 invenio eum a vitae probitate laudasse. Crellum ergo, hominem
 industrium, hoc aditu in Nuncii Galliarum familiaritatem
 penetrasse, ipsique Parisiis, Cardinali Panzirolo, atque aliis
 Romae ultra illius legationis jam in Gallia frustratae limites
 magnalia circa Independentium et Catholicorum coalitionem in
 fidei atque Ecclesiae utilitatem spopondisse, et ambobus ac
 forsitan multis fucum fecisse licet mihi non constet, imo forte
 tunc sincere se gesserit, eventus tamen postea secutus
 dubitandum suadet. Veri etiam similitudo majorem ipsi fidem
 astruebat. Nam re ipsa tunc late propagata ferebat multorum
 1955 opinio, nihil Iberniae | Catholicis ad exturbandam haeresim
 magis profuturum, quam ut nec Rex, nisi ab haeresi resipisset,
 nec Praesbyteriani, nec Independentes, nec alii ex sectariis
 constanter rerum potirentur, sed se mutuis cladibus conficerent.
 Et hoc quidem generale politicorum dogma videbatur aliud
 velut digito demonstrare, nempe Catholicorum esse, ad alter-
 antes harum partium haereticarum vices et vicissitudines ita
 attendere, ut malis malorum discordiis boni bene in bonum
 uterentur, nunc uno, nunc alio modo pro prudentia, cuius sit
 sibi circa finem semper constare, sed saepe mutare media pro
 circumstantiarum incidentium varietate, quae effecerat ut a
 belli initio, dum Independentes et Praesbyteriani unitis armis
 et animis in Regem rebellarent, Catholici trium Regnorum pene
 omnes Regi partim obtemperarent, partim in aequae pacis
 ab eo obtainendae expectationem studerent, sed postea partibus
 Regiis omnino in Anglia Scotiaque devictis, et mox orta inter
 ipsos victores Independentes et Praesbyterianos de principatu
 contestatione, depressisque ab Independentium factione anno
 1647 demum Praesbyterianis, atque his subito in commodum
 proprium, ut per Regem primo Independentes deindeque ipsum
 supplantarent, Regi coalitis, plurimorum conjectura fuit,
 Praesbyterianis et Regiis inter se unitis Independentes (quod
 etiam tandem aliquando successisse videmus) ita demum suc-
 1955 cubituros | ut (quod semper timendum est) Praesbyteriani
 v Regem et Regios solo aequarent, Calvinisticam erecturi
 Rempublicam religioni Catholicae et Monarchiae exitialem.
 Quare Independentibus rerum potitis, mutataque prorsus

rerum Britannicarum facie, nutarunt hominum consilia, dum eorum lucerna in caliginoso loco non esset par introspicendiis, quae facturiebat ille, qui *lucem habitat inaccessibilem*, et cuius *judicia abyssus multa*. Ex quorum numero fuisse video Crellium arbitrantem expedire ut Catholici potius in Independentes propenderent, non ut ipsis commodarent, sed ut eorum tanquam partis saltem cum tempore futurae Regiis et Praesbyterianis inter se unitis debilioris rebellione in Ecclesiae bonum uterentur, et suis atque eorum viribus haud tam Regi, quam nasciturae (ut timebatur et semper timetur) Praesbyterianorum anarchiae obviarent, atque hac ratione cum haereticorum discordia velut in aequilibrio foveretur, Catholici rebus suis melius consulerent, praesertim illi, qui in Ibernia a Nuncio starent, ab aliis Insulae Catholicis, qui Regi et Presbyterianorum factioni velut jam Regiae per pacem hoc anno 1649 cum Ormonio contractam cohaerentibus depresso, et praestolantes occasionem qua sibi, patriae, reique Catholicae in libertatem omnino asserendae prospicerent, quas rationes etiam Rege, Carolo 1°. securi percuesso, militare arbitrabantur. Nam, licet Regicidium illud vel cogitatu horrendum esset, credebatur tamen futurum | ut abscissa inter Regem Carolum secundum et nefarii sceleris architectos concordiae spe, bellum civile ex illo fonte in Anglia restagnaret, in quo ut Independentes ad tempus se defensuri forent, sensati tamen augurabantur demum a Rege debellandos, cum non solum Angliae et Protestantes et Catholici, qui antea ab ejus patre steterant, sed etiam potentissima Praesbyterianorum in tribus Regnis factio, totaque Scotia, quae duae partes ab inchoato bello Independentibus sed non praedominantibus adhaeserant, iisdem jam Independentibus ruinam intentarent. Itaque cum Rex haud aequas pacis conditiones Iberniae Catholicis concesserit, illaeque ipsae, quas concesserat, haereticis semel concordantibus in fumum abiturae censerentur, a non nullis optimum factu judicatum fuit ut cum Independentibus faedus percuteretur, modo (sicut Crellius et non nulli ex Angliae Clero populoque Catholico fidem Independentibus habentes ostentabant) eas illi concederent conditiones, quae Ecclesiam, nedum Ibernicam, sed etiam Anglicam, Scoticamque ex obstinatissimis tot factionum haereticarum dissidiis olim renascituram sponderent; et ab his quidem suggestionibus mirum non est Nuncios Apostolicos, Cardinales, imo forsan Pontificem Innocentium haud abhorruisse, praesertim cum nullo impendio, nullo mali emersuri metu, imo magna boni successuri spe proponerentur, Ibernorum faedere Catholico jam dissoluto,

1956

atque adeo nulla alia Ecclesiae in illis Insulis restituendae via
(sicut ipsis affirmabatur) superstite. |

1956 (559) Itaque quicquid de Crellii et collegarum quorundam
v Angliae Catholicorum mente in his tractatibus proponendis
dicendum sit, omnino constare debet eos ex jam dictis, cum
quibus in Gallia vel Romae illa consilia commiscuerint, non
nisi pio et paterno in gregem dominicum affectu ductos ipsis
aurem permisisse. Et haec quidem eo insinuavi quod non
ignorem (sicut inferius videbimus) haec negotia eum sortita
fuisse exitum, ut Ecclesiae hostes, quibus totum innotescere
potuerat, et qui mendaciorum myriades addiderint, ejusdem
calumniandae ansam non datam sed acceptam inde arripuerint.
Sane nullam Crellii Londinum nec praefecturi nec profecti in
Nuncii Iberniae chartis ante litteras 14 Aprilis 1649 post mensem
ab ejus in Gallias redditum Cardinali Panzirolo scriptas, et
quantenus huc spectant, superius insertas, mentionem lego.
Ex quo collendum est Crellum antea legationem illam
Londiniensem mente destinasse quam Nuncio communicarit,
praesertim cum Nuncius, dum in Ibernia esset, semper Eugenium
O Nellum cohibuerit ne cum Parlamentariis faedus percuteret.
Denique tunc Iberniae Catholici, si unanimiter consensissent,
et Regi renunciassent, longe meliores a Parlamentariis
obtinuissent conditiones quam ab ipso Rege (sicut a Cleri
Iberni Congregatione Jacobopolitana mense Augusto 1650
observatum fuisse videbimus) obtinuerint, et pace cum Parlamentariis
contracta eorum invasionem declinassent, pace
autem cum Rege celebrata solis ipsorum impensis bellandum
erat Regis causa in Parlamentarios. Quibus addo, prope certum
esse | Parlamentarios tunc nullo modo in Iberiam fuisse
bellaturos, sed suam Iberniae Catholicis Insulam relicturos,
modo, Regis jugo prorsus excusso, solius religionis Catholicae
et patriae libertatis rationem duxissent. Siquidem rebelles
illi tot scelerum conscientia et paenarum metu perculti pene
nihil magis in votis habebant quam ut Iberni Regis imperium
detractarent, quo ipsi nedum ab Ibernis non peterentur, sed
etiam cum ipsis in eum scopum collinearent, exinde futuris in
Regem longe fortioribus, cum alias summopere metuerent ne
ipsi Ibernis, quorum bella semper difficillima experti erant,
Scotis, trium Regnorum Puritanis, Regiarum antea in Anglia
partium reliquiis, et exterorum Principum, quorum intererat
ut illi regicidii atque erectae nuperime Reipublicae paenas
luerent, auxiliis non essent resistendo. Verum Iberniae Catholici,

his rationibus non obstantibus, Regi etiam rebus omnibus spoliato atque exuli in illos Angiae rebelles terra marique potentissimos morem gerendum duxerunt. Quo factum ut Parliamentarii ipsos in Ibernia adoriri, quam in Anglia expectare, maluerint. Porro tres epistolae autographae mihi in Nuncii scriniis occurrunt a Crelio manu propria ad eum circa suam Londini negotiationem ex eadem urbe in continentem partim apicibus communibus, partim notis arcans subinde intertextis Latine exaratae, quarum primam hic legas.

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(560) "Per Reverendum P. Paulum King, uno mense elapso, | Bruxellis ad Dominationem suam Illustrissimam transmisi cunctas transactiones meas a discessu ex Ibernia, et insuper illas quoque quas patrandas habueram Dominationi vestrae Illustrissimae communicandas eidem Patri fusius intimavi. Caeterum modo in Anglia moror per quatuordecim dies adhuc incertus de successu negotiationis meae. Intra paucos dies confidenter praesumo me intellecturum realem eventum propositi, de quo quantocytus Dominationem vestram Illustrissimam certiorem reddam. Interea cum licentia humiliter rogo ut sileat Dominatio sua Illustrissima, vel saltem suspendat determinationem rerum Iberniae. Deum Maximum testor, quantum in iis laboravi, et cum quibus periculis ac difficultatibus, licet nondum absolverim, censeo et non absque fundamento quod intra terminum viginti dierum per me ipsum vel per alium expressum Dominationi suae Illustrissimae omnia referre valuero. Res, de quibus ago, sunt generales et graves, et cum grandibus consilio grandium deliberate ductus in iis procedo, quandoquidem de re totius religionis Catholicae agitur, ut aliquando demonstrabitur. Omnia pro praesenti in Anglia pacata sunt, sed bellum cum tota Scotia firmatur, licet non adhuc per arma publicatum. Rex Angiae (ut videtur) jam de novo, instantia Reginae Angiae, inclinat in favorem Scotorum et Praesbyterianorum. Quod forte non est malum. Factus est a Parlamento Angiae Prorex Regni Iberniae D. Locumtenens Generalis, Oliverus Cromwell, qui cum octo millibus peditatus et quatuor equitatus intra octo dies personaliter versus Iberniam pergit. Dublinium interim obsessum est per Marchionem de Ormond, et duodecim millia, sicuti etiam Sligo in Conacia per Marchionem de | Clanricard, Londonderry autem similiter per Scotos Tirconalliae, et comitatus de Downe et Antrym. Horum omnium eventum Deus novit. D. Eugenius per tres menses

1957
v

1958

indicias contraxit cum Colonellis *Jones* et *Monkes*. Antrimiae Marchio, a quo nuper recepi unam epistolam, stat recte. Certum est. Expectavi hic unum a Marchione Antrimiae et Eugenio O Nello; de quo hucusque nil audio. Dicitur a quibusdam hic quod Eugenius O Nellus tractet cum Marchione Ormoniae. Nil inde habeo certi. Per viam *Tedeni* in Gallia, qui vere sincerus est et optimus, has mitto. Rogo ut per eundem habeam semel aliquod responsum a Dominatione vestra Illustrissima, quia plurimum me mirari facit, non obstantibus innumeris meis ad Dominationem vestram Illustrissimam, quod toto tempore ex discessu meo ex Ibernia ne quidem unam syllabam a Dominatione vestra Illustrissima receperim. Poterit quoque ad me dirigere suas ad legatum Regis Hispaniae in Anglia, ut ante per Paulum King (significavi). Utraque via est satis secura. Deus maximus conservet &c.

Datum Londini 9 Julii stylo veteri 1649.

Pa. Abbas etc."

Inclusa Paulo King.

(561) Hae transactiones, quarum hic Crellius mentionem facit, praeter chartam circa subsidia Romae Antrimio obtinenda superius positam et aliam eodem spectantem sed mihi superfluam, ad meas manus non pervenerunt. Constat autem etiam ex hac epistola Crellium, ex quo in Galliam anno 1648 trajecerat, nullam hactenus a Nuncio epistolam recepisse, proindeque ipso inconsulto in Angliam navigasse ut ibi cum Parliamentariis ageret. Porro si epistolae 26 Martii 1649 Londino scriptae et superius a me laudatae author de Crellio velut jam in Angliam appulso verum dicit, consecaneum esse videtur Crellium juxta hanc suam epistolam Nuncio scriptam et cum altera illa collatam ex Anglia deinde Bruxellas et Bruxellis in Angliam transvolasse. Caeterum ex trium epistolarum jam dictarum, quas Crellium Nuncio scripsisse dixi, secundae initium, quod tantum ad causam praesentem pertinet, hic subdo ipsius verbis satis contuplicatis.

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(562) " Jam uno circiter mense elapso per viam Nuncii in Gallia ad Illustrissimam Dominationem suam scripsi cum una inclusa ad Paulum King, et modo animatus per unicam istam litteram, quam nudiustertius gratulanter recepi datam a Fontanis 27 Junii, Dominationi suae Illustrissimae succincte tantummodo in praesenti intimanda habeo ultra ea, quae per Paulum King citra ultroneas transtuli quod plene cum singulis

iis, quibus quaquaversum polluero, hinc me directe conferam ad Dominationem suam Illustrissimam Romam an aliorum. Interim ut hactenus (cum debita reverentia) praestare firmiter sentio delaturam omni modo determinationem rerum Catholicorum, quia plurima adhuc praerequiruntur ad ejusmodi dispositionem, eaque, quae mihi vel hic vel alibi obviarunt, concludo me ista brevissime instare apud Dominationem suam Illustrissimam, quia Deo adjuvante in fine circiter instantis mensis hinc versus Romam obiero. Intimetur tantum fidis, quia periculum undique Londini 6 Augusti stylo veteri 1649.

"Nihil concludit vel praesumit servus vester absque influentia Ministrorum Regis Hispaniae.

Dominationis suae Illustrissimae

Obsequiosissimus servus ac cliens,

P. Creelly." |

(563) Epistolam, quam hic sibi a Nuncio Fontanis, ubi S. Bernardus natus erat, scriptam fuisse dicit, non vidi. Has autem duas epistolas ab ipso ad Nuncium datas secuta est tertia juxta superscriptionem Nuncio Romam mittenda, cum tamen Nuncius non nisi duobus amplius mensibus posterius in Urbem appulerit. Epistola illa hic sequitur :

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(564) "Non obstante littera mea ultimae hebdomadis ad Illustrissimam Dominationem suam, fultus occasione recessus obsidionis Dubliniensis denuo praesentem intimare assumo. Per annexam Dominatio sua Illustrissima comprehendet cladem et casum exercitus Ormondici ; quod certissimum est. Eugenius O Nellus in Momonia mediate actor. Opinor D. Eugenium minime conjuncturum (se) reliquis turmarum Ormondicarum. Quicquid tamen de simili ad me pervenerit, quantoc�us Dominationem suam Illustrissimam certiorem reddam, et probabile est quod intra viginti dies me directe conferam ad Dominationem vestram Illustrissimam Romam et alium expressum ad Eugenium O Nellum in Iberniam dirigam, utrinque cum plena et solida relatione singulorum tam hic quam in Ibernia. Interim ut hactenus insisto humiliterque obsecro ut suspendatur determinatio rerum Catholicorum, non obstante qualicumque instantia Regis Angliae et Reginae Angliae, vel alterius cujuscumque. Caeterum Cromwell absque dubio cum quatuor millibus equitatus et octo peditatus primo favente vento cum classe centum navium e portu Milfordensi in Iberniam vergit. De

1959

v

Paulo King quid sit, plurimum desidero informari. Quod vero ibi, ejusdem ibidem commorationem consulerem, usquequo supervenisset servus | vester. Praestat et interest, oratque

Dominationis suae Illustrissimae,

Obsequiosissimus servus et cliens,

Londini 13 Augusti,

stylo veteri 1649.

F. P. Creelly."

(565) Hoc totum est quod mihi de tractibus, qui hoc anno 1649 Crelio cum Parlamento Anglicano seu Independentium factione tunc apud Angliam praevalente intercesserant, innotuit. Ad ipsum postea redibit narratio. Hic tantum addo eum cum Parlamento oleum et operam perdidisse, fidemque habet si non constupratum, certe vera bonarum conditionum spe a Parliamentariis lactatum fuisse, ut ejus opera Eugenium in Ibernia, ne cum Ormonio concordaret, pari expectatione inescarent, idque peragerent ut ejus interventu censurarum a Nuncio in Ibernia anno 1648 fulminatarum decisio Romae differretur, quod sperarent hac sententiae peremptoriae dilatione efficiendum ut Catholici interea in Ibernia inter se discordarent, atque in deciduae litis expectationem neutra partium culpam agnosceret, proindeque neutra se alteri submitteret aut associaret. Reque ipsa Crellius praefatis epistolis apud Nuncium instituit, non ut sententia (quod stupendum est) in eorum, qui censuris morem gesserant, favorem a Sua Sanctitate mature ferretur, sed *ut omnis rerum Iberniae seu Catholicorum determinatio suspenderetur*. Quae ejus verba praefatis litteris repetita de censurarum controversia intelligenda esse censeo. Neque enim video, quem | alium sensum exprimant? Quod sane atque alia deinde secuta agunt, ut dubitem ne Parliamentarii tunc (nam saltem postea lapsum fuisse videbimus) Crellii voluntatem emerint, licet illa Crellii opera de facto nihil omnino ipsis profuerit. Controversiae enim decisio Romae dilata fuit non ob illas nugatorias Crellii instantias, quas litis judicibus in Urbe nunquam innotuisse crediderim, sed (sicut retulimus) ipso Pontifice Innocentio X° nolente ut Appellatio admitteretur, nisi Nuncio prius Romam regresso, et donec appellantes acta omnia, quae in Ecclesiae praejudicium tulisse dicerentur, rescidissent, et Ecclesiae in hoc controversiae capite satisfecissent.

(566) Jam restat ut in Iberniam regrediamur, et hanc cladem Ormonii viribus illatam, de qua Crellium Nuncio significasse vides, adumberemus partim ex Michaelis Jonii, qui victoriam reportaverat, litteris Dublinia 6 Augusti ad Angliae Par-

1960

lamentum Anglice datis, et cum Otwaii Centurionis, qui cladi interfuerat, litterasque illas attulit, additamento Londini 11 Augusti excusis, partim ex Philopatro *Vindiciar.* lib. 1. cap. 20., partim denique ex Bellingi, qui etiam ex parte victa se spectatorem fuisse et non nihil cladis pertulisse dicit, *Annotationibus in P. Poncium,* quarum relationum nulla est, quae non aliquid memoret, quo aliae duea carent. Quare cum aliae tabulae mihi non suppetant, unam relationem ex his tribus conficio, fidesque sit penes authores. |

(567) Itaque ex quatuor Regni Provinciis tres, nempe 1960 Momonia, Conacia, et Lagenia tunc, excepta hujus ultimae civitate Dublinensi, Regis Caroli 2 et Ormonii Proregis imperium partim ex animo, partim vi agnoscebant. Cum autem Parliamentariis (ut dixi) Londoneriae in Ultonia, 4^a Regni Provincia, obcessis Eugenius O Nellus nuperrime suppetias venisset, et in Scotos urbem illam obsidentes irruisset, Ardesiae quoque Vicecomiti illarum virium Scoticarum praefecto Regiis affuturo pseudo-Clerus Scoticus obicem posuisset, et Eugenius ac Carolus Cootus, Londoneriae sub Parlamento Gubernator, Scottis in Ultonia pro Rege facientibus molestiam peperissent parerentque, ipsique Scotti suapte sponte haud ardent studio Regis imperium agnoscerent, exinde factum ut ex illa 4^a Provincia Ormonius nulla vel pene nulla ad maturandam Dubliniae obsidionem subsidia expectaret, authoribus Philopatro et Bellingo, cum tamen Jonius ad Parlamentum scripserit, eum tunc indies expectasse Ardesium cum Scotorum millibus, et Clanricardium cum ter mille Conaciensibus, licet Philopater tradat Clanricardio cum suis in Conacia permanendum fuisse, ne Eugenius ex Ultonia in Conaciam irrumperet praedabundus.

(568) Eodem etiam tempore in Ibernia innotuit lectissimum exercitum rebus omnibus ad bellandum utilibus | abunde instructum ad Angliae maritima Iberniae objacentia haerere cum ingenti classe in procinctu ad trajiciendum in Iberniam sub Olivero Cromuello, a nova pseudo-Republica Anglicana in illarum virium Praefectum generalem cooptato ; quem etiam viri fide digni Ormonio retulerant secum decrevisse in Momonia cum exercitu exscendere, ibi cujusdam Gubernatoris haeretici proditione tuto portu fidoque militibus receptaculo potitum.

(569) Convocato igitur Ormonius Concilio militari in deliberationem vocat, utrum satius esset retrocedere, et Dublinia, quae nondum arcta obsidione cincta erat, relicta, exercitum in finitimis praesidiis, praesertim Vadiponti et Trimmi, disponere

v

1961

eo animo ut Cromuellum, si Dubliniam cum viribus navigasset, in Lagenia reprimerent, sin autem in Momoniam transvolarent, ut ejus ibi impetum progressu frustrarent. Et haec quidem (inquit Bellingus) Ormonii sententia fuit, eoque magis quod in eadem consultatione statutum fuisse, ut Insequinnius, Momoniae Praeses, illuc cum magna lectorum equitum manu mitteretur, qui primo belli motui, si inde oriretur, obviaret, et Provinciam illam, in qua etiam Eugenii O Nelli fautores motus ciebant, contineret, proindeque vidisset equitatum, in quo maximam spem | collocaverat, magna ex parte obsidioni abfuturum, certoque didicisset quendam ex Cromuelli ducibus, Reindalum, cum sexcentis equitibus et mille quingentisque peditibus recentissime ex Anglia Dubliniam in obsidendorum opem adventasse. Alii vero exercitus duces secus opinati sunt, affirmantes tormentis bellicis, quae Ormonius ut magis compositus ac minus impeditus esset copiarum recessus, praemittenda censuit, semel avectis, fore ut populus omnem capienda Dubliniae spem abjiceret. In urbem illam omnium animos fuisse conversos quod ea semel expugnata impositas belli prosequendi causa pecunias remittendas sperarent; verendum esse ne illa expeditione omissa, segniorem ad sustentandas copias militares operam adhiberent; eousque etiam populum, quasi re desperata forsitan impellendum ut Eugenio O Nello se conjungerent, et pacem, qua Regia in illos authoritas stabat, rejicerent, pullulantibus jam tum iis discordiarum seminibus, quae plus solito postea in immensum creverunt in agro dominico jacta Ormonistarum, Ormonii, atque aliorum haereticorum coniurationis sociorum malis artibus atque iniurissima pace et regimine, quorum jam haud paucos ipsorum antea fautores nedum alios taedere caepit. Objiciebatur praeterea metuendum, ne, si Cromuellus tanta pecunia fortique adeo exercitu munitus, urbe Dublioniensi necdum expugnata, in Iberniam appelleret, Angli, qui magno numero | in praesidiis atque exercitu sub Ormonii atque Insequinnii vexillis stipendia faciebant, sympathia nationali, Catholicorum odio, inveterata in nationem Ibernicam inimicitia, furibundo suae haereseos et phanatico propagandae zelo, atque insuper praemiis alliciendi ad eum a Prorege deficerent.

(570) His inductus argumentis Ormonius Dubliniam, quam aliquot retro hebdomadas commeatu, messe, et pabulandi licentia e longinquu intercluserat, arctiore obsidione premendam et copias proprius admovendas statuit, quo id spatii, quod inter

castra atque urbem interjacebat, quodque solum obsessorum equis in graminetum supererat, occuparet, ratus exinde futurum ut milites Dubliniae constituti equis fame necandis spoliarentur, marisque commercio, quo sine equitatu frui non possent, continuo prohiberentur, proindeque brevi suos duces et praefectos ad ditionem compellerent.

(571) Quantae autem utrinque fuerint copiae, video inter partes non convenire? Tradit quidem Jonius se cum mille circiter ducentisque equitibus et peditatus millibus quatuor in Ormonii castra erupisse, et Ormonium juxta ipsorum Ibernorum relationem undeviginti armatorum millia ibi sub vexillis habuisse. Bellingus autem, rerum ibi gestarum pariter testis, sed Ormonii studiosissimus, affirmat vix praefato armatorum numero, cum quo Jonius se erupisse dicit, parem in Ormonii castris ea die ad Ratminiam satis extitisse, praeter mille quingentosque pedites apud Baggotratiam, uno circiter lapide ab Ormonii castris dissitam, collocatos. | Verum constat pacis hoc anno cum Ormonio conclusae articulis (sicut superius vidimus) conventum ut exercitum ex 15000 peditum et equitum 2500 Catholici propriis sumptibus sustentarent, quem armatorum numerum minuere et augere ad rerum exigentiam liceret Commissariis fiduciariis Proregi in partem sollicitudinis assignatis. Quare Bellingus pro more sua industria in Ormonii gratiam uti videtur, ut ejus vires minores fuisse persuadeat. Quicquid autem sit de ambarum partium numero, facile crediderim quod Bellingus tangit, nempe Jonio milites veteranos et militari disciplinae assuetos, Ormonio vero plures fuisse tyrones atque inexpertos, utpote per omnem antea provinciam late dispergi, et ducis velut imperio solutos hyemare solitos. Nam Catholicorum urbes, ubi una praescriptis militaribus imbuendi essent, ipsis apud se hyberna pertinaciter denegabant. Quae civium Catholicorum pervicacia toti huic faederatorum bello ab initio atque in progressu haud mediocriter praejudicarit.

(572) Aliud quoque Ormonii viribus hac die obfuisse Philopater et solus, et Ormonio non minus addictus memoriae prodit, nempe ne Eugenius O Nellus (quem a septentrione, si promotam Dubliniae obsidionem inaudisset, suppetias ille obsessis allaturum dicit) septentrionalem urbis regionem inobsessam reperiens libere ingredieretur, ita dividendas fuisse Proregis copias, ut interjectis (praeter amplam civitatem) fluvio ac freto tempestivum sibi mutuo subsidium ferre nequirent, cum praeter tres veterani militis legiones mille ducentique equites

1962
vPhilopater.
lib. I.
p. 168.

lectissimi sub Vicecomite Dillono de Costologh ad Liffei, fluvii, septentrionem ejus | irruptioni, siquid tentaturus esset, objicerentur, proindeque modo jam dicto a reliquo exercitu disjungerentur. Sed sive hoc, cui simile Bellingus tradit, ad veritatem quadret, sive secus, alteram ipse, ut veritati et sinceritati litem, circumstantiam subjungo, nempe in Ormonii exercitu meruisse ex Insequinnii viribus illis, quas Ormonistae spretis Nuncii censuris Momoniae succo et substantia saginaverant, quibus in ipsum Nuncium fautoresque usi erant, mille quingentosque haereticos Anglicanos, quos illa die plus Jonio quam Ormonio victoriam cupisse credendum est, cum in Jonii fidem facillime venerint, et confecta victoria Parlamento Anglicano fidelitatem spoponderint, quos et Jonius velut nullatenus suspectos, sed de se et pseudo-Republica Anglicana optime meritos libenter authoravit. Quibus omnibus circumstantiis addenda est potissima, Deum scilicet plus nimio offensum Ormonii atque Ormonistarum peccatis, demum aperuisse caeli cataractas, ut eorum conatus integro paenarum diluvio enervaret. Nam (ut plurima alia eorum peccata alibi recensita hic non repetam) quem horrore non studefaciat quod in epistola ab Edmundo O Meara, Doctore Medico, ad Nuncium 19 Aprilis 1649 ex oppido Galviensi in continentem scripta lego: "Major (inquit) fregata D. Nuncii, quam abstulerant Consiliarii, jam dotata est Plunketto, celebri isti transfugae haeretico, de cuius crudelitatibus multa dicebantur initio hujus belli. Fregatam Insequinnius et Ormonius instruxerunt quadraginta tormentis." Sic ille ad Nuncium in tertia persona scribens. Cujus pauca verba illorum hominum genium compendiouse adumbrant. Nam 1°., Nuncium | Apostolicum de ipsis optime meritum illi Consiliarii fregata propriis Suae Sanctitatis pecuniis comparata spoliarunt. 2°. Illam Ormonius et Insequinnius tanquam suam tormentis bellicis instruxerunt. 3°. Praefecerunt in ducem non aliud quam illum Plunkettum, haereticorum pestilentissimum, qui ita ad hujus belli initium sub Parlamento Anglicano pyraticam in Iberniae Catholicos exercuerat, ut parum absfuerit quin ipsum Nuncium anno 1645 in Iberniam navigantem ceperit. Quis antea Catholicorum credidisset futurum ut hic casus tam horrendis circumstantiis vestitus succederet. Sed ad cladem Dubliniensem redeo. Cujus jam substantiam describo.

(573) Quarta milliaris parte distat Dublinia orientem versus ad mare Baggotratiae Castellum, quod Jonius, ne in suum

damnum ab Ormonio occuparetur, paulo ante ita demolitus erat, ut capiendo praesidio idoneum non esset. Ormonius autem cum aquas a locis editioribus in urbem defluentes, quibus molae in molendinis versabantur, divertendas curasset, deinde ex Comitis Portu-Castellani, Prestoni, Arthuri Astoni, et Purselli, quos ad contemplandum locum miserat, sententia Baggotratiam elegit, ubi vallum extrueret, muniretque, quo obsessorum equos pascuis gramineis, ipsosque maris commercio intercluderet. Quare Kalendis Augusti Ratminiae, quae Bagotratiae mille circiter passus distat, castramentatus, ad primam noctis sequentis vigiliam mille quingentosque pedites sub Purselli imperio ad muniendum Bagotratiae locum destinavit, ipseque die postera summo mane Bagotratiam venit, ubi, quae perfecta | esse non dubitaverat, opera vix inchoata reperit. Cumque Purselli negligentiam taxasset, respondit Pursellus se ductorum culpa totam noctem deviasse, nec nisi paulo antea locum offendisse. Porro id erat loci ingenium, et situs suapte natura munitus, ut paucarum horarum opere ad sustinendos hostium incursus firmandus videretur. Quo autem id securius fieret, Ormonius (authore Bellingo) exercitum sub armis esse et proprius stare jussit. Singulis primis praefectis, quo loco ipsis munera obeunda forent, monstravit, et tormenta bellica in collem Bagotratiae propinquum attrahi imperavit. Verum huic Bellungi testimonio adversatur Congregatio Jacobopolitana in sua declaratione mense Augusto 1650 edita, affirmans magnae experientiae viros etiam exterarum regionum militia probatos, qui omnia lustrarint, judicasse Ormonium ibi tenuisse potius mercimoniorum nundinas et causarum tribunal quam vere ordinata militum castra aut aciem. Utut sit, Ormonius cum totam noctem praecedentem partim scribendis epistolis, partim sollicitudine duxisset insomnem, hora diei nona in tentorium secessit dormiturus.

(574) Interea Jonius, Dubliniae Gubernator, Ormonio jam regresso, cum quatuor peditum millibus et mille ducentisque equitibus ad horam diei decimam ex urbe erupit, et in vallum jam dictum haud facilis negotio irrupti, plerisque ex peditatu aggerem defendente captis vel occisis, ubi eos quingenti equites in defensionem additi sclopis tantum semel exoneratis deseruissent.

(575) Jonius hoc successu elatus, Ratminiam mille circiter passus distantem, ubi corpus exercitus Ormonici castrabatur, processit, et omnia consternatione perculsa | reperiens

1964

v

victoriam animose prosequitur. Ormonius autem bombardarum Bellingus. sonitu expergefactus dum equum expectat, mille quingentosque, quos Bagotratiae collocaverat, succubuisse vedit, et Guillelmum Vaghan Census equestris, equitum praefectum deturbato, cui praeesset, equitatu, cecidisse comperit. Qua clade perterriti omnes, qui in cornu sinistro stationem sortiti erant, equites invitis (ut fama est) ducibus, vix hoste viso in fugam se conferunt. Richardus Butlerus, Ormonii frater, Chiliarchus, et Maelmorrius O Rellius, soli cum cohortibus, quibus praeessent, officii memores permanserunt.

(576) *Inter hanc animorum consternationem Parlamentarii Regios de septo in septum pellunt, et demum tormentis bellicis captis Ormonium circumcingunt. Is autem ad Giffordii, Tribuni, qui peditatus partem ducebat, stationem haesit, peditesque illi paulisper hostem strenue sustinuerunt, donec novo hostium agmine adventante alii pacem petere, alii arma projicere caeperunt, nec defuerunt, qui ad extremum pugnantes haud inulti occubuerunt. Tandem campo exiit, et equites in unam cogere saepius at frustra adnisi, castra Parlamentariis reliquit Ormonius, et Caterlaghum ad trigesimum circiter lapidem se recepit, quem in pugna ducis militisque partes prius egregie praestitisse, et aliquot glandes plombeas in ferreo, quo munitus erat, thorace excepsisse author est suus Philopater, et Jonius eum vix evasisse scripsit. Qui etiam litteris mandavit ex suis ea die haud viginti occubuisse, sed multos fuisse vulneratos, majoremque jacturam suum tulisse equitatum quam peditatum, ex Ormonii | autem exercitu tam in campo certaminis quam inter fugam quatuor circiter millia cecidisse, captis praeterea duobus millibus quingentis et septemdecim, licet Philopater tradat caeos aut captos circiter duo millia.*

1965

(577) Ex Ormonii exercitu praeter alios minus notos caesi fuere: 1°. Guillelmus Vaghan Ordinis equestris et equitatus praefectus. 2°. Eduardus Verneus Censis pariter equestris. 3°. Chiliarchi legatus nescio quis Daniel primo necessitudinis gradu Vicecomiti Taaffo conjunctus. 4°. Tribuni legatus, Mathaeus, primo necessitudinis gradu Ormonium attingens, qui videtur fuisse ejus frater uterinus, quem tamen Philopater captorum numero ascribit. 5°. Beverlyus Subchiliarchus. 6°. Britainus, legionis Instructor. Capti autem, Christophorus Plunkettus Fingalliae Comes. Richardus Butlerus jam dictus Ormonii germanus frater Catholicus, Tribunus. Quinque Subtribuni, nempe Aldworthus, Standleius, Thomas Scutofortis,

Philopater.

Jasper Taaffus, et Gerardus. Octo legionum Instructores, scilicet Rogerus Gerlandus, Oliverus Fitz-Simons, Cominus, Henricus *parvus*, Carolus Norwoodus, Riddarus, Fleetwoodus, et Shalopus. Georgius Binghamus Baronettus. Centuriones quadraginta unus. Centurionum legati quinquaginta octo. Vexilliferi peditum quadraginta duo. Signiferi equestres quatuor. *Quarteriorum Magistri* sex. Ex equitatu praeterea decem. Robertus Hamiltonus, pseudo-Minister. Famuli decem. Tormentorum bellicorum libratores sex. Joannes Bellewus, machinarum bellicarum legatus. Apparatus bellici scriba. Buccinatores sex. Chirurgi totidem. Decem ex eis qui ad tormenta bellica attendebant. Centuriarum Instructores seu | (ut vulgo loquuntur) *Majores* sexaginta novem. Tympanistae 1665
20. Sex supra quinquaginta decuriones. Balistarii 56, praeter duo millia et centum milites privatos, nempe sexcentos Ibernos et mille quingentos ex Anglis Insequinnio militantibus, qui die illa ostenderunt se nunquam ante nisi congruam semper ad suos patriotas deficiendi atque ipsis commodandi occasionem expectasse. Nam Ratgariae et Ramainiae castella occuparunt, quae, seque Jonio dediderunt, mox ab eo (sicut praelibavi) in Parlamenti obsequium authorati. Capti quoque fuere, quidam Cunninghamus, quem Jonius in sua epistola insignem rebellem appellat, Bugottus, magistri expensorum legatus, et Joannes Harbertus a Rege praeter alios cum supellectile praemissus, qui pauculis antea diebus Galviae exscenderat. Victoribus etiam in praedam cesserunt aeneae machinae septem, vectorii boves ducenti, praeter sarcinas et impedimenta magno numero. Denique Otwayus, Centurio, cum his nunciis a Jonio Londinum transmissus, qui et ipse pugnae interfuerat, retulit eos, qui in Ormonii castris essent receptui cecinisse tanta festinatione, ut cum castra annona militari, vino, byssso, serico villoso, ostro, atque aliis vestimentis laneis et lineis abundantem, omnia cum non nulla re pecuniaria a tergo reliquerint. Inter movendum etiam aliquot vicinia praeidiola Manoutham, Naasam, Donahadaeam, et Richardopolim deseruerunt, ne ipsi ibi ab hostibus opprimerentur. Hanc porro victoriam Parliamentarii reportarunt 2º Augusti, quo (inquit Patricius Lyncheus, D. Nicolai Galviensis praepositus, ad Nuncium | scribens) *vetuit rem sacram fieri in sua castrorum Dubliniensium parte Ormonius*, cum illius diei devotio ob indulgentias a S. Francisco via extraordinaria propagatas sit celeberrima. Quare pie credendum est Sanctum non solum illam injuriam sibi illatam, sed etiam

v

1666

longe majorem suo Ordini ab Ormonio et Ormonistis (sicut retuli) in Ibernia irrogatam, tunc vindicasse. Caeterum Jonius Dubliniam reversus, die Augusti 6a sui prosperi successus relationem cum Otwayo, Centurione, Londinum direxit. 8 autem Augusti solemnii ritu Deo gratias egit. Otwayo quoque Londinum appulso relatio illa 11^o Augusti ibi in lucem edita. Porro illo infaelici rerum successu factum ut non pauci Ormonium in occultae proditionis suspicionem vocarint.

(578) Si Ormonius tunc Dubliniam expugnasset, credere par est Cromuellum cum suo exercitu in Iberniam haud fuisse transmissurum, vel certe facili negotio repulsandum. Sed obsidione illa soluta, is, qui antea ad Angliae maritima varius atque anceps cunctabatur, de portu Dublioniensi in navium securitatem, et de ipsa civitate in militum atque apparatus omnis bellici receptaculum jam certus, cervices erexit, et eodem mense Augusto auditis illis nunciis in Iberniam trajecit, centumque circiter quadraginta navium classe atque omnibus aliis, quae abundantissime ad manum erant, usus, in portum Dublioniensem appulit, transfusis in miserrimum Regnum cataphractorum equitum circiter millibus quatuor, nec non veterani peditatus millibus octo. Qua tristi experientia didicit ignavus Ormonius quanto Iberniae et Regis damno civitatem illam atque annexa praesidia anno 1647 praefato Michaeli Jonio a Parliamentariis in Gubernatorem et belli sui apud Iberniam prosequendi praefectum cooptato tradiderit, demum in suae famae fortunaeque jacturam | et Iberniae ruinam edoctus fuisse longe facilius praesidia illa Parliamentariis non tradere, quam expugnare et ipsis iterum eripere.

(579) Cromuellus cum tanta classe atque exercitu ad vigesimum Augusti Dubliniam appulsus, oratione ad Jonium et copias praesidiarias habita, docet se ab Angliae Parlamento cum titulo Generalis Regni Praefecti in Iberniam missum praesidio bonis, ac Reipublicae Anglicanae hostibus terrori ac suppicio adesse, nihilque, quod ad reipublicae rem promovendam quoquo modo facere possit, fidelibus ac strenuis ducibus et militibus defuturum. Cui id certo spondenti ab omnibus applausum est. Mox edita declaracione quotquot contra statutum pseudo-reipublicae Anglicanae regimen in armis starent, ad voluntariam subjectionem invitat. Quod si fecerint, impunitatem et patrocinium promittit. Sin autem, ferrum, flammarum, extrema denique omnia comminatur.

(580) Ormonius ex adverso edita alia declaracione in-

concussam fidem in Regem indigenis commendat, additisque paenarum minis omnes in officio continere molitur. *Commissarii* quoque *fiduciarii* praeter multa alia officia, quibus rebellium haereticorum colluvioni recens advectae obviare conati sunt, ad Regni Praelatos non congregatos sed singulos has litteras, multiplicatis exemplaribus, Anglice dederunt.

"Optime Domine Noster.

(581) "Observatur multos male affectos, qui turbas et dissidia magis quam nationis quietem et tranquillitatem student, per seditiosos et sceleratos rumores populo instillatos operam dare, ut ipsis persuadeant rebelles | Anglicanos in sua Majestatis Regna Angliae atque Iberniae dominatum usurpantes, eumque, qui rebellibus viribus nuper in hoc Regno terra potitis imperat, concessuros esse sua Majestatis subditis in Ibernia meliores conditions quam nuperis pacis articulis concederant sua Majestatis authoritate. Qua ratione, quantum possunt, populum ad minus observandam sua Majestatis potestatem atque autoritatem inducunt, usque adeo ut si ita seduci permitterentur, vellent (sicut non sine causa suspicamur) multum deesse solitae sua alacritati in eo quod spectat ad sua Majestatis, suaque ipsorum jura sustinenda in illos rebelles, qui ob sui Regis homicidium et Coronae, cui omnem morem atque obsequium debent, usurpationem, essent et dubio procul sunt bonis omnibus detestabiles. Porro licet nobis persuadeamus nullum sua Majestatis fidelem subditum, imo nullum aequum et judicio non carentem arbitrum, his falsis rumoribus, atque imposturis, cum nulla omnino causa aut circumstantia quantulamcumque veritatis umbram habente nitantur, fidem habiturum; nihilominus ut cunctos, quibus illa falsitas ullam animi fluctuationem impresserit, vera rerum notitia imbuamus, et populi, cuius ruina et extirpatio sua defensionis defectum vel negligentiam sequatur necesse est, ludificationi occurramus, Reverendissimam Dominationem vestram monendam duximus ut tuae diaecesis Clero populoque notum facias hos rebelles esse illos ipsos, qui hujus Regni populum extirpandum decreverant. Subditorum hujus Regni possessiones | jam vastis pecuniae summis vendiderant, et omnium etiam sua religionis Procerum ac Praelatorum honorem ac dignitatem abolere statuerant. Quae ergo vel minima obtinendarum ab his rebellibus bonarum conditionum appetit probabilitas, vel quis tam infirmo sit judicio ut non dijudicet ipsis nullarum concedendarum esse nec voluntatem nec

1967

v

authoritatem, et siquas rebus suis consulturi et populum delusuri impraesentiarum concederent, quae spes est futurum ut pacta praestarent, vel quam ab illis rebellibus haec natio utilitatem expectare potest, cum hanc non ferant illa excidium intentantia consilia, quae inierant.

(582) "Itaque Dei causae defensionem et suae Majestati juratum ac faederis sacramento diversis vicibus iteratum obsequium, hujus quoque Regni indigenarum vitas, praerogativas, et fortunas in tuto ponendas, quae omnia illorum rebellium malitia et potentia aggredi conantur, Illustrissimae Dominationi vestrae praesentamus tanquam rationes sufficietes ad Clerum populumque tuae diaecesis hoc tempore summa cura diligentiaque monendum, quatenus unusquisque pro viribus ac dotibus a Deo acceptis, quam potest maxime, id studeat, ut illis rebellibus obviet, qui nunquam plus quam modo, ad nos omnes pessundandos se praepararunt. Nostram in Deo spem collocamus, fore ut in causa tam justa nos protegat, dum quicquid | a nobismet in nostram praeervationem peragendum est non negligamus. Ad quam Dominatio vestra Illustrissima supra modum cooperabitur, modo in omnibus tuae diaecesis celebritatibus publicis ad rem sacram, vel alibi, specialem dederis operam ut, quae hisce litteris nostris continentur, palam fiant. Ut autem de populi integritate melius constet, et bene affecti a male affectis discernantur, aequum ducimus ut his inclusa juramenti formula omnibus, qui Dominationis vestrae Illustrissimae diaecesim incolunt, ministretur, et quo haec vota nostra citius effectum sortiantur, ejusdem exemplar ad sacerdotum, quibus in diversis tuae diaecesis parochiis animarum cura incumbit, unumquemque transmittas, ipsisque injungas ut certa die modi, quo in ea re processum fuerit, relationem remittant, et Illustrissimae Dominationi vestrae eorum, qui juramentum illud suscepint, et recusantium, si qui fuerint, nomina certificant nobis transmittenda. Illustrissima Dominatio vestra omnibus parochis significabit neminem in diversis eorum parochiis esse, cui, dum cujusvis momenti fortuna sive in possessionibus sive in aliis facultatibus ipsi suppetat, non sit subscribendum praefato juramento ab ipsis sic suscipiendo. Finem facimus.

Kilkenniae,

30 Augusti, 1649.

Illustrissimae Dominationis vestrae chari amici,

Muskrius. Athunrius. Nicolaus Plunkettus.

Lucas Dillonus. Richardus Everardus.
 Torlogus O Nellus. Zepherinus Brounus.
 Geraldus Fenellus." |

(583) Juramenti autem formula hic sequitur, sed tunc 1648
 Anglice missa: v

"Ego A.B. in mea conscientia, coram Deo et hominibus sincere agnosco, profiteor, testificor, et declaro supremum Dominum nostrum Regem Carolum 2m esse legitimum et justo titulo Regem hujus Regni, et aliorum suae Majestatis dominiorum ac regionum, meque suae Majestati, nec non ejus haeredibus et successoribus fidelitatem et veram clientelam exhibitum, meque eum atque eos in omnes conspirationes et invasiones quascumque adversus suam coronam et dignitatem moliendas totis viribus defensurum, et quam potero diligentissime conaturum ut suae Majestati, ejusque haeredibus ac successoribus, vel D. Proregi, vel aliis suae Majestatis Principali Gubernatori vel Gubernatoribus pro tempore existentibus aperiantur et innotescant omnes prodiciones vel proditoriae conjurationes, quas in suam Majestatem vel eorum illum machinandas rescivero vel audiero. Hanc etiam protestationem vel agnitionem emitto ex corde, libenter, sincere, fide Christiani. Ulterius etiam coram Deo atque hominibus juro et declaro me nihil unquam directe vel indirecte, clam vel palam laboraturum, connisurum, effecturum, aut acturum in pacis inter D. Jacobum, Marchionem Ormoniae, ex parte suae Majestatis, et Confaederatos hujus Regni Catholicos nuper conclusae proscriptionem aut praejudicium, sed pro virili effecturum ut eadem promoveatur." Hactenus illa juramenti formula. |

(584) Interea Cromuellus cum lectissimo et rebus omnibus ad triumphum conficiendum utilibus instructissimo exercitu Vadipontum, Dublinia vigesimo lapide disjuncturn, obsessurus movet. Urbem illam maritimam duobus circiter mensibus antegressis Insequinnius Parlamentariis eripuerat, et Ormonius post acceptam cladem Dublinensem tribus circiter equitum peditumque millibus praesidiariis firmaverat sub duabus praesertim Tribunis, Waringo et Duvallio, quibus omnibus atque ipsi urbi praefecerat Arthurum Astonum, Equitem auratum, Angulum quidem illum, sed Catholicum, qui se antea in domesticis Angliae bellis pulverulentus volutaverat, Regi Carolo 1° usqueadeo charus ut ei olim Oxoniam gubernandam crediderit. Huic Ormonius commeatum, arma, pulverem tormentarium omniaque, quibus hostes repelli, aut quae obsessis

Bellingus
Annot. in P. Pon-
cium.
 p. 151.

Cambren-
sis Eversus.
 p. 278.

1969
 v
 ibid.

Bellatio esse possent, ad ipsius mentem suppeditavit, ipseque coacto nescio quanto equitatu hostium castris imminebat. Verum Cromuellus duodecimo obsidionis die, dejecta prius per majora tormenta murorum aut turrium magna parte, renovato iterum ac tertio assultu, caesisque Astono, Waringo et Duvallio, peneque toto nobilitatis Lageniensis flore, nec non universis prope militibus praesidiariis, Vadipontum in suam potestatem redegit, civibus quoque Catholicis ad quatuor fere millia crudelitate plusquam Turcica contrucidatis, quae omnium laniena eo magis inauditam sapuit saevitiam et perfidiam, quod urbs ante non fuit expugnata quam propugnatores cum iis, qui in hostili exercitu dignitates obtinuerunt, de incolumitate | transegerint. Sed haec pacta crudelissimus Tirannus, Cromuellus irrita habuit ut praefatam carnificinam ediderit. Pari quoque fidei publicae violatione praesidiarios et cives Castello Motensi ad Vadipontum inclusos trucidavit post ditionem, antea vitam ab ipso pactos.

(585) Cromuellus urbe Vadipontana in tuto collocata, missisque in Ultoniam ad Cootum sub Venabulo auxiliaribus copiis, Dubliniam regreditur. Ubi paucis diebus ad curanda corpora militiae datis, mox tormentis bellicis, commeatu, aliisque gravioribus impedimentis classi impositis ac mari praemissis, ipse terrestri itinere cum exercitu Wexfordiam, Lageniae urbem maritimam, petit. In qua Provincia ii, quos Ormonius Trimmi praesidiarios collocaverat, jussi ut munitiones ante diruerent quam desererent, non solum in hoc morem non gesserunt, sed etiam hostibus non expectatis, imo neicum apparentibus, oppidum, et in eo haud spernendam armorum atque apparatus bellici quantitatem, non nullaque tormenta bellica Cromuellis relicta deseruerunt, parique modo Dundalkum, Neurium, et Carlingfordia citra renitentiam dedita sunt, relicto hostibus haud spernendo apparatu bellico, armis, armentis, armamentis, et armamentariis. Arcloam quoque desertam fuisse reperio, licet hostes non accesserint, idque ita ut Gubernator ibi ab Ormonio collocatus, contra ac ipsi prae scriptum erat, munitiones non diruerit. Denique illi, qui antea in Nuncium, Iberniae Clerum, fautoresque tam animose bellaverant, nunc timore panico in tot peccatorum | paenam Deo intonante consternati adeo marcuerunt, ut tot Lageniae loca absque resistentia nefariis illis sicariis, Dei, fidei, Regis, et patriae hostibus plerumque ne se praesentantibus quidem, in praedam reliquerint. Quae certe atque alia plurima (ut videbimus)

1970

ejusmodi postea secuta gravissimis, plurimis, et scandalosissimis eorum imputanda sunt peccatis in causam Catholicam antea patratis, et brachio intus ac foris persequentis Dei omnipotentis, qui similia patraturis comminatus : "Evaginabo (inquit) post Levit. 26. vos gladium, et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium ; terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium ; . . . nemo vestrum inimicis audebit resistere."

(586) Cromuellum Wexfordiam sequamur. Bellingus tradit hujus urbis cives pertinaces et ad propriam ruinam obstinatos, nec Proregis mandatis, nec Commissariorum fiduciariorum litteris ad praesidiarios milites admittendos, priusquam ad muros hostis esset, flecti potuisse. Quinetiam D. Walterus Enos de modo, quo se tunc Eugenius O Nellus gessit, loquens : "Eugenius (inquit), quo Cromueli expeditionem contra Wexfordiam aliaque loca diverteret, vel saltem eadem loca ab ejus furore defenderet, duos e vestigio Wexfordiam delegavit, venerabilem virum Thomam Lambert sacerdotem, et Capitaneum Veldon, qui Wexfordienses de imminenti interitu monentes ipsis consulerent ut praesidiarios exciperent Eugenianos, qui in Comitatu Wicloensi commorantes non procul aberant, quibus semel intra Wexfordiam exceptis, Cromuellus | sine aperta fidei violatione, qua nomine Parlamenti Monkus per dictum faedus stipulatus est, obsidere non poterat. Cum eadem legatione eosdem misit legatos ad arcem, Dun-caniam, et Rossipontum. Wexfordienses autem et Rossipontani fallaci Ormonicorum subsidiorum promissione male securi, delatum ab Eugenio beneficium rejecerunt. Unde utriusque ruina paulo post sequebatur." Sic ille. Cum autem hostis ad Wexfordiae muros esset Comitem Portu-Castellanum ex Ormonii mandato trecentos pedites inter noctem eo introduxisse, paucisque diebus interjectis ipsum Proregem equitibus non amplius quingentis stipatum noctu prope hostium castra cursum tenuisse, et annonam ac commeatum, quibus obsessi indigerent, cymbis (quod ad flumen civitas non cingebatur) invehendum curasse, numeroque militum aucto D. Edmundum Butlerum, suum contribulem, Equitem auratum, Wexfordiae Gubernatorem iterato constituisse, demumque postquam omnem hostium equitatum a Jonio ut eum in reditu interciperet, castris eductum evasisset, Rossipontum incolumem rediisse, interea vero Cromuellum arcem, quae Wexfordiae imminet, tormentis quassasse et praesidiariorum ne militum

ibid.
p. 152.

Just.
cap. 7.
num. 14.

1970
v

an ducis ignavis incertum? triduo cepisse, author est Bellingus. Porro arce potitorum hostium (ut idem habet) alii densis glandium plombearum jaculationibus obsessos vicinis Wexfordiae muris expellunt, alii admotis scalis muros superant, fractaque urbis porta commilitonibus aditum sternunt. Irrumpentibus

1971 autem omnibus, cadit inter alios praefatus | Wexfordiae Gubernator. Pervadit plateas atque aedes militaris furor. Nec sexui nec aetati parcitur. Denique urbi illi partim tunc, partim paulo post contigit quod ipsius Wexfordiae civis et Antistes, Episcopus Fernensis, biennio deinde interjecto sua

p. 17. rerum Ibernicarum relatione Parisiis anno 1651 edita testatur: "Nec (inquit) hostes erit mitior in Limerenses, Galviensesve, qui magna obsidentium clade eum concitarunt ad vindictam, quam erat in Wexfordienses, filios et cives meos, quorum vi captorum ingentem numerum Cromuelli gladius percussit. Imo hostis efferati ferocia tot occisorum sanguine minime satuta, duobus post expugnatam civitatem mensibus spatio trium dierum ex ea proscrispsit et ejecit ad emendicandum panem sex civium millia, ita ut in ea tam nuper opulenta urbe, ut viginti amplius animarum orthodoxarum millia numeraret, non vivant hodie viginti Catholici, omnibus aut Cromuelli gladio plexis, aut sententia hostis in exilium actis, aut peste, quae post gladium venit, sublatis. Quod facit ut tristis et squalidus ego hodie lugeam, civitate, populo, Ecclesia orbatus." Haec Fernensis, qui cum Roma anno 1648 in Iberiam regressus ad Ormonium et Ormonistas modo superioris recensito defecerit, habuit cur lugeret, totamque vitam lachrymabundus paenitentiae impenderet, cum eatenus et aliter pastorali in illos

1971 suos filios et cives vigilantiae defuerit, | proindeque haberet cur metueret, hodieque (nam adhuc superstes est) metuat ne

v Ezech. 3. Deus in die irae magnae *sanguinem eorum de manu sua requirat.* De caetero praefatus D. Walterus Enos affirmat pseudo-Concilium Supremum Wexfordiae anno superiori ad inducias admittendas compulsae, castroque et fortalitio S. Mariae perfidos praefecisse Gubernatores, et hac ex parte Cromuello stratam fuisse viam ad Wexfordiam occupandam. Et Congregatio Jacobopolitana sua declaratione mense Augusto 1650 in Ormonium edita testatur *Wexfordiam fuisse perditam, maxime ob Gubernatoris juvenis vani et male consulti militis imperitiam.* Quod de praefato Butlero in Gubernatorem destinato intelligendum non dubito.

Just:
cap. 33.
num. 8.

(587) Cromuellus capta Wexfordia Rossipontum, ejusdem



diaecesis oppidum, quindecim circiter illinc milliaribus distans in Barrovii, fluminis, ripa situm, obsessurus movet. Bellingus autem tradit Ormonium huc misisse omnem peditatum, obsidionis Dubliniensis et utriusque lanienae Vadipontanae ac Wexfordiensis reliquias, oppidoque Instructorem generalem, Lucam Taaffum, Catholicum, res militares expertum, virumque strenuum praefecisse, qui cum oppidum ab omni Cromuelli exercitu tormentis bellicis et rebus cunctis ad obsidionem promovendam instructissimo premi videret, et muris nec fossa tutis, moreque vetusto constructis diffideret, ex communi ducum consilio uniuscujusque subscriptione munito de aequis pro rerum ac temporum necessitate in oppidanorum commodum conditionibus paciscendis cogitarit. Quas autem ille a Cromuello ad Rossipontum castramentato petendas, et quas Cromuellus | denegandas aut concedendas duxerit, haud melius didici quam ex epistola sequente a Cromuello tunc Taaffo Gubernatori Anglice scripta :

"Domine.

(588) "Quod antea obtuli, praestabo. Quod autem cupis, ut machinas atque alias apparatus, qui nec a te una tecum in oppidum transportati, nec postea, ex quo istius praesidii Gubernatorem geris, ad te translati sunt, alio transvehendi potestatem faciam, hanc ego facultatem tibi denegandam censeo, cordi habens ut in eo plane rerum statu munitionem relinquas, in quo reperisti. Quod ea concernit, quorum mentionem facis super conscientiae libertate, ego nullius conscientiae me immisceo. Sed si per conscientiae libertatem non aliud intelligis quam *Missae* celebranda copiam; aequius judicavi mentem citra fucum aperire, tibique palam facere rem illam minime gentium permittendam, ubi Parlamentum Anglicanum rerum potiatur. Quod spectat ad eos ex municipibus, qui se cum bonis in alium locum (sicut judicasti) conferre desiderant, fidem astringo fore ut ad id exequendum tres menses concedantur, et interea perinde atque alii sub Parlamenti obsequio a vi tam ipsis quam ipsorum bonis inferenda praeserventur. His legibus si ditionem subeas, ego eas exacte observandas obsidem esse jubeo famam meam. Vale.

19 Octobris
1649.

Tuus Servus
Oliverus Cromuellus."

(589) Alia autem in gravaminibus postea Ormonio objectis, alia in Congregationis Ecclesiasticae declaratione adversus

ibid.
p. 153.

1972

1972

v

eundem Jacobopoli edita lego praefatis ex Bellingo in medium allatis adversantia. Gravamina enim habent | Rossipontum defensandum et hostem fuisse repulsandum, nisi ducum, quibus praesidium creditum erat, constantia atque animi fortitudo loco bene munito et ad defensionem idoneo defuisset. Cleri autem declaratio jam dicta continet Colonellum Lucam Taaffum, oppidi Gubernatorem habuisse in praesidium pene duo millia quingentosque milites ad pugnandum anhelantes, et tamen Rossipontum nulla facta hosti resistantia deditum fuisse, idque ipso Ormonio praescribente. Quae millenaeque aliarum rerum ante et post gestarum circumstantiae suspicione de Ormonii proditionibus conceptas ultra modum auctitarunt.

(590) Cromuellus, Rossiponto dedito, cum exercitu progressus est Duncanianam expugnaturus. Quam expeditionem atque alias ejus conatus inferius resumam, ubi non nulla, quae hujus loci sunt, de Eugenio O Nello dixero. Is ergo induciis antea cum Monko Parlamenti Anglicani Commissario pactis, et aliquot conditionibus (sive illae fuerint, quas ex Philopatro superius habes, sive secus) in Angliam missis, quas a Parlamento Anglicano postulasset, expectavit et induciarum finem et illarum conditionum exitum. Verum Parliamentarii ita vana spe Eugenii animum tamdiu suspensum lactarunt, ut demum Londonderiae obsidione ab Eugenio soluta, Ormonii exercitu ad Dubliniam inter obsidendarum illam civitatem profligato, Cromuello in Iberniam appulso, ibique jam triumphante, atque adeo rebus suis apud Iberniam in tuto positis, parum de Eugenio atque ejus viribus solliciti, pacta omnia, quae Monko cum eo intercesserant, tanquam suae novae Reipublicae probrosa resciderint, et ipsum Monkum, quod ejusmodi cum Eugenio commercia fovisset, dignum judicarint in quem animadverteretur, licet *ex gratia* (sic loquebantur) non animadverterint. Haud tamen abstrusiore opus erat sagacitate ad judicandum | hanc eorum indignationem in Monkum fuisse fucatam et fictam, qua simularent se nunquam ab omnibus cum Eugenio ineundis pactis non abhorruisse, cum tamen fidem habeat ipsos Monko et Crellio tanquam instrumentis diverso, sed in eundem scopum tendente artificio usos fuisse, quo Eugenium inani concordiae expectatione inescarent, cum eo demum conventuri vel a pactis recessuri, sicut suo tempore rerum circumstantiae, proprii commodi ratio atque articia ipsorum politica dictarent. Cromuellus quoque in Iberniam advectus videtur Eugenii animum tenuisse suspensum, donec Vadipontum expugnasset.

1973

Tunc autem, litteris de illo suo triumpho in Angliam datis, inter alia sua gloriae magis celebrandae adminicula undique quae sita mendaciter scripsit Eugenium jam cum Ormonio fuisse reconciliatum. Quare Eugenio sic deluso, atque ejus exercitui, nec non Ormonio, ac denique ambabus Catholicorum partibus hactenus discordantibus inter se conveniendi necessitas utrinque urgens incubuit, Ultoniensibus ex una parte sibi nedum universae Iberniae a nefario Cromuello ejusque haeretica colluvione excidium metuentibus, et ex altera parte Ormonio atque ejus fautoribus Cromuelli victorias aliter sistere non valentibus, qui sane in ipsam prudentiam politicam nedum in millenas alias conscientiae regulas gravissime peccaverant, quod Eugenium atque ejus exercitum in statum illum desperatum protruserint praeter omnem aequitatem, imo p[re] mera tyrannide.

(591) Ad hanc etiam partium reconciliationem non nihil contulisse videtur P. Franciscus Nugentius, Capucinus Ibernius, Thomae Nugentii, Census equestris, frater, quem Eugenius O Nellus, Episcopus Clogherensis, et illarum copiarum Ultoniensium legatus generalis, Richardus O Ferallus, mense Februario (sicut vidimus) ad Regem | allegaverant. Is in Gallia Regem illo ex Hollandia venturum plures menses expectavit, ac demum cum appulso egit circa conditiones aequas Eugenio atque adhaerentibus concedendas, scripsitque ad Nuncium Parisiis 16 Augusti 1649 Regem sibi *omnia, quae petierat, concessisse.* *Daturum omnino modam libertatem Catholicis in Ibernia, Scotia, et Anglia.* Collaturum Eugenio O Nello *titulum honoratum* et totius exercitus praefecturam generalem, aliaque magna et multa, et 16 ejusdem mensis idem indidem Nuncio scribens: "Rex (inquit) noster mihi concessit omnia mea intenta quoad religionem Catholicam, quoad vestram Eminentiam, et quoad Eugenium O Nellum et ejus adhaerentes, et ad confirmationem harum rerum dedit mihi tam verbum quam manum." Sunt ipsius verba. Qui zelo (credo) bono se partibus reconciliandis immiscuerit, sed tot tantisque Ormonistis necessitudine conjunctus, et judicio ad res tantas prudenter tractandas idoneo ita destitutus, ut satis admirari nequeam quorsum illi tres, praesertim Eugenius et Clogherensis, ingenia perspicacissima, tantam ipsi fecerint potestatem, et Nuncius ab ipsis per litteras (sicut vidimus) consultus ratam habuerit. Caeterum illa *omnia, quae Franciscus sibi promissa fuisse dicit, eo loco habenda crediderim, quo Principum verba*

1973
v

1974

aulica. Nihil enim (quod sciam) secus obtinuerit. Regem tamen forsitan induixerit ad scribendum Ormonio, ut partium reconciliationem solito efficacius tractaret. Ipseque Rex ex S. Germani Regia quinque leucas Parisiis distante, duas paulo post cum P. Thoma Talbotto, non strictioris sed laxioris (quod omnes, qui hominem, norunt) observantiae Franciscano ex illis Anglo-Ibernis Ormonium | secutis, ad Eugenium et Richardum O Ferallum dedit literas Anglicanas hic in tua gratiam Latinas.

"Praefecto Generali, Eugenio O Nello."

"Carolus Rex."

(592) "Praefecte Generalis, Eugeni O Nelle, intelleximus te velle temet submittere nobis, tanquam tuo legitimo Regi et Principi supremo, in justae authoritatis nostrae conservationem et istius miserandi ac distracti Regni tranquillitatem et quietem. Quam sicut prae omnibus rebus terrenis cordi nobis esse profitemur, sic non negligemus in eum finem quicquid possumus, praestare, parique modo te ipsum iis gratiis, favoribus, et fidei in te ponendae argumentis prosequi, quae rationabiliter petieris, et ad debitam a te nobis obedientiam mature redeundo merueris, sicut tibi exactius exprimet ex nostro mandato harum lator, Dominus Talbottus, cui te rogamus ut fidem habeas. Datum apud S. Germani fanum 9 Septembris 1649."

(593) Epistola autem Legato Generali, Richardo O Ferallo scripta hic sequitur :

"Legato Generali, Ferallo."

"Carolus Rex."

"Legate Generalis, Feralle, cum ex serio nostro desiderio prospiciendi tranquillitati subditorum nostrorum in Regno Iberniae nostras ad Praefectum Generalem, | O Nellum litteras direxerimus, ut eum securum redderemus de nostro favore ac sincera mente ipsi in omnibus ejus votis rationi consentaneis gratificandi, modo jam ad obedientiam, quam et divino et humano jure nobis debet, redierit; idoneum pariter esse duximus tibi polliceri strenuos conatus, quos in negotio tantopere nos nec non istius Regni tranquillitatem et felicitatem spectante collocaveris, nobis fore gratissimos, et nos id effecturos, ut ea favoris nostri specimina tibi exhibeantur, quae tuo obsequio promerueris, modo peragendi operis tam boni te praebueris instrumentum, sicut harum latori D. Talbotto praescribimus, ut te modo magis particulari certiorem reddat. Datum apud S. Germanum 9 Septembris 1649."

(594) Hic *laxioris* observantiae Franciscanus, quem Rex non

1974

v

P. Talbottum, sed D. Talbottum vocat, Roberti Talbotti, Equitis aurati, frater, per multos annos Regis obsequio plus quam regulae observantiae ita se addixerat, ut ejus cursorem, nunc tabellionem, nunc exploratorem egerit, atque in omnes se pro ejus nutu facies verterit in regionibus nedum haereticis, sed etiam Catholicis saecularem in modum amictus, nisi ubi suum commodum et a Clero populoque Catholicoo conciliandus sub pietatis larva favor postularet ut habitum Franciscanum gestaret. Quo ille citra regulae (ut aiebat) praejudicium ita bursam tegebat, ut ostentantis instar, mihi postea anno 1655 in Gallia retulerit, Regem sibi, praeter alias summas majores | in victu et vestitu variisque itinerum (sicut negotia regia postulassent) viaticis ponendas, decrevisse triginta libras Anglicanas annuas, quarum unaquaque quatuor circiter scutis Italicas aequivalet, in solam *tobaccam* impendendas. Mirabar autem quod suam potius improbitatem me non celaret. Verum ille ita etiam ipsi pudori naturali jamdudum nuncium remiserat, ut *exultaret in rebus pessimis*, haud ignorans (O horrendam hominum corruptelam) quod *laudatur peccator in desideriis animae suaे, et iniquus benedicitur*. Sed quid ego circa hujus improbitatem tempus tero, quae volumen integrum exigeret, quam intactam relinquerem nisi ex conscientiae legibus ostendendum esset qualis fuerit ille, qui Nuncio, Iberniae Clero, et causae Catholicae totis viribus adversatus actis publicis ad controversiae cardinem pertinentibus subscrisperat tanquam *Reginae Angliae Capellanus*.

(595) Praeter litteras illas cum hoc eximio Reginae Capellano in Iberniam missas, pollicitationes a Rege factas, et urgentem utrinque necessitatem, eodem tempore et aliud successit, quod ambabus partibus januam ad reconciliationem ita aperuit, forsitan secus Eugenius Ormonio et Ormonistis nunquam coaluisset, sed operam dedisset ut excusso Ormonii jugo (jam enim ejus regiminis tanquam iniqui atque infausti multos taedere caepit) ad primaevam confederationem Catholicam rediretur, exauthoratis et punitis Ormonistarum coryphaeis, qui nationi tot tantaque mala procreaverant. Successit autem, et huic multorum voto intercessit unaque Ormonistis ad illam reconciliationem viam munivit Eugenii morbus extremus quotidie adeo recrudescens, ut medici opinarentur | nunquam fore ut convalesceret. Quo ille morbo ad annum superiorem sed leviore laborare caeperat, exindeque paulatim ingravescente cum senecta factum ut non ipse sed a se aliis evaserit quantum

1975

Psal. 9.

1975

v

spectat ad maturandas belli expeditiones, quibus secus Ormonium et Ormonistas quassasset.

(596) Itaque Eugenio hunc in modum extremo morbo laborante, Episcopus Clogherensis et copiarum Ultoniensium primarii officiales, atque illius Provinciae nobilitas consenserunt ut pro Ormonii et Commissariorum fiduciariorum instantiis tunc solito ardenter iteratis delegarent, qui cum aliis arbitris ab altera parte destinandis concordiam statuerent. Quod et factum, Nicolao Plunketto, Equite aurato, et Richardo Barnevallo, Equite Baronetto, a Prorege atque Ormonistarum parte delegatis, et praefato Episcopo Clogherensi, nec non Torlogho O Boillo, Census equestris, ab Eugenio O Nello ejusque exercitu et Provincia in Commissarios missis. A quibus inter ambas partes concordia conclusa est 12 Octobris, 1649. Porro Eugenius a suis Commissariis insistendum voluit ut ante omnia Catholicorum partes, Nuncio in censorum anno 1648 fulminatarum controversia adversatae, se humiliarent et veniam peterent. Nec dubito quin hoc conventionis caput Commissariis utrinque delegatis molestiam facessiverit. Demum tamen concordarunt. Articulum autem huc spectantem, cui duo Ormonii atque Ormonistarum Commissarii subscriperunt, hic ex Anglico Latine verto, ut omnibus | constet quod demum Commissarii concluserint.

1976

(597) "Cum inter tractatum cum Praefecto Generali, Eugenio O Nello, ejusque partibus absolvendum orta fuerit controversia quo pacto excommunicatio ab Illustrissimo Domino Nuncio fulminata tolleretur ad amoliendum ab omnibus quo teneri possent metum nequa partium, quae faelicem hanc conventionem celebrant, censorae periculum subiret, et qua ratione Illustrissimus Dominus Nuncius nationi reconciliaretur? Nos ut illam dubitationem amoveamus, ex parte eorum, qui ex nupero Concilio Supremo et Clero ab Illustrissimo Domino Nuncio circa illam censuram sententiis discordarunt, in nos suscipimus fore ut praefati Commissarii (fiduciarii) et Clerus omnium, ad quos ea res pertinet, nomine, quatenus omnia dubia tollantur, Suae Sanctitati supplicant ut illa censura, sive valida sit, sive secus, Regnum liberet, et futurum ut iidem Commissarii et Clerus benevolo atque amicabili modo ad Illustrissimum D. Nuncium scribant, obsecrantes ut omnia praeterita, quibus sua Illustrissima Dominatio ullam offenditionem conceperit, oblivisci dignetur, atque in omnibus occasionibus

apud Suam Sanctitatem se ipsis patronum atque intercessorem
praebere non gravetur.

Datum Finahae 12 Octobris 1649.

Nicolaus Plunkettus.

Richardus Barnevallus."

(598) Hunc articulum tunc secretum, nec cum aliis ejusdem conventionis articulis in medium productum fuisse reperio, Ormonio forsan nolente ut pateret Commissarios | sua, atque adeo a Rege derivata authoritate munitos et missos subscriptissime articulo, qui Catholicismum et offerendum Suae Sanctitati atque ejus Nuncio Apostolico obsequium ac satisfactionem spiraret. Quomodo autem circa eundem articulum executioni mandandum ambae partes postea processerint, suo inferius loco dicemus. Hic tantum obiter notandum duxi Eugenium hoc articulo nihil obtinuisse in Nuncii et censorarum favorem, quod ipsa pars Catholica Nuncio adversata citra suae causae praejudicium ei non offerret. Neque enim hic in confesso ponitur inducias fuisse injustas, nec censuras justas ac validas, nec Appellationem frivolam, nec ejus aequam fuisse rejectionem, nec pseudo-Concilium Supremum eique adhaerentes in illa causa sustinenda ullen tenus peccasse, nec eos Nuncium aut Sedem Apostolicam offendisse, nec ab ipsis duabus Commissariis promittitur eos haec agnitos, sed haec omnia generaliter tanguntur modo qui litem indecisam relinquunt. Denique nihil praestandum hic spondetur, nisi quod partes adversae suapte sponte semper et post instantissime rogitarunt, nempe ut Regnum illa censura, sive valida sive secus, liberaretur, quod fieri posset per nudam censurae relaxationem citra absolutionem aut absolvendorum paenitentiam etiam conditionatam, cum tamen quinque Praelati velut mediatores antea 25 Januarii 1649 Nuncio cum majore humiliatione scripserint rogantes ut absolutionem conditionatam, quae paenitentiam et humilitatem conditionatam exigit, impertire vellet. Qualem etiam instantiam hac aestate (sicut vidimus) P. Joannes | Rouaeus, Concilii jam dicti atque adhaerentium procurator, Romae fecerat, et Commissarii fiduciarii 4° Octobris, octavo ante initam cum Eugenio illam conventionem die, (sicut videbimus) communem Suae Sanctitati scripserant epistolam, qua hujus causae suae justitiam ita magnis lateribus sustinuerant, ut tamen rogarint quatenus universo Regno suam benedictionem impetrare vellet. Porro Eugenius quid praerogativa suis ecclesiasticis et quid sibi praefecturae militaris in ea conventione obtainuerit, te

1976

v

1977

docebunt duo primi illius pactionis articuli a Philopatro Latine redditi sicut hic sequuntur:

(599) " In primis conventum et conclusum est per et inter dictas partes, dictique Nicolaus Plunkettus et Richardus Barnevallus, Equites aurati, consentiunt ac in se suscipiunt fore ut Episcopi, aliqui quilibet de Catholico Clero, ac reliqui omnes Catholici, qui dicto Generali O Nello ejusque parti adhaeserunt, beneficio ultimorum pacis articulorum inter dictum Regiae Majestatis Dominum Vicarium Generalem et ultima Generalia Faederatorum hujus Regni Catholica Comitia conclusorum, quantum ad liberum Catholicae religionis exercitium, ecclesias ac ecclesiastica praedia, nec non ecclesiasticam jurisdictionem spectat, eadem amplitudine ac libertate, qua iisdem gaudent quilibet alii Catholici hujus Regni clerici aut laici, respective gaudeant ac fruantur, rerumque omnium ac singularum, quae in dictis articulis memorantur, tam plene quam ibidem illae recensentur, harum pactionum vigore potiantur.

(600) " Insuper etiam concessum et conclusum est, dictique Nicolaus Plunkettus et Richardus Barnevallus, Equites aurati, consentiunt ac fideliter promittunt | fore ut illi omnes et singuli respective continentur ac conserventur in quieta et pacata dictorum omnium et singulorum possessione tam ample tamque largiter ac si de dictis articulis modo superius dicto conclusis, nunc primum et hoc ipso temporis momento, privato eorum nomine conventum esset: (ea duntaxat lege ut dictus Generalis, O Nellus, ac pars ejus sese authoritati Regiae Majestatis in hoc Regno submittant). Promittunt insuper quod omnes Catholici Regiae Majestatis in hoc Regno subjecti in distributione ecclesiarum bonorumque ecclesiasticorum, quae in quavis hujus Regni parte impraesentiarum ab hostibus possidentur, aut posthac possidebuntur, quando, et quoties ea a maligna parte recuperari contigerit, congruam portionem sortientur.

(601) " 2. Dictae partes consenserunt atque concluserunt, praedictique Nicolaus Plunkettus et Richardus Barnevallus, Equites aurati, consentiunt, concludunt, ac spondent fore ut dictus Generalis, O Nellus, praeficiatur sex peditum millibus sub tribunis octo ac reliquo inferiorum ductorum numero tot legionibus inesse solito, ac octingentis equitibus sub duobus tribunis, aliisque inferioribus ductoribus tot equestribus legionibus inesse consuetis. Quae quidem equestres ac pedestres copiae stabiendi sunt nomine Provinciae Ultoniae sub imperio

Philop.
lib. I.
p. 216.

1977
v

supra
pacem
cum
Ormonio
contrac-
tam.

idem.
ibid.
p. 221.

dicti Generalis O Nelli, ac sic, usquequo Regnum hoc a communi hoste liberatum fuerit, continuandae, ea lege ut dictus Generalis, O Nellus, praedictaeque vires Regiae Majestatis Praefecto Generali, aliive uni aut pluribus supremi Regni ministris pro tempore existentibus solis et immediate subjiciantur et pareant, etc." Haec ibi.

(602) Reliqui illius conventionis articuli ad meas manus non pervenerunt, quos privatum Eugenii suorumque commodum spectasse author est Philopater, quod et crediderim. Tradit autem Nicolaus O Bern talem fuisse hanc conventionem ut, si Ormonius iisdem conditionibus anterius acquievisset, ambae partes Catholicae in unum corpus citius coaluissent, et communis hostis progressum facile praepediissent. Caeterum conventione inter ambarum partium Commissarios absoluta, Eugenius, quod ipse aegrotaret, exercitum sub Richardo O Ferallo, suo Legato Generali, ad Ormonium praemisit, parumque dubito quin litteras amicitiam, congratulationem, et obsequium testantes et protestantes ad Ormonium tanquam cognatum (nam ambo ex Comitibus Kildariensis per ejusdem domus filias descenderunt) et Proregem scripserit. Ormonius autem ad Eugenium 6^a post absolutam pactionem die dedit Anglice hanc epistolam :

" Perdilecto nobis Praefecto Generali,
Eugenio O Nello.

" Domine,

(603) " Tibi certifico non modo tuam mecum initiae conventionis conclusionem in una eademque causa cum non mediocri virium incremento, idque eo tempore quo vires maximopere necessariae sunt, mihi animi oblectationem peperisse, sed etiam magnum mihi esse gaudii argumentum quod mihi nascitur occasio, qua tibi magis notus ero, quaque tibi ostendam quanti te et tua consilia facio in rebus arduis et periculosis, quas nunc gero. Tibi etiam constanter affirmo me cupere, ut valde sinceram tecum contraham amicitiam, quam pro tua expectatione vel pro suis viribus spondere potest Waterfordiae

18 Octobris 1649.

Tuus benevolus servus.

Ormonius." |

(604) Eugenius quoque ad Ormonium postea dedit Anglice hanc epistolam :

" Excellentiae vestrae placeat.

" Cum jam absque magna convalescendi spe extremo morbo

1978

1978

v

laborem, Salvatorem attestor (ita me Deus salvet) consilium, vias et intentiones meas a principio ad finem in hisce infaustis bellis (quicquid dictum fuerit vel dicatur in contrarium) in nullam privatam ambitionem aut proprium commodum, sed vere et sincere in meae religionis praeervationem, sua Majestatis obsequii promotionem, et justam hujus nationis libertatem tetendisse. Cujus rei nec non meae integritatis et propensionis praestandi obsequium tuae Excellentiae prae quocumque alio in hoc Regno, spero (si Deus ratum habuerit) fore ut brevi coram mundo sufficiens exhibeam testimonium. Si tamen interea Deus decreverit, ut diem obeam, filium meum et haeredem, Henricum O Nellum Tribunum, tuae Excellentiae curae instantissime commendo, precans et cupiens ut tua Excellentia favorabiliter dignetur promptam praescribere rationem, qua non modo nuperam pacem, sed etiam dignitatem, favores, et concessiones mihi a sua Majestate destinatas participet, et ut (si mortuus fuero) Excellentia vestra ipsum de eadem re per instrumentum Excellentiae vestrae manu et sigillo munitum securum reddat, quo melius eum sibi devinciat et posteritatem ejus, qui est

3 Novembris

1649.

Excellentiae vestrae humillimus servus,

Eugenius O Nellus." |

1979

(605) Jam ad Cromuellum redeo, qui capto (sicut praelibavi) Rossiponto movit Duncaniam expugnaturus. Tradit autem Bellingus Ormonium cum belli tempestatem eo ferri persensisset, in propugnaculum illud destinasse Woganum, Tribunum, virum fortem et ducem in multis probatum, cum lecta officialium Anglicorum turma, quos in sui corporis antea custodiam assumpserat, et hos una cum Ibernis antea in propugnaculo praesidiariis tanta vi in obsidentes erupisse, ut Parliamentarii tormento bellico (alii bona fuisse tradunt) quod in arcem nostrates invexerunt, amissio, ab obsidione recedere coacti fuerint. In qua re praecclare gerenda magnam sibi laudem meruit Thomas Rochaeus, Duncaniae Gubernator, cuius constantiam atque animi magnitudinem Cromuellus nec magna auri vi oblata constuprare, nec terrore dejicere potuerat. Porro in litteris tunc ex Ibernia ad Nuncium in Italiam scriptis lego, Cromuellum praecipi cursu hanc obsidionem deseruisse, quod Eugenii O Nelli exercitum accendentem metuisset.

(606) Exinde Cromuellus Rossipontum rediit. Ubi strato ponte navalii Birgum fluvium copias in Comitatum Kil-

kenniensem trajecit, haud paucis Catholicorum Ormonio obstrepentibus, et affirmantibus eum cum suis viribus haud longe distantem facili negotio efficere potuisse ne pons ille ad fluminis ripam, quae Rossiponto objacet, absolveretur, sed suis partibus in gravissimum Regni detrimentum et hostium utilitatem defuisse. Porro antea Ormonius in suo Augustali Carrigiensi praesidiarios collocaverat haereticos Anglos sub quodam Magarto, Chiliarcho, militantes, qui ad loci defensionem se ne accinxerunt quidem, sed mox atque hostilis cataphractorum | equitum globus apparuit, Carrigiam ita dediderunt, ut eorum quinquaginta ad suos compatriotas et consecarios una transitionem fecerint, ad recentissimum aliorum ejusdem farinae ex Rossiponti praesidiariis exemplum, quorum amplius ducenti Rossiponto Parlamentariis dedito ad Cromuellum desciverant. Quali etiam infamiae macula notatum lego quendam haereticum Anglum ex illis, quos Ormonius Duncaniam destinaverat, Pagium nomine, ibi ita officio militari fungentem, ut cum eorundem suorum patriotarum Duncaniae se tenentium non nullis ad prodendum Cromuello propugnaculum conspiraverit, quam proditionem opere complevisset, nisi Thomae Rochaei, Gubernatoris, vigilancia intercessisset. Hac ille prodendi suis Anglis praesidii spe frustratus haud ita diu post sub pabulandi praetextu cum praesidiariorum parte arcem egressus militiam Regiam deseruit, et Rossipontum jam a Cromuello occupatum ad suos Cromuellistas declinavit, exarmatis atque ibi in custodiam datis octo vel novem Ibernis cum ipso ad pabulandum missis Duncania.

(607) Cromuellus, trajecto ad Carrigiam Suirio, flumine, ac Waterfordia ad laevam reicta, ad quintum inde lapidem Oceanum versus castra ponit. Illoque propugnaculo, quod vulgo *Transitus* vocatur, et portum Waterfordensem ad meridiem e regione Duncaniae claudit, capto, movet, ac Waterfordiam obsessurus ad eam civitatem tentoria figit. Tradit autem Philopater urbis primores rejectis praesidiariis a Comite Portu-Castellano praesentatis Waterfordiam Cromuello dedere statuisse, et Cromuellum consiliis antea arcanis utrinque commistis cum exercitu adventasse, sed Ormonium cum Richardo O Ferallo et quingentis Ultoniensibus in civitatem ingressos Cromuellum sua spe frustrasse. Verum | Episcopus Waterfordensis, ocularis et aliunde longe locupletior testis, per litteras 3 Julii 1651 Waddingo in Urbem scriptas ob hanc atque alias praesertim suae Waterfordiae inustas a Philopatro

1979
v

1980

maculas eum nigerrimo calumniatoris, parasiti Ormonici, et haereticorum fautoris carbone notat, affirmans Waterfordiae primores ad Cromueli accessum per varias epistolas Ormonium secus Carrigiam tunc castrametantem instanter rogasse, ut ex copiis Ultoniensibus milites ducesque in urbis defensionem destinaret, et Ormonio negligente misisse ad Episcopum Clogherensem, ut id subsidium procuraret. Tunc autem septingentos vel octingentos Ultonienses Waterfordiam venisse, et, hoc viso, secutum Ormonium, ac denique Cromuellum, hoc cognito, receptui cecinisse.

(608) Vidimus Carrigiam, Ormonii praetorium, Anglicos praesidiarios Cromuello lubentes in potestatem permisisse. In quem locum jam a Cromueli militibus vallatum Ormonius jussit ut miles Catholicus atque Iberni tormentis bellicis, scalis, ligonibus, instrumentisque omnibus necessariis plane nudus impetum faceret tanta atque irrita Catholicarum virium laniena, ut Ormonius haud aliud velle censeretur. In quo assultu magnam suorum fecit jacturam Briani Mac-Mahoni legio ex copiis Ultoniensibus pedestris, cuius Instructore seu (ut vulgo loquuntur) *Majore*, Luca Maguirio authore, egregii illi milites, licet instrumentis destituti tres illius loci portas spretis globulorum plumbeorum nimbis invaserunt, confrerunt, et combusserunt, omniaque iisdem portis opposita ab hoste obstacula ingressum praecludentia incredibili celeritate et animi magnitudine amoverunt, hostisque obsessus adeo fuit exhaustus, ut deficientibus tandem glandibus plumbeis in assilientes jaculandis ad lapides recursum habuerit, quorum uno sauciatus jam dictus Lucas Maguirius ad tuguriolum haud procul a porta distans recessit, minime dubitans quin ejus commilitones Carrigiam jam occuparint. Itaque postero mane surgens Carrigiam tanquam a suis possessam ingredi decrevit. Quam ejus mentem odorata mater familias: Falleris (inquit) nam tuos commilitones Carrigiam tantum non occupantes Taaffus caeptis desistere jussit et suo imperio inde alio secum avocavit. Porro hinc aliundeque colligo Ormonium jusso ut hic impetus in Carrigiae praesidiarios fieret, ita Waterfordiam (sicut jam tetigi) se contulisse, ut illi lanienae non interfuerit,

Doctor
Enos.
Just.
cap. 7.
n. 9.

1980

v

si Bellingo credamus, qui etiam in ejus purgationem addit, eum diu antea duces constituisse, quorum esset ut instrumenta bellica ad illam expeditionem idonea procurarent. Sed si Ormonius, et ab illa ducum, quos constituerat, negligentia, et exercita in militum optimos crudelitate immunis fuit, quorsum

Annot. in
P. Ponc.
p. 188.

in illos duces sui officii tantopere immemores utramque culpam postea non vindicavit? Quod cum sciens prudensque neglexerit, utramque culpam ipsi Clerus sua declaratione mense Augusto anno 1650 in eum edita jure merito imputavit. Denique Ormonius in occasionibus ita suam praefecturam militarem obiit ut prudentissimi quique et aequissimi rerum arbitri eum in suspicionem vocarint milites Iberos, cum praevalere vix possent, lanieneae exponendi et cohibendi ab insultu, cum pene certi forent de victoria, et dimicare gestirent. Quo factum ut experientia compertum sit eos prudentissime se gessisse, qui totis viribus contenderint ne in Proregem aut generalem militiae Catholicae Praefectum admitteretur. |

(609) Ormonius ante exercitus Ultoniensis accessum nullam a Cromuelli invasione urbem, arcem nullam, nullum oppidum aut Castellum defenderat. Nam quod ad Duncananiam pertinet, licet per praesidiarios non Ultonienses steterit, quo minus propugnaculum illud Cromuello minis et praemiis tentanti proditum fuerit, Cromuellus tamen nisi adventantes Ultonienses a tergo metuisset, obsidionem illam non solvisset. Quare quod praeceps et anhelus receptui cecinerit secundum Deum Ultoniensibus debetur. Waterfordiam quoque et demum (ut videbimus) Limericum tanta fide atque animi magnitudine defensarunt, aliaque multa praecclare gesserunt, ut nemini non patuerit haud ipsis sed Ormonistis Iberniae excidium vitio vertendum, ipsorumque Ormonistarum non pauci maledixerint diei, quo ab ipsis et aliis Cleri causaeque Catholicae fautoribus ad Ormonium, Insequinnium, atque alias haereticos desciverint, ipseque Philopater in Ormonii purgationem quod antea in Cromuellum nihil praestiterit, haud aliud praetendit quam certissimum esse, eum non prius potuisse sufficientes vires Cromuello tot victoriis inflato opponere.

1981

Lib. I.
cap. 23.
p. 223.

(610) Tunc autem duarum partium Catholicarum copiis in unum exercitum coalitis, et Cromuelli viribus partim occisis, partim in Ultoniam (ut dixi) sub Venable directis, partim in urbes atque arces a tyranno jam captas dispersis, partim contracta ex insueto Iberniae climate dysenteria pro perpetuo Anglorum illuc recens adventantium more contabescientibus, reliquus exercitus hostium adeo detumuit, ut Iberni praelium anhelantes pene certam sibi victoriam pollicerentur. Verum Cromuello | a civitate Waterfordensi jam repulso, atque ad hunc statum redacto, haeretici Anglicani, qui sub Insequinno Corcagiae, Kinsaliae, Yeoghelliae, Dungarvaniae, Bandiponti

1981

v

(quae nobiles in Momonia civitates, oppida, atque arces (excepto Bandiponto) maritimae sunt,) aliorumque illius Provinciae castrorum praesidiarios agebant, occultam Rogero Boillo, Comitis Corcagiensis filio, Brohilliae Vicecomite, ante alias perfidiosissime instigante, coierunt conjurationem, quam tanta dexteritate executioni mandarunt, ut Cromuello ac viribus ejus Parlamentariis alias credibiliter peritulis januas aperuerint, Insequinno et pauculis ex eodem fermento cohortibus sub Ormonii imperio absentibus, quae et ipsae atque aliae pauculae superstites turmae Anglicanae crebris proditionibus ad Cromuellum castra manipulatim vel viritim transibant. Nec solum illa praesidia, quae ante contractas anno 1648 inducias Insequinnii nutum manebant, ad Cromuellum hoc anno in Momonia defecerunt, sed etiam plurima illius Provinciae castella haereticis justissimo bello in tantam sanguinis Catholici et impensarum profusionem ad annos anteriores cum annexis territoriis erepta, quae per illas inducias, et conclusam hoc anno cum Ormonio pacem, ita haeretici ex pseudo-Concilii Supremi et pseudo-Comitiorum praescriptis recuperaverant, ut per plures menses ante Cromuellum appulsum ea jam recuperata quiete possederint, et demum se ibidem vallarint, in Cromuellum jam ab aliis illis praesidiis acciti obsequium ac in summum Catholicorum praejudicium.

(611) Hanc habuit periodum Insequinnii tyrannis, qui majoribus nedum parentibus ter Catholicis natus ad haereticorum synagogam parvulus obtorto collo raptatus ita illa animarum peste se demum infecit, | ut in popularibus, imo etiam plurimis sibi necessitudine conjunctis fame, flamma, ferro, frigore necandis omnem humanitatem exuisse videatur, illique haud injuria ei applicari possit illud Virgilianum :

1982 Aen. 4.

“ Duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanaeque admirunt ubera Tygres.”

Et illud Ovidianum :

“ Te lapis et montes, innataque rupibus altis
Robora, te saevae progenuere ferae.”

Quodque mirere eum suis praesidiis excusserunt ipsissimi praedones, rebelles, haeretici Angli, quos ipsam naturam exutus necessariorum, nedum aliorum patriotarum, spoliis toties

oneraverat, patriaeque succo et sanguine velut tot hirudines saginaverat. " Sed vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis ? Et qui spernis, nonne et ipse sperneris ? Cum consummaveris depraedationem depraedaberis. Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris."

Is. 33.

(612) Hunc etiam funestum sortita est exitum pseudo-Concilii Supremi atque Ormonistarum nefaria sagacitas in contrahendis cum Insequinno atque illa ejus haeretica Anglicorum colluvione anno 1648 induciis, et hoc anno 1649 pace, Nuncii Apostolici, Clerique Ibernici ipsi adhaerentis consiliis paternis et censuris adeo spretis, ut Insequinnii atque illius sui exercitus tyrannidi, latrociniis, et grassandi libidini magnam Momoniae partem, etiam bona ecclesiastica antea Catholico cruore redempta permiserint. Quorum etiam grassatorum furore in tot Catholicorum impensas usi erant sesquianno superiore adversus Eugenium O Nellum, ejusque copias et fautores, citra demum quos vel ipso Philopatro | authore nec Ormonius nec Ormonistae Cromuello resistere poterant, quique eodem tempore opem tulere, quo illae Insequinnii vires cum praesidiis ad Cromuellum defecerunt, ut ostenderet Deus quibus ab initio credendum, quibus fuisse diffidendum, nec Nuncium horum praedonum atque aliorum haereticorum causa et opera ex Ibernia impie et barbare deturbatum, nec Iberniae Clerum eorundem conjuratione depresso nisi prophetasse quoties laborarunt clamantes et raucae factae sunt fauces eorum prae-monentium gregem Dominicum, ut ab hujusmodi funestis con-jurationis cum Ormonio atque Insequinno coitae effectibus sibi caverent. Nuncius et Clerus clamarunt nec cessarunt. *Quasi tuba exaltarunt vocem suam.* Sed Ormonistae pluris fecerunt P. Petri Walshaei vel P. Thomae Talbotti aliorumque id genus apostatarum sacrilegas responsiones, quam caelitus haustas Nuncii et Cleri etiam in Spiritu Sancto congregati prae-monitiones. Quod si Deus per Praelatos etiam pessimos, sicut in Caipha gestum erat, qui quod dixit, *a se ipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetavit*, quid faciendum et futurum sit, eorum gregibus prae-nunciat, quanto magis credendum est tot tantasque prae-monitiones, quibus Nuncii, Praelati optimi, atque aliorum non minore virtute conspicuorum Iberniae Antistitum acta suis locis inserta scatent, circa has futuras Iberniae plagas fuisse genuina Spiritus Sancti oracula et prophetias.

Lib. 1.
cap. 23
p. 223.
1982

v

Psal. 68.

Is. 58.

Jo. 11.

(613) Habuit priscis retro saeculis Ibernia Reges, Principes,

Proceres, et populos Cleri observantissimos in dotandis Archiepiscopatibus et Monasteriis liberalissimos, et mandatorum Pontificiorum adeo | venerantes, ut sceleratissimus Rex Angliae, Henricus 2nd, hac Ibernorum pietate et Pontificia autoritate abusus in Insulam irrepserit, ac denique adeo legatis Apostolicis obedientes, ut idem impius Rex id probe sciens Viviani Cardinalis et legati Apostolici, ipso Baronio post Guillelmum Neubricensem authore, avaritiae astricti censuris in Iberniae latis ad suos ibi fines dilatandos usus sit. Praefatorum Iberniae Regum, Principum, Procerum, atque aliorum jam dictorum posteri in hoc bello pene omnes iisdem avitae in Summum Pontificem, Sedem Apostolicam, Nuncium, et Praelatos pietatis vestigiis institerunt. Sed alii Iberni Anglis, qui sub Henrico aliisque posterioribus regibus in Ibernam irrepserant, prognati ita bonis ecclesiasticis atque aliis praediis a corona Anglicana male partis inhiarunt, aliisque inordinatis partium studiis detenti sunt, ut (nisi longe minus quam par esset) nec Sedem Apostolicam, nec Summum Pontificem, nec Nuncium, nec Clerum, sed Ormonium et Insequinnum atque alias sectarios in hoc bello coluisse videantur.

(614) Diximus Cromuellum capto Vadiponto in Ultoniam cum copiarum suarum parte destinasse Venabulum, qui in ea Provincia Carolo Cootto, Londonderiae Gubernatori, et illius emporii semper a Parlamento Anglicano stantis praesidiariis associatus, id facile peregit ut Scotti Ultoniam incolentes, quos hoc anno 1649 Ormonii et in eo Regis autoritatem umbratili quodam obsequio observasse vidimus, haud multum haestaverint, cum eos premeret ut nec Regi nec Ormonio ulterius auxiliarentur, nec Catholicis in Ibernia Regi obtemperantibus subvenirent. Qua universalis haereticorum proditione atque Ormonistarum acceptis a Cromuello cladibus, pavore et | consternatione factum ut spes illa in Ormonii, Insequinii, atque aliorum haereticorum viribus et praesidiis anno 1648 exindeque ab Ormonistis posita, prae qua a Nuncio, Iberniae Clero, exercitu Ultonensi aliisque causae Catholicae fautoribus turpiter defecerant, ad nihil recederit, ipsique Ormonistae, qui anno 1648 et ad primos hujus anni 1649 menses Clerum fautoresque in eorundem haereticorum gratiam insultabundi depressoerant, omnes simul sumpti pene nihil in Cromuellum praestiterint aut praestare valuerint, Deo ipsos palpabiliter enervante, et plerisque e populo, quem tot machinationibus deceperant, eos abominantibus, praecipuamque defensionis

fiduciam secundum Deum in exercitu Ultonensi collocantibus. Denique hic inducarum cum Insequinnio et Insequinnianis anno 1648 initarum et pacis cum Ormonio hoc anno 1649 atque aliis haereticis conclusae funestus exitus effecit, ut, cum prudenteria ab eventis saepe ponderari soleat, multi sententiam mutarint, crediderintque Nuncium atque ejus partes solas sapuisse, quod nec induciis nec illi paci celebrandae authores fuerint, quos pene nemo tunc non viderit sano usos fuisse in ea re consilio. Si enim Comitiorum Generalium ad exeuntem annum 1645 celebratorum decretis, et legatorum in Galliam atque in Urbem juxta eadem anno 1648 missorum monitis institutum fuisse, Confaederati Catholici a Sua Sanctitate, vel certe ab alio Principe extero in Regni Protectorem cooptando, belli nervum obtinuissent, et Anglia Scotiaque ita in se et inter se discordantibus, ut haereticis in Ibernia latrocinantibus | succurrere hucusque non valerent, iidem Confaederati tempore opportunissimo eosdem haereticos in Ibernia rebellantes facili negotio debellassent, et insula prorsus deturbassent, vel certe ad eum redegissent statum, ut pauca ipsis in Regno ad Cromuelli appulsum praesidia superfuissent, proindeque eorum reliquiis et Cromuello pari facilitate restitissent, Deo suam causam secundaturo, quem Ormonistae deseruerant et deserti sunt. Qui per illas inducias Insequinnii haereticos non conservarunt modo, sed etiam Momoniae succo et substantia saginarunt; in possessiones ab initio male partas et justo bello ipsis antea eruptas postliminio restituerunt; Ibernam anno 1648 in eorum defensionem bellis civilibus, horumque sumptibus et annexis depraeationibus ac aliis vastationibus ita exhauserunt, ut una alii quoque haeretici in Lagenia, Conacia, atque Ultonia secus facile debellandi ruinam ipsis alias impensuram declinarent; Ormonium in Proregem revocarunt; iniquissima pace cum ipso contracta haereticos magnis gregibus tota Ibernia eam participantes novo tutelae scuto munierunt; et demum populum hoc anno 1649 tot tantisque vectigalibus publicis in belli sumptus Ormonio concessis onerarunt, ut ea pene ad quingenta librarum Anglicarum millia summam recuperando Regno sufficientissimam excreverint. Post quae omnia haeretici illi ab ipsis servati ad suum Cromuellum defecerunt, et Ormonio atque Ormonistis timore panico perterritis, | nihilque in Cromuellum praestantibus, res in eum deplorandum redactae sunt statum, quo Catholici vix, ac ne vix quidem, sine Altissimi brachio essent resistendo, dilapsa triumphandi congruentissima

1984

1984
v

occasione, et mutata prorsus rerum facie ac circumstantiis ex diametro oppositis illi Regni statui, qui anno 1648 plenam Catholicis victoriam sponderit.

(615) Quid memorem plurimas alias miserias hanc versam belli aleam comitantes tanquam pedisequas, incendia, rapinas, vastationes, diripiendi licentiam, privata publicaque latrocinia ac depraedationes tanto hostilitatis aestu ac furore, ut haeretici nihil magis in votis habere se demonstrarent, quam totam Insulam sanguine Catholicō cruentare, et quos gladio non perdidissent, ita rebus omnibus ad vitam sustendandam necessariis spoliare, ut ipsa fame et nuditate conficerentur. Nec ipsi Catholicī a Catholicis immunes erant, duplicatis autoritate publica in belli prosequendi sumptus vettigalibus violenter exactis, et militibus saepe stipendia non recipientibus, sed pro rapiendi licentia extorquentibus, atque aliis infinitis secutis miseriis, quae enervatam relaxati regiminis autoritatem, delictorum impunitatem, et violentas belli ex una parte crudelissimi atque ex altera licentiose administrati leges sequi solent. Utque ad miseriarum cumulum nihil decesset, ipso mense Augusto, quo Ormonii exercitus ad Dubliniam dissipatus est, et quo Cromuellus cum suis copiis in Iberniam trajecit, pestis, quae in Ibernia rarissime saevit, Galviae grassari caepit. De qua Patricius Lynchaeus, Collegii Galviensis D. Nicolai Praepositus, ad Nuncium Romam indidem scribens : "Talis (inquit) infesta lues nunquam antea, sed nimis cito in hac civitate visa ad nos deducta est per quosdam haereticos Anglos, qui se Regios appellabant, quamvis a multis dicebatur ex Hispania advenisse. Caepit grassari mense Augusti non integro anni revoluto curriculo, ex quo commissum est homicidium in loco sacro in vestra pene praesentia, violatum Interdictum, plurimaque alia, quae nostis, commissa scelera, quorum quidem architecti statim initio contagionis ex hac vita sublati et fere sepultura asini sepulti sunt. Ita nunquam impune contemnuntur fulmina S. Petri. Statim incipiente morbo fugerunt hinc omnes pene nobiles, mercatores, opifices cum suis familiis, omnes Religiosi, omnes moniales, etiam Vicarii et pastores deseruerunt suas stationes, ita ut redacta sit urbs in solitudinem. Remanserunt mecum duo tantum ex nostris collegis, qui non destitimus quotidie toto tempore grassantis epidemiae confessiones omnium advenientium excipere, eosque sacrosancta Eucharistia munire. Tamen per divinam misericordiam et ob merita Sanctorum patronorum omnes tres e tanto et tam

evidenti periculo salvi et incolumes evasimus." Sic ille. Qui quod dicit remansisse secum duos tantum ex collegis, intelligendum est de remansione usque in finem. Nam aliunde mihi constat, Capucinorum hospitii Galviensis moderatorem, P. Hieronimum O Diomasa, et P. Thomam Tuitum pariter Capucinum ibi tunc haerentem se in pestiferorum ministerium obtulisse, et Thomam, virum sanctum, post multas corporis fatigaciones atque animi curas in id charitatis martyrium impensas demum ex pestiferorum congressu, contactu, atque afflato vitam sanctius finiisse. Hieronimum autem quod podagra graviter laboraret, et in multos usus | publicos censeretur servandus ac necessarius, a Praeposito jam dicto, cui charissimus esset, quique toti Ecclesiae Galviensi praeesset, non fuisse admissum, ipsumque ac P. Cyprianum O Donochuum, similiter Capucinum, non quidem se peste laborantium ministerio paenitus exposuisse, sed cautela quam possent maxima eorum confessionibus audiendis operam navasse, ac universo populo in tetram contagionem quotidie per capita labenti tam intra quam extra Capucinorum sacellum in manifestum vitae discrimen astitisse, demumque P. Cyprianum, virum eximia virtutis laude conspicuum, ibidem die mensis Septembris vigesima altera anno 1649 peste decessisse. Porro praeter alia Dei flagella lues illa in Galviae viciniam rusticanaam, exindeque late serpsit totam pene Insulam populabunda, excepta Ultonia, in quam (inquiunt) nunquam penetravit. " Illud (inquit D. Walterus Enos) sine animadversione praetereundum non est quod in illis tribus duntaxat Iberniae Provinciis pestis grassata est, quae censuras contempserunt, licet incolarum plerique armata manu easdem contemnere coacti fuerint. In Provincia autem Ultoniae (si Comitatum Lovidae excipias, quae modo ad Provinciam Lageniae dicitur spectare) nunquam grassata est, quae prae ceteris Provinciis sancte observavit censuras. Quinimo constat (quod ex oculis meis libavi) milites Eugenianos, illos potissimum qui ei constanter adhaeserunt, in domicilia et loca in Provincia Lageniae peste infecta irruentes ut sibi vitae fomenta compararent, immunes semper a peste evasisse. De locis autem peste infectis praemoniti | responderunt: *Pestem non timemus. Est enim divinae justitiae pena in eos omnes saeviens, qui censuras justissime latas contempserunt.* Infinita alia hujusmodi exempla allegare possem, si aut temporis angustia aut opusculi tenuitas id permitteret. Sufficerit hic intimasse mala illa omnia Ibernis

1985
vJust.
cap. 28.
num. 24.

1986

non obvenisse ob fulminatas censuras, sed vel ob censuras contemptas, vel ob datam earundem censorarum ferendarum causam." Haec ille, quibus obiter addo ex iis, qui tunc peste in Ibernia laborantibus magno zelo astiterunt, fuisse P. Patricium O Donovanum, Carmelitam discalceatum, de civitate Limericensi, ex hac parte bene meritum, antea ibidem (sicut praelibavimus) in sui Ordinis Provincialem a tumultuantium Carmelitarum parte cooptatum, altera eorundem parte P. Oliverum Walshaeum in Provincialem eligente.

(616) Inter haec Regni infortunia non nullas invenio fuisse Synodos a Clero convocatas, quarum unam Provincialem Tuamiae circa idus Maias Archiepiscopus Tuamensis celebravit. Qua inter alia mandavit suis suffraganeis ne duos decimorum trientes, hactenus aerario publico ad bellum prosequendum ab aliquot annis solvi solitos, Ormonio ulterius concederent, quod (inquit epistola tunc ad Nuncium in continentem ex oppido Galviensi scripta) dicerent illos non in militum sed in *Ministrorum* sustentationem ab Ormonio converti.

(617) Secundam Synodus Provincialem praesidente Archiepiscopo Cassiliensi Clerus Momoniensis ad Augusti finem atque exinde Limerici celebravit. In qua inter alia fuit agitata spinosa controversia inter Archiepiscopum | et Joannem O Molonium, Episcopum Laonensem, ejus suffraganeum, circa certas beneficiorum et jurisdictionis ecclesiasticae difficultates. Concilium autem Provinciale tunc decrevit Archiepiscopo diaecesis Laonensis et solius visitationem. Cui occursum Episcopus a Synodi sententia ad Suam Sanctitatem 11 Septembbris 1649 appellavit, allegans inter alia suam diaecesim per privilegium ab ejusmodi visitatione esse exemptam, et addens sibi fuisse tunc denegatum tempus saltem competens ad privilegium exhibendum. Appellatio autem habita est frivola et ut talis quoad effectum suspensivum rejecta, sed quoad devolutivum admissa in Suae Sanctitatis observantiam.

(618) Postea vero Regno tot malis jam perstrictis obruto Clerus viso ruptos fuisse omnes fontes abyssi magnae, et cataractas caeli apertas ad delendam de facie terrae gentem Ibernicam, indixit Congregationem Ecclesiasticam in 4^m Decembris Cluanmacnosiae celebrandam. Ad quam ambarum partium Catholicarum antea ob inducias cum Insequinno anno 1648 contractas et censuras propter ea fulminatas dissidentium Praelati vel convenerunt, vel qui praepediti essent, Procuratores destinarunt, excepto Episcopo Kilmorensi. Cui etiam

Congregationi per se vel per Procuratores intererant omnes pene Iberniae Praelati Regulares, ipso etiam Ormonio, nedum Commissariis fiduciariis ex prudentia politica consentientibus, imo desiderantibus ut Congregatio illa celebraretur in populi concordiam atque animorum conspirationem post omnes illas Cromuelli bellicas expeditiones jam tactas et post haereticorum in Momonia defectionem. |

(619) In hac Congregatione Praelati, qui in censurarum controversia a Nuncio steterant, operam dedere ut alii Praelatorum, qui in censuras insurrexerant, se et a se seductos peccasse agnoscerent, et omnium primi paenitentia culpam expiarent, suoque exemplo bono ad viam rectam revocarent quos malo seduxerant, affirmabantque intonuisse de caelo Dominum et Altissimum dedisse vocem suam, qua jam tanquam sententia in caelo lata ex tot calamitatibus liqueret eosdem Praelatos et alios ab ipsis seductos induciarum iniquissimarum propugnatione et censurarum contemptu, aliquique innumeris peccatis eo fonte natis supremum numen ultra modum offendisse. Quam resipiscentiam etsi mala perpessa ex mutatione Gubernii, nempe fames, pestis, devastatio civitatum, effusio sanguinis, et extrema paupertas tanquam Dei flagella suaderent, illa tamen paenitentia cum effectu non successit ob aliorum inflexibilitatem a prima sententia, sicut 10 Februarii 1650 Episcopum Immolacensem ex Ibernia Nuncio Romam scripsisse video. In qua epistola: "Tales (inquit) patimur miserias a discessu Dominationis vestrae Illustrissimae, ut qui infensores fuerunt Dominationi vestrae jam credant et sentiant errorem, licet palam non audeant nec valeant damna resarcire."

1987

Psal. 17.

(620) Nodus ergo in illa Congregatione fuit satis intricatus quo pacto controversiam componerent, et articulo inter Eugenium O Nellum atque adversae partis Catholicae Commissarios circa hanc controversiam 12 Octobris 1649 concluso ac superius posito satisfacerent, seque in hoc negotio erga Deum, Sedem Apostolicam, Innocentium X^{um}, ac Nuncium gererent, Praelatis illis, qui antea Nuncio adversati erant, allegantibus cavendum esse ne sub placandi numinis specie numen magis offenderetur, agnoscendo absolute culpam, ubi de culpa non constaret, et ubi non modo sua ipsorum, sed etiam aliorum omnium Catholicorum ipsis in eadem | controversia adhaerentium causa famaque verteretur, lite apud Suam Sanctitatem per Appellationem pendente, cuius propterea sustinerent exinde,

1987
v

nec aliunde expectandam cum omni animi submissione decisionem. Et haec erat ipsorum inanis phylosophia, qua se aliosque non paucos in errore confirmarunt. Denique duae illae Cleri partes re penitus discussa in quibusdam controversiae deliberationibus convenerunt, circa quas decretis et litteris communibus subscripserunt; in aliis autem controversiae articulis discordarunt, circa quos utraque partium sua acta edidit. Ac primo quidem plures ambarum partium Praelati Innocentio X^o de quibusdam actis pseudo-Comitiorum Generalium ab Ormonistis anno 1648 celebratorum nomine in Nuncium tunc conditis Regnum purgarunt per hanc epistolam, cui tamen (nescio quorsum) haud omnes in apographo mihi tradito subscripsisse video. Epistolam illam hic habe.

"Beatissime Pater ad pedum oscula provoluti.

(621) "Superiori prope biennio convenire nequivimus, bello et divisionibus impediti. Tandem controversiis compositis natio Ibernorum in unum corpus contra communem hostem Catholicae religionis et patriae coaluit, et nos in Spiritu Sancto congregati Sanctitatis Vestrae Breve directum ad nos 1648 die 18 Augusti ad concordiam et unionem omnes Catholicos hujus Regni adhortandos dirigens perlegimus; et sane in hac Congregatione praecipuae nobis curae fuit concordiam inter Catholicos hujus Regni promovere et solidare, omnia et singula perperam acta tempore discordiae nuperae emendare, aut penitus abscindere, et abominari secundum enormitatem facti. Et vero in Comitiis seu Assemblea Kilkenniae anno 1648 invenimus processum ab anonymis aliquibus immissum et institutum fuisse in praetudicium Domini Nuncii, et D. Archiepiscopum | Tuamensem eodem tempore ex illa Assemblea destinatum ad D. Marchionem Ormoniae, Proregem, distantem tunc Kilkennia quatuordecim milliaribus noluisse abiisse, donec firmiter ipsi promitteretur nihil actitatum iri in processu illo usque ad ejus redditum. Abfuisse pariter tunc reliquos Episcopos, et praecipua quaeque illius Assembleae membra. Inde accidisse quod a paucis male affectis quaedam contra D. Nuncium Apostolicum actitata in libros Comitiorum irrepserint, articuli calumniosi fuerint ingesti, et litterae procuratoriae ejus Gratiae ex Regno discessum requirentes. Quae omnia et singula diligenti examine et inquisitione comperimus surreptitie emanasse, calumniosa esse, atque adeo bonorum omnium accoliarum hujus Regni voluntati displicere, intentionique

fuisse contraria. Atque haec studio adhibendi veritati testimonium contigisse, et esse, sicut dictum est, sancte asserimus.

Cluanmacnose

die 12 Decembris 1649.

Sanctitatis vestrae humillimi servi:

Hugo Ardmacanus. Fr. Thomas Dubliniensis.

Thomas Cassiliensis. Joannes Archiepiscopus Tuamensis. Emerus Clogherensis. Edmundus Limericensis. Nicolaus Fernensis. Fr. Edmundus Laghleniensis et Procurator Waterfordiensis. Fr. Hugo Duacensis. Andreas Finiborensis. Walterus Cluanfertensis Episcopus, Congregationis Secretarius."

(622) Litteras illas 19 Octobris 1648 pseudo-Comitiorum nomine Nuncio ab impio Richardo Blako scriptas, ut ex Regno discederet, accusationum capita ipsi ab eodem tanquam eadem authoritate freto Galviam missa ac litteris annexa, nec non edictum nefarium in Nuncium pseudo-Comitiorum nomine tunc editum, quae (ni fallor) hic ab utraque Cleri parte elumbantur, suo loco superius habes. Praeter quae, si alia acta eorundem pseudo-Comitiorum nomine in Nuncii diffamationem lata sint, quae ad meas manus non pervenerunt, hoc Cleri testimonio | satis superque enervantur. Clerus autem hic ad singula illarum calumniarum capita non descendit. Quare suo loco hanc Cleri defectum non nihil supplevi. Porro eodem die 12 Decembris Praelati Nuncio in censurarum controversia adversantes cum ab aliis Antistitibus opinione discordarent, ad Innocentium X^{um} dedere hanc epistolam:

(623) "Beatissime Pater ad pedum oscula provoluti, demississime intimamus Sanctitati Vestrae excommunicationem emanasse ante annum et sex circiter menses a D. Nuncio Apostolico in hoc Regno et ab aliquot delegatis Episcopis contra authores cessationis armorum per Supremum Concilium factae jam tum cum D. Barone de Insequin, Praefecto generali exercitus Protestantium in Provincia Momoniae. Appellatio interposita fuit. Non nulli nostrum, aliquie multi crediderunt, et etiamnum credimus excommunicationem illam requisitis fundamentis destitutam fuisse, Appellationemque legitime intervenisse, parati nihilominus semper nostras ea in parte opiniones nostraque omnia submittere Vestrae Sanctitatis placitis et decretis. Caeterum teneris inde conscientiis non nunquam scrupulus ingeritur. Quo igitur ejusmodi infirmitati

1988

v

et quieti sit sufficienter consultum, supplicamus humillime ut Sanctitas Vestra dignetur pro hujusmodi infirmorum securandis conscientiis absolutionis remedium adhibere ad cautelam citra ullum praecipuum Appellationis interpositae et partium jure utrinque salvo, et toti Regno suam benedictionem impetrari.

Cluanmacnois

hac 12 die Decembris,

1649.

Sanctitatis vestrae humillimi servi.

Joannes Archiepiscopus Tuamensis. Franciscus
Aladensis. Edmundus Limericensis. Andreas
Finiborensis. Fr. Oliverus Dromorensis
Episcopus. Oliverus Desse, Procurator
Midensis." |

1989

(624) Ex Episcopis Nuncio adversatis Ossoriensis et Midensis Capulares senes huic Congregationi non interfueru[n]t nisi per Procuratores, scilicet Limericensem (quem propterea non nullis decretis bis, nempe semel suo et semel ejus, cuius Procuratorem ageret, nomine subscrisisse obseruo) Ossoriensis, et Oliverum Desseum sua et Midensis, patrui sui, vice fungentem. Porro postridie hujus diei Praelati Nuncio suffragantes ad Suam Sanctitatem dedere has litteras circa eandem causam :

(625) " Beatissime Pater ad pedum oscula provoluti. Credimus Sanctitati Vestrae jampridem innotuisse causas et occasiones excommunicationis latae ante octodecim circiter menses in hoc Regno contra authores et adhaerentes cessationi armorum iamta factae inter Supremum Concilium et D. Baronem de Inchiquin, Praefectum generalem Protestantium exercitus in Provincia Momoniae. Appellatio interposita ab eadem excommunicatione (prout intelligimus) coram Vestra Sanctitate adhuc pendet indecisa. Certe nos credimus ab initio, et etiamnum credimus excommunicationem illam solidis innixam fuisse fundamentis, Appellationemque interpositam frivolum. Interim advertentes non nullorum inde animos scrupulis obnoxios existere, rogamus humillime ut Sanctitas Vestra pro animarum majori quiete et securitate dignetur praedictam Excommunicationem auferre ad cautelam, et jure suo cuique salvo, ac toti Regno suam benedictionem impetrari.

Datum apud Cluanmacnois

die 13 Decembris 1649.

Sanctitatis vestrae humillimi servi,

Hugo Ardmachanus. Fr. Thomas Dubliniensis.

Thomas Cassiliensis. Fr. Antonius Cluanmacnosesis. Fr. Boetius Elphinensis. Emerus Clogherensis. Robertus Corcagiensis et Cluanensis Episcopus. Fr. Arthurus Dunensis et Connerensis Episcopus. Fr. Boetius | Rossensis. Fr. Terentius Immolacensis. Walterus Cluanfertensis Congregationis Secretarius. Fr. Joannes Cantwell, Abbas S. Crucis. Doctor Thadaeus Clery, Episcopi Rapotensis Procurator. Doctor Joannes Hussey, Procurator Episcopi Ardfertensis. Fr. Gregorius O Fearail Prior Provincialis Ordinis Praedicatorum Provinciae Iberniae. Doctor Dermitius O Brien Hispaniarum Regis Agens in Iberniae Regno. Fr. Thomas Mackiernanus, Minister Provincialis Franciscanorum in Regno Iberniae. Fr. Edmundus Henry, Procurator Augustinianorum Provinciae Iberniae. Fr. Oliverus Valesius, Provincialis Carmelitarum exalceatorum."

(626) Hoc autem manu propria Episcopus Immolacensis, quem subscrississe vides, transcripsit, et a se authenticatum ad Nuncium in Italiam ex Ibernia transmisit. Quod apographum me vidisse testor, cum hoc solo discrimine, quod illi Immolacensis apographo Doctor Dermitius O Brien in subscriptionibus omittitur, qui tamen in altero ejusdem acti apographo apud D. Walterum Enos reperitur. Pervenit etiam ad meas manus ejusdem acti autographum in Italiam missum sed differens. In quo utique illa verba in fine acti contenta, *et jure suo unicuique salvo*, non reperiuntur. Nec Immolacensis, Cluanmacnosesis, Elphinensis, Corcagiensis, Thadaeus. O Clery, aut Dermitius O Brien, quos hic subscrississe vides, eidem autographo subscripserunt; in quo etiam Jacobus Dempsi, Vicarius Apostolicus et Decanus Kildariensis inter subscriptentes reperitur, qui tamen in aliis duobus apographis jam dictis omittitur; cuius diversitatis causam esse crediderim, quod | Congregationis Secretarius autographa partim ad Suam Sanctitatem, Nuncium, et forsitan alios per vias diversas majoris securitatis ergo transmittenda, partim Praelatis distribuenda multiplicasse videatur, sed non exacte curans ut omnia in omnibus consonarent. Multiplicata autem fuisse autographa ex eo constat quod praeter litteras autographas ad Suam Sanctitatem missas idem Episcopus

1989
vJust.
cap. 2.
num. 9.

1990

Immolacensis alias autographas ad Nuncium in Italianam transmiserit. De quibus ipse eidem Nuncio 10 Februarii 1650: "Originalia (inquit) aliqua illarum litterarum remisi per eximium virum D. Dermition O'Brien, Doctorem Theologiae, et socium missionis Comitis de *Beerhaven* a Rege Hispaniarum in hoc Regnum, ut eas alia via mittat ad Dominationem vestram Illustrissimam. Est vir rectissimus, vere Apostolicus." Sic ille. Apographa quoque ex autographis etiam ab ipso Cluanfertensi transcripta et multiplicata fuisse video. Et haec quae dixi etiam ex octo Praelatorum epistola eodem die 13 Decembris 1649 ad Nuncium data atque inferius ponenda colligo. Quod totum observandum duxi ut non miretur posteritas, si haec acta cum subscriptionum varietate a variis scriptoribus in medium producta fuerint. Caeterum eodem die ambae Praelatorum discordantium partes, et alii, qui neutri partium adhaerere videbantur, ad Suam Sanctitatem dederunt epistolam, quam ex autographo subdo:

"Beatissime Pater.

(627) "Ad pedum oscula provoluti ad Vestram Sanctitatem destinamus humillime D. Episcopum Dunensem et Conerensem.

1990 v Exponet fuse qua tyrannide, et qua | impietate Parlamentum Angliae proponat et prosequatur extirpationem Catholicae religionis cultorumque ejus universim hisce tribus Insularibus Regnis, invasionem subinde vicinarum regionum. Idem D. Episcopus nostra et nationis Ibernorum nomine supplicabit Sanctitati Vestrae pro paterna sollicitudine tempestive succurrere dignetur religionis Catholicae ac nationis Iberniae conservationi, et praefato D. Episcopo ex parte nostra fidem adhibere et utramque faelicitatem Suae Sanctitati praecantur

Pater Beatissime,

Apud Cluanmacnoise,

die 13 Decembris 1649.

Sanctitatis Suae servi humillimi.

Hugo Ardmachanus. Fr. Thomas Dubliniensis.

Thomas Cassiliensis. Joannes Archiepiscopus

Tuamensis. Edmundus Limericensis Epis-

copus. Fr. Boetius Elphinensis. Emerus

Clogherensis. Fr. Edmundus Lagleniensis

et Procurator Waterfordiensis. Edmundus

Limericensis et Procurator Episcopi Os-

soriensis. Franciscus Aladensis. Fr. Hugo,

Episcopus Duacensis. Fr. Patricius Episcopus

Ardaghadensis. Nicolaus Fernensis. Fr. Antonius Cluanmacnosensis. Fr. Oliverus Dromorensis. Fr. Boetius Rossensis Episcopus. Robertus Corcagiensis et Cluanensis Episcopus. Antonius Finiborensis Episcopus. Fr. Terentius Immolacensis Episcopus. Doctor Joannes Hussey, Procurator Episcopi Ardferensis. Fr. Joannes Cantuell, Abbas S. Crucis. Doctor Thadaeus Clery, Procurator Episcopi Rapotensis."

(628) Eodem etiam die Congregatio illa communes in Urbem dederunt epistolas, unam ad Cardinalem Iberniae | Protectorem, alteram ad Cardinalem Panzirolum, 3^{am} ad Cardinalem Spadam, 4^{am} ad Cardinalem Capponium, 5^{am} ad Principem Pamphilium, Innocentii X^m ex fratre nepotem, et 6^{am} ad P. Petrum Scarampum, antea in Ibernia Ministrum Apostolicum, quas brevitatis studio non insero. Omnes enim eo spectabant ut in Urbe de ambarum partium Catholicarum coalitione constaret, et ut praefati omnes Episcopo Dunensi fidem haberent, eumque inter tot Iberniae angustias in subsidiis a Sua Sanctitate procurandis adjuvarent. In epistola quoque ad Scarampum data habetur Dunensem fuisse allegatum ad Suam Sanctitatem, quo *inter alia Concilii Supremi submissionem ei praesentaret*. Ex quibus verbis colligo legationem illam fuisse decretam tum in alias fines, tum in jam dictum, nempe ut Dunensis Suae Sanctitati *Concilii Supremi submissionem ei praesentaret*, juxta articulum, de quo antea inter partium Catholicarum Nuncio adversatarum et Eugenii O Nelli Commissarios 12 Octobris 1649 convenisse vidimus. De qua re Episcopus Immolacensis ad Nuncium ex Ibernia in Urbem 10 Februarii 1650: "promisit (inquit) magistratus civilis (ut audivi a Reverendissimo Clogherensi) submissionem, et hoc ex concordato ipsorum cum D. Eugenio tempore concordiae ipsius cum Ormonio." Sic ille. Quare Congregatio illam epistolam Scarampo scribens credidit futurum ut illa magistratus civilis submissio fieret, quae tamen qualis futura esset ibi non determinatur. Qualis autem articulo cum Eugenii Commissariis 12 Octobris 1649 concluso satisfactura esset, superius, ubi illum articulum videris, observavimus. An autem magistratus civilis Cleri expectationi per illam epistolam | Scarampo scriptam expressae postea responderit in narrationis progressu videbimus. Porro eadem Cleri Congregatio Episcopo Dunensi D. Guillelmum Burgat, presbyterum

1991

1991

v

et Protonotarium Apostolicum, nec non diaecesis Immolacensis Vicarium Generalem, ad eam legationem obeundam in collegam associarunt, et eodem die 13 Decembris singulis dederunt litteras credentiales, atque amplissimam fecerunt potestatem Sedi Apostolicae et exteris Principibus, nominatim Sabado et Magno Etruriae Duci, *proponendi, gerendi, agendi, et determinandi quicquid ipsi proponerent, gererent, agerent, et determinarent, si praesentes essent.* Eodem etiam die 13 Decembris Congregatio, juxta articulum cum Eugenii Commissariis 12 Octobris 1649 conclusum, communem Nuncio scripserunt epistolam mihi non alibi nec aliter occurrentem quam in apographo propria Episcopi Immolacensis manu scripto, et ad Nuncium ex Ibernia in Italiam misso, sicut hic sequitur:

“Illustrissime et Reverendissime Domine.

(629) “Jam vehemens hac tempestate hanc patriam inundavit malorum torrens, fame pedetentim ingruente, peste grassante, et bello omnia vastante per illuviem Puritanicam, quam Anglia nuper in nostras oras evomuit, aperto ore ubique protestantem Missae exercitum nullibi permisum iri, ubi Parlamentum Angliae potietur rerum, ut non obstantibus quibuscumque antehac distantiis inter nos positis, unanimiter omnes extrema necessitate coacti nobis operae pretium duxerimus nostras omnium vires in unum conjungere ad quoscumque movendos lapides, | ut citius ac melius hosti communi valeamus resistere. Quare in paterna vestrae Illustrissimae Dominationis cura erga nos confidentes quam suppliciter rogamus ut, posthabitis oblivionique traditis occasionibus, quibus Dominatio vestra Illustrissima hucusque offensa existit, praesentem necessitatem nostram ob oculos solum habens, Agentes a nobis eo destinatos in suis obtainendis petitionibus promovere et adjuvare dignetur pro Deo, religione, et patria. Et ita vestras sacras manus deosculamur.

Reverendissimae et Illustrissimae Dominationis vestrae observantissimi servi.”

(630) Hoc apographum die, anno, loco, et subscriptionibus truncatum, Immolacensis verum esse testatus est his verbis:

“Copia vera epistolae subscriptae a Praelatis Regni in Congregatione habita apud Cluanmacnoise 13 Decembris 1649. Ita testor :

Fr. Terentius Immolacensis.”

(631) Denique eodem die Praelatorum, qui Nuncio adhaeserant, pars aliam seorsim ad eum epistolam scripserunt, quam hic habe:

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

"Inclusas a nobis subscriptas alia via ad Suam Sanctitatem directas misimus ad Dominationem vestram Illustrissimam, ne forte sinistre aliqui suggererent Dominationi vestrae | Illustrissimae nos in istis Comitiis a prima sententia vel modicum resiluisse, quod detestamur. Necessitas tamen publica et Puritanorum inundatio in hoc Regnum, per quam ad extremum usque discrimen est adductum, coegerit nos unionem et societatem cum reliquis de Clero nostro inire in communis hostis expugnationem; insuper alia inducti ratione, nempe quod Provincia Ultoniae, quae unicum nostrum munimen erat, instante morte D. Eugenii O Neill (ut audivimus), etiam de directione vestra per Capucinum Nugentium, cum Marchione de Ormond honorificis conditionibus convenerit. Quae omnia Dominationi vestrae Illustrissimae significamus, qui semper parati sumus et Dominationis vestrae Illustrissimae et nostram vindicare justitiam, et tanquam vere nobis adhaerentes commendamus Dominationi vestrae Illustrissimae promotionem Vicariorum Apostolicorum, nempe P. Jacobi Dempsii ad Kildariensem, et P. Jacobi Falloni ad Achadensem, nec non et quacumque via honorandi Doctorem Dermitium O Brien huc una Comite *Beerhaven* a Rege Hispaniarum destinatum. Et D. V. Illustrissimae manus deosculamur. Datum apud Cluanmacnois die 13 Decembris 1649.

Dominationis vestrae Illustrissimae

Humillimi servi:

Fr. Thomas Dubliniensis. Fr. Boetius Elphinensis
Episcopus. Robertus Corcagiensis. Fr.
Edmundus Laghlenensis Episcopus et Pro-
curator Waterfordiensis. Walterus Cluan-
fertensis Congregationis Secretarius. Fr.
Antonius Cluanmacnosensis. Fr. Terentius
Immolacensis Episcopus. Fr. Boetius Ros-
sensis Episcopus."

(632) Hanc epistolam omnium Praelatorum Nuncio adhae-
rentium nomine scriptam fuisse non dubito. Quod autem hic
dicunt, | nempe se audivisse Eugenium O Nellum, non nisi
Nuncio per Capucinum Nugentium dirigente et consentiente,
cum Ormonio concordiam iniisse, credendum est eos hoc audiisse,
sed mihi aliunde per viam longe certiorem liquet Nuncium,
ubi hoc audiisset, iis succensuisse, quibus authoribus rumusculus
ille percrebuerat. Certum quidem est P. Franciscum Nugentium,

1992
v

1993

Capucinum, quem hic intelligunt, Nuncio (sicut antea dictum est) consulto et consentiente ab Eugenio O Nello, Episcopo Clogherensi, et Richardo O Ferallo ad Regem et Reginam, ejus matrem, fuisse allegatum cum mandato satis amplio superius collocato. Certum etiam est P. Franciscum Lutetia Parisiorum scripsisse Nuncio litteras binas superius tactas, quas autographas habeo, quibus significavit Regem sibi in fidei apud Iberniam aliaque ejus do minia propagandae finem, et in Eugenii O Nelli favorem magna multaque promisso, quae aliaque plura illius legationis exitum spectantia cum P. Franciscus Nuncio 16 Augusti hoc anno scripsisset, postea tamen ad eum dedit biduo interjecto epistolam, quam ex autographo Latino habe:
"Illustrissime.

(633) "Quamvis omnia, quae vobis scripsi, sunt verissima, tamen quia est differentia inter verba et executionem verborum, ideo enixe precor vestram Eminentiam ut non desistatis agere pro Eugenio O Neill et aliis, qui vobis adhaeserunt, donec audietis a me ex Ibernia. Nam quamvis Rex noster mihi concessit omnia mea intenta quoad religionem Catholicam, quoad vestram Eminentiam, et quoad Eugenium O Neill et ejus adhaerentes, et ad confirmationem harum rerum dedit mihi tam verbum quam manum, non obstantibus his, quia homo est inconstans, et inconstantia temporis et occasionum subvertit negotia et bonas intentiones, vestra Eminentia possit expectare donec audiet a me ex Ibernia, dum video qualem finem habebunt promissiones Regis. Petens vestram benedictionem sum Parisiis
Illustrissime,

18 Augusti 1649.

Vester affectuosissimus servus et obediens filius,
Fr. Franciscus Nugentius
Capucinus indignus."

(634) Ex hac epistola conjectare licet Nuncium P. Franciscu in Iberniam rediunti non praescripsisse ut illam inter partes concordiam procuraret, sed ipsum P. Franciscum apud se statuisse in Iberniam remigrare, et quid tunc (rebus melius cognitis et ponderatis) expediret exinde significare. Constat autem partes ita 12 Octobris inter se deinde in Ibernia convenisse, ut P. Franciscus post scriptam illam epistolam et ante absolutam conventionem in Iberniam trahicere, ibi deliberare, deliberationem ex Ibernia Nuncio Romam significare, et novum partium reconciliandarum mandatum ab ipso ex Urbe recipere non potuerit. Nec dubito quin ipse Eugenius O Nellus et

Episcopus Clogherensis, viri perspicacissimi, aliique Ultoniae proceres et universa Provinciae nobilitas legatione a P. Francisco tunc in Iberiam regresso relata, | parum vel nihil adducti fuerint ejus monitis ad eam concordiam absolvendam, quam P. Francisco etiam dissuasuro contracturos credo ob rationes, quibus aliunde ducti concordarunt, licet forsan eorum non nulli legationem illam a P. Francisco relatam et in arena scriptam suae coalitioni praetenderint, ut non nisi Nuncio jubente nec nisi in ejus obsequium Ormonistis coaluisse viderentur.

1994

(635) Ex praefatis Congregationis Cluainmacnosiensis actis liquet quanta Praelatorum saecularium et Regularium autoritate ab initio, in progressu, et usque in finem Nuncii in fulminandis anno 1648 censuris, et in rejicienda Appellatione praxis nixa fuerit, nec alias Praelatorum ab hac primaeva et concordi omnium sententia, in quam per bina decreta 27 Aprilis et 2° Maii 1648 in armorum cessationem condita iverint, unquam postea descivisse, praeter illos pauculos postea eodem anno 1648 Clero persecutionibus disperso deceptos, quos et ipsos secus in eadem sententia permansuros fuisse nemo dubitet. Fidem enim habet illorum pauculorum postea et hactenus deceptorum neminem non eo fuisse animo, quo fuit illorum unus, nempe Limericensis, qui post condita illa duo Cleri decreta, sed antequam aperto Marte in Nuncium insurrexit, et 29 ejusdem mensis Maii 1648 scribens et de pseudo-Concilio loquens : "Extrema (inquit) quaeque experiri velle videntur quam incaeptum deserere. Quid autem boni possum ego in talibus angustiis praestare? Nihil omnino. Convocandi sunt igitur omnes Regni Praelati. Ipsorum enim causa agitur. Et ego eorum sententiae conformis ero." Sic ille. Verum sceleratissimi Consiliarii extrema quaeque (ut Limericensis verbis utar) experturi potius quam | incaeptum deserturi impie et maligne peregerunt ut postea in unum Clerus convenire et communiter deliberare hactenus nequiverit, haud ignorantes futurum ut secus per iterata Congregationis Ecclesiasticae decreta unanimiter ferenda constaret universo Regno de pudenda ipsorum perfidia. Licet autem pauculi illi Praelati, nisi pseudo-Concilium anno 1648 post egressum Kilkennia Nuncium cogendae Cleri Congregationi intercessisset, haud (ut credere par est) sententiam mutassent, sed pro perpetuo Congregationum Ecclesiasticarum more sanioris et majoris partis suffragia confirmassent, postea tamen Clero per diabolicas pseudo-Concilii fraudes et violentiam in unum convenire prohibito a primaeva sententia

1994

v

1995

ita desciverunt, et alteri oppositae per multas machinationes exequendae adeo turpiter et palam institerunt, ut hoc anno in Congregatione Cluainmacnosensi per litteras Suae Sanctitatis 12 Decembris scriptas induciis et interpositae anno 1648 Appellationi insistere maluerint, ne nullum tot malis ante patratis velum obtenderent pro peccaminosa verecundia filiorum Adam, quibus familiare est ut, quae nunquam se patrasse mallent, improbare tamen patrata, et culpam agnoscere erubescant, qui et ipsi cum per illas litteras absolutionem ad cautelam petierint, haud certo crediderunt se non errasse, sed potius circa suam opinionem haesitarunt. Imo Episcopus Immolacensis 13 Februarii 1650 ad Nuncium in Urbem ex Ibernia de ipsis deque illa eorum epistola scribens: "Nauseabant (inquit) illorum aliqui subscribere epistolae communi ab ipsis ad Suam Sanctitatem destinandae in favorem frivolae Appellationis." Haec ille, quae quid aliud significant quam et ipsorum paucorum quosdam, nescio quos vel quot, ita in ipsa Congregatione Cluanmacnosensi illis suis erratis defendendis institisse, ut non nisi vix institerint et illi epistolae sua in frivolae Appellationis prosecutionem ad Suam Sanctitatem exaratae cum nausea et horrore subscripsisse, parum abfuisse quin ibi palam resipuerint. Quod arcanum non reperio alteri praeterquam Immolacensi innotuisse. Nec dubitandum videtur quin saltem hi nauseabundi tunc prorsus resipuisserint, nisi credidissent futurum ut controversia a Sua Sanctitate quantocytus dirimeretur, et sic ipsi ex una parte paenitentiam libenter agerent, et ex altera Ormonii atque Ormonistarum multorum et magnorum invidia, nec non gravi levitatis nota, si suapte sponte sententiam revocassent, contrahenda liberarentur. Antea enim Romae jussus erat Pontificis nomine P. Joannes Rouaeus ut in Iberniam ad suos clientes scribebat, quatenus acta in Ecclesiae praejudicium lata refrigerent, deindeque suam Appellationem prosequerentur. Quod Pontificis responsum in Ibernia ubi innotuisset, Ormonistae per epistolam a Commissariis fiduciariis 4° Octobris 1649 Innocentio X° scriptam, et per articulum 12 Octobris cum Eugenio O Nello conclusum, nec non per hujus Congregationis acta operam dederunt ut via ad controversiam illam Romae dirimendam sterneretur, fidemque habet hanc ipsam controversiae in Urbem quantocytus dirimendae spem effecisse, ut Praelati etiam Nuncio adhaerentes eam sententiam ex Urbe expectandam duxerint, proindeque in illa Congregatione ipsi securim ad malorum radicem minus viriliter posuerint, quam secus posuissent.

(636) Porro cum fides longe majori et saniori Cleri Ibernici parti inducias cum Insequinnio contractas improbanti, censuras anno 1648 fulminatas approbanti, et interpositam ab Ormonistis tunc Appellationem frivolam fuisse in hac Congregatione declaranti habenda sit, liquet pseudo-Concilium, pseudo-Comitia anno 1648 celebrata, aliosque Ormonistas, etiam Clerum Ormonicum ab inchoatis mense Maio 1648 apertis dissidiis usque ad celebratam hanc Congregationem tot mendaciis, quibus eorum acta, litterae, et libelli scatent, populum impudenter decepisse, asseverantes induciarum articulos a Praelatis 27 Aprilis 1648 damnatos ita postea fuisse correctos, ut eorundem Praelatorum menti satisfactum fuerit, proindeque censurae fulminatae fundamento caruerint, Nuncium et paucos Praelatos in Ecclesiae non bonum, sed detrimentum privato commodo ductos illam tempestatem concitasse, aliaque id genus plurima, quae et ipsi falsissima esse probe scientes, nunquam (ne per publica Cleri acta de ipsorum mendaciis constaret) Cleri Congregationem celebrari permiserunt usque ad hunc anni 1649 mensem Decembrim, quo demum rerum suarum rationem ducentes Clero ita coire et communiter deliberare rogarunt, ut Praelati (exceptis pauculis illis Ormonicis), ipso etiam Ormonio atque ejus Commissariis fiduciariis ad Regni clavum sedentibus, proindeque Nuncii parti inter Praelatos (ut credere par est) vim inferentibus, ejus tamen etiam absentis et Regno explosi censuras et Appellationis rejectionem ratam gratamque habuerint, ne latum quidem unguem a prima sententia dimoti, nec Ormonistis nisi extrema necessitate cogente coaliti, sicut ipsos eidem Nuncio scripsisse vidimus. Caeterum quis demum illius legationis Dunensi et Guillelmo Burgatto tunc decretae exitus fuerit, suo loco reconsuebimus.

(637) Interea animadverto isti Congregationi Praelatos interfuisse alios qui a censuris, alios qui in censuras palam steterint, et alios neutros, Fernensem scilicet et Duacensem, qui ambo induciarum tempore Ibernia aberant. Quare amborum neutrum in hac Congregatione actis ad hujus controversiae cardinem | pertinentibus manum apposuisse video, tametsi Duacensis postea Massario, Sacrae Congregationis propagandae fidei Secretario, Romam Londino 17 Novembris 1653 scribens, et de Nuncio loquens: "Taceo (inquit) in Congregatione Episcoporum Cluanmacnoisae me publice ejus laudibus effusum sedulo orasse, vellem saltem ejus censuris tantum deferri, ut

1995
v

1996

pro earum absolutione ad cautelam Sanctissimo Domino Nostro ab utriusque partis Praelatis supplicaretur." Sic ipse de se. In hac etiam Congregatione Episcopum Ardachadensem prafatis actis, ex quibus, cuius spiritus esset, et quas partes tueretur, colligi posset, nec pro nec contra subscrisisse observo, licet Congregationi interfuerit et Ibernia induciarum contractarum et censurarum fulminatarum tempore non abfuerit. Nec dubitandum videtur quin ita se gesserit, nequas in ea controversia partes egisse vel agere per acta publica constaret. Porro praeter acta illa ad hanc intricatissimam controversiam et Episcopi Dunensis nec non Guillelmi Burgatti legationes pertinentia, eaque non in lucem edita, alia fuere ab iisdem omnibus triplicis generis Praelatis ibidem unanimiter lata, sed typis mandata sermone (credo) Anglico, quo etiam ad meas manus pervenerunt. Quae tamen apud Philopatrum in sua appendice Latine habentur, sicut hic sequuntur :

p. 270.

"Quaedam Acta et Decreta Edita per Ecclesiasticam Congregationem Archiepiscoporum, Episcoporum, Aliorumque Praelatorum Coactorum Apud Clonmacnosiam 4° Decembris 1649.

1996
v

(638) "Quia plerique antehac tam de Clero quam de laicis, | actionibus suis agendique viis multum discordes ac divisi fuerunt, eaque discordiae natae sunt ex contrarietate opinionum, quae nuper inter Praelatos et laicos contigit. Quo factum ut natio nostra minus concors, minusque sibi consentiens fuerit quam necesse esset hoc pericolosissimo tempore, quo omnes unanimis votis et operis communi hosti repugnare debent. Nos Archiepiscopi, Episcopi, aliquae hujus Regni Praelati motu proprio congregati apud Clonmacnosiam 4° Decembris 1649 omnibus, quae inter nos versabantur, discriminibus (sine ulla priorum opinionum discussione aut decisione) remotis, quo omnes simultates tam a nostris, quam ab aliorum, qui penes nos pendebant, superiorique opinionum diversitati hactenus haerebant, cogitatis, animis, et consiliis amandentur, expedire judicavimus horum tenore omnibus manifestare divisiones illas, indeque natas simultates jam ex utriusque partis consensu inter nos (ut dictum est) remissas et oblivioni traditas esse, nosque omnes et singulos supradictos Archiepiscopos, Episcopos, ac Praelatos divino favore quasi in

unum corpus coaluisse, sicque juxta quod charitas, curaque nostra pastoralis efflagitat, tanquam unum integrum corpus pro rebus et immunitatibus Ecclesiae, omniumque ac singulorum Episcoporum et Praelatorum, pro honore, dignitate, praediis, juribus, ac possessionibus omnium et singulorum praedictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Praelatorum defendendis graviter acturos.

(639) "Unitis etiam animis et operis, Regiae Majestatis jura, hujusque universae nationis, nec non singulorum privatorum commoda (quantum facultas erit) consiliis, actis, et industria, data occasione promovebimus; nec quisquam nostrum ulla prorsus in re Catholicam religionem, aut hujus Iberniae Regni utilitatem | quomodocumque spectante, sese ullo colore ab aliorum sensu sejunget, aut reliquis vel in specie adversabitur. Sed potius (ut jam dictum est) in unius integri corporis compage firmiter omnes haerebimus.

(640) "Per haec insuper acta, verba, et cogitata detestamur omnium et singulorum, qui vel minimam praeteritarum dissensionum memoriam renovaverint, ullamve novis inter nos discordiis viam straverint, universosque greges nostros ad eandem fraternalm charitatem et unionem, paremque praeteritarum divisionum ac simultatum supradicto modo inter ipsos natarum detestationem in Christi Jesu nomine cohortamur. Volumusque ut haec nostra declaratio imprimatur, et in singulis parrochiis priorum ordinariorum jussu publicete, ut videant opera vestra bona, et glorificant patrem vestrum, qui in caelis est. Datum apud Clonmacnosiam 13 Decembris anno 1649.

Hugo Archiepiscopus Ardmacanus, Iberniae Primas. Fr. Thomas, Archiepiscopus Dubliniensis. Thomas Archiepiscopus Cassiliensis. Joannes Archiepiscopus Tuamensis. Fr. Boetius, Episcopus Elphinensis. Fr. Edmundus, Episcopus Laghlinensis et Procurator Waterfordiensis. Emerus, Episcopus Clogherensis. Robertus Episcopus Corcagiensis et Cluanensis. Nicolaus, Episcopus Fernensis. Edmundus Episcopus Limericensis, et Procurator Episcopi Ossoriensis. Franciscus, Episcopus Aladensis. Andreas Episcopus Finiborensis. Joannes Episcopus Laonensis. Fr. Oliverus, Episcopus Dro-

1997

1997
v

morensis. Fr. Antonius, Episcopus Clonmacnosiensis. Fr. Hugo, Episcopus Duacensis. Fr. Arthurus, Episcopus Dunensis et Connerensis. Fr. Terentius, Episcopus Immolacensis. Fr. Patricius, Episcopus Ardaghadensis. Oliverus Desse, Procurator Episcopi Midensis. Doctor Joannes Hussey, Procurator Episcopi Ardfertensis. Fr. Joannes Cantwell, Abbas Sanctae Crucis. Doctor Thadaeus Clery, Procurator | Episcopi Rapotensis. Fr. Gregorius O Ferall, Provinciae Ordinis Praedicatorum Provincialis. Fr. Thomas Makiernan, Provincialis Fratrum Minorum Provinciae Iberniae. Walterus Clonfertensis, Congregationis Secretarius."

2.

"*Per Ecclesiasticam Congregationem Regni Iberniae.*

(641) "Nos Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ordinarii et Praelati Regni Iberniae apud Clonmacnosiam *motu proprio* 4 Decembris 1649 eo fine congregati ut praesentissima aliqua et validissima excogitaremus praesidia, quibus commissi nobis greges in concordiam revocentur, ac divina, qua affliguntur, ira ab hac natione, jam sub belli, famis, ac pestis calamitatibus sanguinante avertatur, pro instauranda praesente concordia quae sequuntur decrevimus :

(642) "1. Praecipimus, ac pro hujus Congregationis acto decernimus, ut omnes Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ordinarii supplicationes, jejunia, exomologeses, Dominici corporis communionem, aliaque pietatis opera in suis singuli diaecesisibus indicant *toties quoties*, ut imminens Dei ira ab hac natione avertatur, populique ad flectendam divinam misericordiam magis reddantur idonei.

(643) "2. Praecipimus, et pro hujus Congregationis acto decernimus, ut a nobis emanet declaratio, qua popularibus nostris significetur, quam vane a communibus hostibus Cromuello sub Anglorum perduellium autoritate parentibus ullam religionis, vitae, aut fortunarum securitatem expectent. |

(644) "3. Praecipimus, et pro hujus Congregationis acto 1998 decernimus pastoribus omnibus ac praedicatoribus injungi, ut animorum reconciliationem et charitatem doceant ac praedicent, et quo ad eam restaurandam inducatur populus, quam sit illa omnino necessaria, declarant; cum manifestum sit unicum illud pro natione ab extirpatione, religioneque ac fortunis servandis ab ea, quam hostis inferre statuit, ruina reliquum esse praesidium. Nosque horum tenore quaslibet simultates, sive illae sint inter Provincias et familias, sive inter priscos Anglos et priscos Iberos, sive inter quoscumque Anglos et Scotos Regiae Majestatis adhaerentes detestamur. Insuper decernimus ac praecipimus, ut quilibet ecclesiastici, qui dissensiones aut exitiosas divisiones fovent, a suis singuli Praelatis ac praepositis puniantur juxta gravitatem excessus, et (si opus fuerit) suspendantur beneficiati et pastores ab officio et beneficio ad certum tempus. Religiosi autem a divinis juxta circumstan-
tias delicti, laicorum in hoc genere delinquentium correptionem civili magistratui per vincula, mulctas, exilia, aut quemcumque alium modum, quem ipse expedire videbit, relinquentes, ut tam detestabile crimen radicitus extirpetur. Cujus decreti executionem omnibus in potestate constitutis, aliisque quorum interest, ea districione, qua Deo Optimo Maximo malorum inde nasciturorum rationem ipsi reddituri sunt, enixissime commendamus.

(645) "4. Decernimus ac declaramus excommunicatos publicos illos latrones, qui vulgo dicuntur *otiosi Juvenes*, qui proborum virorum alios bonis spoliant, alios ad tributa sibi solvenda compellunt. Similiter eos omnes excommunicatos declaramus, qui illos juvant, hospitio excipiunt, victum ipsis aut donant | aut vendunt, pecora aut quidlibet aliud scientes ac prudentes ab ipsis emunt. Similiter et ecclesiasticos omnes, qui ejuscemodi latronibus seu *desidiosis juvenibus* sacramenta administraverint, eosve sacra sepultura honoraverint, ab officio et beneficio, siquod habent, a suis singulos praepositis juxta gravitatem delicti suspendendos declaramus. Hoc nostrum decretum intra quindecim dies a sui publicatione in singulis diaecesis obligandi vim habiturum est.

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus, Iberniae
Primas. Fr. Thomas Archiepiscopus
Dubliniensis. Thomas Archiepiscopus Cas-
siliensis. Joannes Archiepiscopus Tuamensis,"
etc., ut supra.

3.

"Per Ecclesiasticam Congregationem Regni Iberniae."

(646) "Nos Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii, aliqui hujus Iberniae Regni Praelati congregati apud Clonmacnosiam *proprio motu* 4 Decembris 1649. Cum inter caetera tum agitata, ac pro hujus Regni conservatione statuta negotia, expenderemus plures e gregibus nostris vana quadam opinione seductos sperare primarium perduellium vulgo *Parlementariorum* Ducem utiles pacis leges sibi esse concessurum, eaque spe lactatos in integrum religionis, vitarum, ac fortunarum ruinam (ni occuratur) esse praecipitatueros. Declaramus per haec, et tanquam certissimam veritatem exponimus, ut eos ab hac inani expectatione revocemus, hostis consilium esse Catholicam religionem ab omnibus | Regiae Majestatis dominiis extirpare. Quod tam ex crebris perduellium Comitiorum decretis, quam ex ducum ipsorum, ubi victores sunt, more evidenter appetet. Qui quidem mos nobis manifestus est ex epistola a Cromuello 19 Octobris anno 1649 ad eum, qui tum Rossiponto oppido praeerat, scripta. Ejus verba sunt: "Quantum ad id spectat, quod mentionem facis de libertate religionis, nullius ego conscientiam tango. Verum si per conscientiae libertatem, facienda Missae libertatem intelligis, plane tecum agere satius duco, tibique significare, quod, ubicunque Angliae Comitia praevalent, id non concedetur."

(647) "Tyrannicum hoc propositum jam Vadiponti, Wexfordiae, Rossiponti, et alibi executioni mandarunt, evidenterque notum est, quod per decreta Comitiorum, quae vulgo *Acta Subscriptionis* dicuntur, incolarum hujus Regni praedia jam sint vendita, adeo ut nihil amplius ipsis faciendum supersit quam ut emptores per exercitus illos, qui ex Anglia in hoc Regnum transfusi sunt, in praediorum illorum possessionem mittantur. Quantum vero ad vulgum spectat, qui ab hostibus modo non nihil mitius tractatur, id non alio fine, quam promovendi proprii commodi voto faciunt, quo videlicet alendis suis copiis ille in praesens famuletur. Caeterum constitutum illis, si forte (quod absit) vicerint, statim a parte victoria ipsam etiam plebem extirpare, et terram hanc transferendis huc novis ex Anglia coloniis plantare; cuius veritatis indicio est tantus indigenarum numerus, quos jam substitutis in eorum locum hostibus ad Nicotiae Insulas relegarunt. Revera

enim consilium extirpandae religionis hujuscemodi, exilium, aut alia aliqua | id generis desolatio sequatur necesse est. Illa siquidem sine omnium Catholicorum civium caede aut relegatione extingui non potest.

1999
v

(648) " Nos igitur tam pro nostro in Deum officio, quam pro debita conservationi gregum nostrorum cura facere non possumus quin eos admoneamus, ne sibi illudi sinant, seque justarum conditionum ab illo crudeli hoste obtinendarum spe pessundent. Quamobrem nobiles aliosque omnes hujus Regni incolas per Dei gloriam propriamque ipsorum salutem obtestamur, ut necessaria, quantum facultates ferunt, ad belli contra communem hostem sustentationem impigre et alacriter contribuant. Quo facto sperandum erit fore ut divina miseratione ab imminentibus malis servati, posthac in nativo solo Deo servire valeant, suisque possessionibus, laborumque fructibus a gravibus, quibus modo premuntur, oneribus immunes in posterum fruantur.

(649) " Admonemus pariter eos, qui militiae nomen dederunt, jamque stant in armis, ut caeptam defensionem juxta singulorum munia, positamque in ipsis fiduciam contra communem hostem in tam justo bello pro religione, Rege, ac patria suscepto constanter prosequantur, quatenus divinam benedictionem actionibus suis infundendam expectent. Demum monemus, quo grave Dei judicium patriaeque indignationem declinent, ne populum expilent aut opprimant, aut quemquam ex subjectis imperio suo, quantum in ipsis erit, civem aliquem concutere aut opprimere sinant.

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus, Iberniae Primas, &c. ut supra." |

(650) Huic Praelatorum Congregationi porrectae fuere 2000 diversae iniqui regiminis Ormonici corruptelae, et Provinciarum, praesertim Momoniae et Lageniae, gravamina, ut remedium adhiberetur. Quibus querelis via regia Clero patebat ad ex-authorandum Ormonium, tanquam iniquum et infaustum Proregem, atque Articulorum pacis secum antea contractae violatorem, quo facto Catholici facilis negotio primaevam confederationem resumpsissent, Ormonii et Ormonistarum regimine millies tutiorem. Denique longe satius fuisse tunc Ormonium deponere quam anno 1650, quo eum Clerus sero nimis magistratu abdicavit. Videtur etiam tunc justitiae et zelo Domus Dei consonasse, ut Cleri Congregatio, non obstante

frivola Appellatione anno 1648 ab Ormonistis interposita, viriliter inducias cum Insequinnio anno jam dicto contractas iterum damnaret, censuras earundem prohibendarum ergo latas denuo confirmaret, interpositam Appellationem nugatoriam fuisse declararet, Ormonistas in defendendis eodem anno 1648 induciis, spernendis censuris, persequendis Nuncio et fautoribus, frustrandis anteriorum Comitiorum decretis, evacuandis legationibus, Galicana scilicet et Romana, ferendis in Nuncium, Clerum, fautoresque tot actis iniquissimis, celebrandis pseudo-Comitiis ex Ormonistarum et haereticorum caetu compactis, intrudenda per illas violentas et fraudulentas machinationes pace impia et crudeli 17 Januarii 1649 promulgata, revocando atque in Proregem assumendo Ormonio, malorum omnium authore, solvenda confaederatione Catholica, substituendo Regimine Ecclesiae et nationi | exitiali ex Ormonistis et haereticis conflato, restituendis in integrum haereticis antea justo bello deturbatis, et denique in patrandis millenis aliis malis eodem fonte natis perfidiosissime et sceleratissime se gessisse pronunciaret, deindeque Clerum populumque ad flectendam paenitentia divinam misericordiam, ad satisfaciendum Sedi Apostolicae, Nuncio, et caeteris inique multatis, ad rescindenda omnia in eorum praejudicium lata gestaque, ad impiam pacem proscribendam, ad excutiendum Ormonii et Ormonistarum regimen et ad resumendam confaederationem Catholicam exhortaretur. Circa quam deliberationem duo mihi in basim sternenda videntur: 1°. Illam fuisse justissimam sanctissimamque, et in futurum tunc tutiorem, contrariam vero etiam malorum postea natorum Iliadi praebuisse occasionem, cum earundem machinationum authores pessimis caeptis usque in finem institerint. 2°. Fuisse executioni facile mandandam, Ormonistarum coryphaeis jam magna ex parte justo Dei judicio in Ormonii exercitu vel Vadiponti aut Wexfordiae (illos enim solos vel haereticos Ormonius ita in Praefectos cooptaverat, ut Ecclesiae fautores ante Cromuelli appulsum toto Regno depresso excluderit) contrucidatis aut captis, eorumque reliquis cum ipsorum Ormonio et Insequinnio jam omni vi destitutis, imo adeo odio habitis, ut parum dubito quin futurum fuisset ut ad hujusmodi generosam Congregationis Ecclesiasticae deliberationem facili negotio exauthorarentur, et punirentur, vel se proriperent. | Quo pie et prudenter peracto sperandum fuisset suam causam a Deo sic paenitentia placando potenter prosperandam, exercitu Ultonensi tunc pene integro ad Cleri obsequium

2000

v

2001

paratissimo, et ipsorum Ormonistarum non paucis Dei brachio invisibiliter quidem operante sed palpabiliter puniente jam consternatis et resipiscentibus, usque adeo ut nec Waterfordia, nec Clonmellia, nec Limercium, quibus tunc Cromuellus ex proximo insidiabatur, in praesidiariis ab Ormonio destinandis, sed in Ultoniensibus tanquam se nunquam Cromuello prodituris spem collocarent, cui Ultonienses non defuerunt, sed generosissime responderunt.

(651) Per quid autem steterit, quo minus ab illa Congregatione in nobilem aliquam hujusmodi sententiam itum fuerit, mihi nusquam evidentius occurrit, quam in epistola communis 12 Februarii 1651 ex oppido Galviensi ad Nuncium in Italiam ab Archiepiscopo Dubliniensi, Episcopo Cluanfertensi, Jacobo O Fallon Vicario Apostolico Achadensi, Carolo O Kellio Decano Tuamensi, eoque sui Capituli nomine subscribente, P. Francisco O Sullevano, Franciscanorum strictioris observantiae tunc apud Iberniam Provinciale, et D. Patricio Lynchaeo, Collegii Galviensis S. Nicolai Praeposito, missa. Quorum verba huc spectantia ex autographo propria Episcopi Cluanfertensis manu scripta hic habe: "De celebri (inquiunt) Cleri totius apud Cluanmacnoise Congregatione (in qua Episcopi supra viginti interfuerunt, praeter absentium Procuratores, Vicarios | Apostolicos, Mendicantium Provinciales, non nullos etiam sacrae Theologiae Canonumque Doctores) vestram Illustrissimam Dominationem audiisse credimus. Quae quidem Congregatio, utpote de consilio Supremi Gubernatoris, Regni Procerum, et Consiliariorum convocata, in spem magnam populares nostros erexit, quod laboranti salutem afferret Reipublicae. Verum irato numine, et nondum per nos expiatis criminibus placato, contigit ut nihil vegetum aut virile, nihil Episcopali virtute ac fortitudine dignum ad factionum et haeresum germina radicibus extirpanda fuerit conclusum. Imo vero admitente imprimis Domino Clogherensi (cui consilium illud insedit moderatius tunc agendi cum Gubernatore Supremo optime, ut asserebat, de patriae salute affecto) unionem quandam superficie tenus et umbratilem, qua praeterita omnia oblivioni traderentur, inivimus, ac licet D. Cluanfertensis et alii quidam Episcopi summa vi et disceptatione contenderent, ut Episcoporum aliquis Romam mitteretur cum submissione humillima tam Episcoporum, qui vobis adversati sunt, quam aliorum, qui contumeliose tractatam Dominationem suam e Regno amandare non verebantur, in Episcopum quidem, videlicet D. Dunensem,

2002

mittendum convenerunt omnes. Verum Episcoporum submissio desiderata est, quia nullis omnino conscientiae stimulis agitatos sese ob praeterita affirmabant. Quod ad Consiliarios eorumque factiones attinet, nihil tale ipsis venit in mentem, ac proinde pecuniarum, | quas pro Episcopi expensis rependere prius fuerant polliciti, nec teruncium postea dare voluerunt, nec querelis popularium per nos exhibitis ullum fuit adhibitum remedium." Haec illi. Ex quibus colligendum videtur Episcopum Clogherensem Ormonio in illa Congregatione Ecclesiastica potenter patrocinatum fuisse, et talem tunc extitisse, qualem P. Joannes Pontius Nuncio per litteras Parisiis 8 Martii 1650 in Italiam scriptas delineavit. Qui de Roberto Fitz-Mauritio, Chiliarcho Iberno, in nuperis exercitus Ultoniensis rebus versatissimo, atque ex Ibernia tunc recens Parisios appulso, loquens : " Dicit (inquit) Clogherensem jam esse ex iis, qui maximo apud Ormonium favore pollent." Sic Pontius. Hunc etiam favorem eo progressum videbimus, ut Ormonius Clogherensem in Eugenii O Neilli locum substituerit, atque in exercitus Ultoniensis Imperatorem asciverit. Qui rerum eventus et stupenda amborum inter se studiis, religione, plurimisque aliis modis tantopere distantium metamorphosis efficit ut non defuerint, qui suspicati sint alterum alteri operam praestitisse in mutuum amborum commodum privatum sed publici praejudicium. Quam suspicionem ita fundamento in Episcopo caruisse credendum est, ut tamen nequeam satis admirari quo pacto successerit ut in illa Congregatione ante alias in Ormonium non insurrexerit, sed ei patrocinatus sit, cum ad annos anteriores Eugenii O Nelli consiliarius, et omnium, qui Ormonio inter Catholicos repugnarint, fuerit facile princeps. Porro cum Clogherensem in illa Congregatione Ormonio patrocinatum constet verisimile videtur eum etiam Ormonio citius adfuisse, nempe in reconciliando secum | et cum Ormonistis exercitu Ultonensi, praesertim in solvendo nodo nato ex modo, quo in extricanda censurarum ad annum 1648 fulminatarum controversia procedendum foret. Quam re ipsa Clogherensis, cuius potissimum fidei Eugenius O Nellus aliquique Ultonienses rem componendam crediderant, ita expedivit ut nihil pene in Nunciis et partium ipsi adhaerentium favorem circa illud controversiae caput ab Ormonistarum Commissariis obtinuerit, licet prima fronte secus apparere videatur. Quod totum ex ipso concordiae articulo 12 Octobris 1649 dato et superius posito satis superque liquet. In his tamen omnibus suppono Clogherensem haud in

2002

v

aliam ivisse sententiam ab ea, quam perpensa temporum injuria et summa rerum calamitate publico nationis et religionis Catholicae bono profuturam judicarit, cum certissimum sit eum semper ardentissime cupuisse, ut neutra in plenissimam non assereretur libertatem.

(652) Antea tete*gi* D. Franciscum Esmundum, vel (ut ipse forsan per oblivionem scribit) Edmundum, et Jacobum Dillonum ex Ibernia in continentem digressos fuisse, ut ab exteris Principibus, potentatibus, Prae*latis*, et Proceribus Catholicis ad propagandam in Ibernia fidei atque Ecclesiae causam subsidia implorarent. In qua provincia obeunda *Cleri Ibernici bene affecti, Eugenii O Nelli, exercitus Catholicci, et partium Nuncio, proindeque Sedi Apostolicae adhaerentium oratores agebant*, et in ipsorum epistola 9^o Julii 1649 Bruxellis ad Nuncium scripta lego eos nomine Catholicci exercitus illius Regni a D. Eugenio authoritatem habuisse. Nuncius quoque ab ipsis per litteras interveniente P. Paulo King instanter rogatus, in eorum favorem ex Gallia litteras commendatitias dedit, quibus in Belgio atque in Hollandia apud Catholicos Batavos suam causam melius orarent. Postea vero et alias Divione ipsis misit litteras testimoniales minori sigillo munitas, quae eos ad rem Iberniae Catholicam in partibus transmarinis procurandam missos testabantur, nulla facta mentione a quibus vel qua autoritate missi essent? His illi mandatis non contenti per communem epistolam 9 Julii Bruxellis datam rogarunt ut litteras patentes nomine et authoritate sua et bene affecti Cleri Ibernici, facta quoque mentione authoritatis, quam nomine Catholicci exercitus Regni a D. Eugenio habuerant, forma ampliore et sigillo explicatori munitas ad se ipsos mittere dignaretur. Imo institerunt ut a Sua Sanctitate diplomata ipsis commendatitiae obtineret. Quibus tamen a neutro acceptis, nedum in Belgio et Hollandia, apud quae loca parum profecerunt, sed et in Germania legationem illam obierunt, ubi saltem Elector Coloniensis et alii armorum et pulveris nitrati subsidium polliciti sunt, sicut eorum alter, scilicet Franciscus, ultimo Octobris Colonia Agrippina Nuncio significavit. Ad quem respondens Nuncius: "Tandem (inquit) Romam perveni, ubi vestras litteras ultimo Octobris datas recepi. Breviter dico quod, si ultima ac recentiora, quae de Ibernia supervenerunt, vera sint, non dubito quin Dominatio vestra habitura sit hinc totum quod maxime cupid, atque ego etiam majori quam antea ardore res prosequear Ibernicas. Caeterum cum alii contraria

2003

v

spargant in vulgus, ac disseminent nuper fractum esse exercitum Catholicum, et res nostras pene periisse, necesse erit expectare ulteriores litteras, ex quibus rei veritas elucescat. Jam deposui ad | Sanctissimi Domini Nostri pedes jurisdictionem Ibernicam, ideoque nefas mihi est aliquid ex meo capite statuere, sed debo omnia cum eodem Sanctissimo communicare, qui (ut spero) nunquam desistet rem Catholicam in eo Regno protegere, dummodo videat superesse illos, qui possunt esse ad hoc instrumenta." Haec Nuncius, cuius expectationem frustravit paulo post Romae audita Eugenii cum Ormonio concordia et secutus Eugenii obitus. Nec scio quid deinde praefati duo, Esmondus et Dillonus, praestiterint, parumque dubito quin pro virili processerint. Quos etiam haud multum impetrassae crediderim, cum (sicut ipsi litteris exclamabant) ubique offenderint suae nationis Ormonistas, qui contrariis suggestionibus eorum petitiones enervabant. Et (ut semel dicam) ipse quosdam novi insignes nebulonum coryphaeos Iberos privata authoritate se apud exteris gentes in nationis procuratores induisse, et suae nequitiae praetendisse causae Catholicae apud Iberiam illo bello promovendae zelum, ut subsidia assequerentur ab ipsis postea non in castris sed in cauponis collocata.

2004

(653) In Hispania hoc tempore per multos annos claruit R. P. Daniel O Dalaeus, seu (ut in suo Dominicanorum Ordine vocabatur) Dominicus de Rosario, Iberius Desmoniensis, S. Theologiae professor, in supremo S. Inquisitionis senatu censor, et in Lusitaniae Regnis quondam visitator generalis, Reginae Portugalliae Confessarius longe charissimus, qui magna apud illam authoritate fretus duos Ulissipone suis popularibus Dominicanis Conventus, alterum Religiosorum, Religiosarum alterum, fundavit. | Ille hac sua apud dictam aulam fide usus, Regis Angliae legato ibi in rebelles Parliamentarios obsequium aliquod praestitit. Quo factum ut Regem Angliae Reginamque ejus matrem demeruerit. Quam januam exequendis suis consilis apertam videns, ex Lusitania hoc anno in Galliam trajecit. Ubi Lutetiae Parisiorum praefatis Principibus familiaris et gratus, apud se statuit arduam subire provinciam, Iberniae scilicet infortunio aliquid adhibere remedium. Mentem ejus et viam ab eo ineundam non nisi per duas epistolas rescivi, unam ab ipso Hispanice 17 Decembbris 1649, et alteram Italice a P. Joanne Poncio, Franciscano Iberno, cui sua arcana crediderat, 24 ejusdem mensis Parisiis Nuncio in Urbem scriptas.

Itaque (sicut ex illis litteris colligo) Regi Reginaeque Angliae persuadebat se in tricarum Ibernicarum arenam non descensurum, nisi ut inter alia ipsis tam obsequeretur, quam qui maxime. Dabat etiam operam ut intelligerent sua ipsorum permagni interesse ut subditis Catholicis faverent. In ipsis spem ponerent. Religionem Catholicam in tribus regnis Britannicis suaviter et fortiter propagarent. Suam Sanctitatem sibi demererent, ejusque nec non Principum et Principatum Catholicorum ope postliminio restituerentur. Cumque sciret ambobus rationem, qua Nuncius in Ibernia se gesserat, non arrisisse, Nuncii causam apud ipsos non sustinuit. Quinimo coram Principibus improbasse vel saltem simulasse videtur, cum Poncii suis litteris Nuncio significarit, eum per prudentiam re ipsa simulasse, rogaritque | ut simulatione illa nihil obstante persuasum haberet, eum ipsi de facto singulariter studere, nihilque non effecturum, quo Nuncius triumpharet. Ipse quoque suis ad Nuncium litteris in ejus adversarios multum invectus rogavit ut patienter toleraret, et Nuncii officium non deponeret. Se enim affirmabat in Iberniam profecturum, et operam daturum ut Iberni a Sua Sanctitate Nuncium saltem natione Ibernum postularent, qui semper in Regno resideret. Ad haec autem omnia dextere exequenda instituit, ut sui Ordinis Minister Generalis sibi Romam proficisci faceret potestatem ita religionis Catholicae, Ecclesiae Ibernicae, Suae Sanctitatis, Regis Angliae, et Nuncii causam tractaturo, ut nulla omnium pars eum sibi studere non arbitraretur, reque ipsa aequum se omnibus arbitrum preeberet. In illa autem ad Nuncium epistola serio cum ipso egit ut Innocentius X^{us} Principes Catholicos ad succurrendum Regi Angliae induceret. Romam ergo demum in hos fines profectus est, ubi et alibi quid in hoc negotio profecerit, anni sequentis est recensere.

(654) Hoc etiam hyeme P. Patricius Crellius, Cistertiensis Ibernus, Abbas Nurensis, sua legatione Londini infaeliciter functus, Parisios trajecit, Romam redditurus. Quem stupebant quid Londini egerit, vel quorsum Romam cogitaret? De quo P. Joannes Poncii Parisiis Romam 19 Novembbris 1649 Nuncio scribens: "Heu (inquit) paucis diebus elapsis Abbas Crellius venit Londino, ubi licet nesciatur quid egerit, nihilominus Regis | et Reginae nostrae aula eum magnopere timebant et adhuc timent. Istuc propediem se conferet, et eorum quae gesserat rationem reddat. Mihi tantum verbis generalibus communicavit, modo ipsi non defuerit par cooperatio cum

2004
v

2005

expeditione in ista aula conformiter rebus, quas cum fundamento sufficienti ad id genus negotia praestanda propositurus est, se non dubitare quin afflictam patriam iterum in bonum statum reducat. Hic, ex quo appulit, plures ex Reginae et Cardinalis (Mazarini) parte, licet se ab ipsis missos fuisse non confessi sint, eum convenerunt, rogantes ut eos visitaret. Ille vero eos ab ipsis missos fuisse se nescire simulans, se excusavit, dicens sibi nullius momenti rem esse cum ipsis agendum, et videri praesumptuosum quod erga personas tanta dignitate prae-cellentes exercere vellet saltem urbanitatem, nisi ab ipsis advocatus. Eo autem casu se debito ipsis obsequio non defuturum. Sua nolendi aliter ire ratio erat: 1°. Quod nec quoad causam communem, nec quoad personam propriam, ullum ab ipsis bonum expectaret, deindeque timebat, ne a se discere vel saltem sciscitari vellent quid in Anglia tractarit, et ne nasceretur occasio ipsis displicendi citra utilitatem, cum ad eorum votum ipsis satisfacere nequiret." Haec ille Italice. Porro Crellius paulo post Romam remigravit, ubi et alibi quid egerit, ad annum sequentem tangemus.

(655) Antea vidimus Scotiae Ordines hoc anno ad Regem Angliae, antequam ex Hollandia in Galliam rediret, allegasse, qui suum ipsi certis conditionibus Calvinismi toxicō plenis obsequium offerrent. Quas ille ita ratas non habuit ut certas fecerit ad interposita ab illis Commissariis Scoticis postulata responsiones, nulla tamen Scotiae Ordines, a quibus missi essent, epistola dignatus, quod illis tanquam de patre et se pessime meritis succenseret. Quare legatione relata, et indictis Edinburghum Scotiae Comitiis, nec non pseudo-Cleri Calvinistici conventiculo Regisque propositionibus non arridentibus, datae fuere ad eum duae epistolae, una 6^o Augusti 1649 a pseudo-Clero, et altera postridie ejusdem diei a Regni Ordinibus, quas brevitatis studio in medium non produco. Primae autem summa haec fuit: Scotos a Rege responsionem, quae eorum votis satisfaceret, expectasse, et dolere quod usqueadeo huic eorum expectationi defuerit, ut etiam ad concessum ne epistolam quidem dederit praeter morem ab ejus patre usitatum. Se tamen Deum attestari quantopere patris ejus caedem (quae praecipuam Regi filio indignandi causam praebuerit) horruerint, horreantque, et quanto cupiant studio ut ipse ejus majoribus per tot retro saecula Scotiae Regibus succedat, suaque alia Regna recuperet. Se ratione, qua cum praefatis Commissariis egerit, irritatos nolle tamen datam arripere occasionem de-

trectandi ejus imperium, sed in obsequio persistere, percupientes ut ipsorum postulatis acquiescat, quo deinde quaeque sibi charissima in juris Regii defensionem impendant. Se plangere quod pravis cingatur Consiliariis, solam proprii commodi rationem ducentibus, et de Deo, religione, ac conscientia parum sollicitis, a quibus seducatur et a religionis Calvinisticae reformatione in tribus suis Regnis | promovenda, nec non a faederis (quod in hunc finem rebelles haeretici in Anglia, Scotia, atque Ibernia ad anteriores belli annos inierant) amplectandi sententia deterreatur. Postea suum odium in Marchionem Montrosanum, quem p[re]a nimio contemptu Jacobum Grahamum, omissa titulo, vocabant, et suum Calvinismi venenum in fidem orthodoxam atque in Iberniam ejus bellonam evomentes : "Approbas (inquiunt) praxes et foves personam istius transfugae justissimeque excommunicati rebellis, Jacobi Grahami, qui in optimos tuos hujus Regni subditos tam horrendas exercuit crudelitates, ut fieri nequeat quin tuum exinde solium omnis sanguinis innocentis ab eo atque ejus complicibus effusi culpam contrahat, et (quod ante omnia sine cordis et spiritus horrore cogitare non possumus) eam nuper cum Papistis Ibernicis, qui tuorum subditorum Protestantium tot millia contrucidaverant, pacem iniisti, qua non solum agnoscantur in tuos bonos et fideles subditos, sed etiam contra stabiles Regiorum tuorum progenitorum leges, contra p[re]ceptum Altissimi, et in tuae Majestatis contemptum ac dedecus, nec non in evidens religionis Protestantiae discrimen, plena exercendae suaे idolatriae libertate donantur. Quod nihil aliud significet, quam te tuam Regiam autoritatem bestiae tradidisse, et reum evasisse omnis cruxis tuorum bonorum subditorum, quo illi filii Babel id egerunt ut terra nataret." Sic illi coaxarunt sua lingua Anglo-Scotica. Qui deinde blasphema, prophanaque sacrae paginae atque exemplorum ejus citatione multis ibidem egerunt ut Regem in suam sectam Calvinisticam illicerent, eaque lege, et dum in nefarium faedus *Puritanicum* jam memoratum | juraret, nec secus, Scotiam ei obtemperaturam spoponderunt. Et haec quidem prolixae illius ac sacrilegæ epistolæ prima capita fuere, cui etiam illi ejus parti, quae Iberniae Catholicos spectaret, Ordines Scotiae suis litteris postridie ad Regem datis pari impietate accinuisse video. Caeterum Rex hac hyeme Parisiis in Jersaeam Insulam, quae ejus hactenus nutum manebat, se recepit. Nec hoc anno a Scotis adduci potuit ad aliquid dcernendum in pacis cum Iberniae Catholicis contractae

2006

v

praejudicium. Quo autem modo anno sequenti sententiam mutarit, ibi recensebitur.

(656) Vidimus partim ad annum superiorem, partim ad ineuntem hunc annum, quo pacto D. Didacus de La Torre, Regis Catholici in Ibernia Orator, ob praedam a Nuncii fregatta anno 1647 in Oceano Gallico captam, eidem Nuncio et Massario litem intenderit, qua factum ut Nuncius praeter alios conatus duas Regis Catholici epistolas Madrito 29 Decembris 1648 in Iberniam ad Didacum scriptas obtinuerit ad Nuncium ipsum directas, ut eas Didaco tradendas curaret, quo sua Majestate praescribente usque ad ulterius mandatum caepitis desisteret, et causae statum in aulam Hispanicam significaret. Quas litteras Nuncius non nisi post finitam alia ratione in Ibernia tragaediam hoc anno in Galliam reversus accepit. Quo tempore scripsit ex Francia Madritum ad Hispaniae Nuncium se litteras regias tardius quam par esset accepisse, misitque integrum contestatae in Ibernia litis relationem, premens ut Madriti justa in Didacum sententia ferretur, et in eum animadverteretur. Verum Hispaniae Nuncius, post regressum in Hispaniam ex Ibernia Didacum, ad Iberniae Nuncium hoc anno Kalendis Maiis scribens: "Rescivi (inquit) ipsum D. Didacum paucis | diebus elapsis huc appulisse, qui non nullis ex illis querelis, quas in eum movi, cognitis, negat multa a me allegata et specialiter ex instrumento in illa navi reperto constare pecuniam, quae in illa erat, non spectasse ad suam Majestatem. Quinimo affirmat potius constare contrarium." Sic Italice. Iberniae autem Nuncius instrumentum illud exhibere non valebat, affirmans Concilium Supremum Kilkenniae anno 1648 in Massarii, quem suspectum habebant, sarcinas involasse, et inter alias chartas instrumentum illud extorsisse. Porro Didaco Madriti in jus vocato, et controversia exacte discussa, jam dictus Hispaniarum Nuncius Iberniae Nuncio Romam (nam jam in Urbem pervenisse crediderat) Madrito Italice scribens: "cum (inquit) suppositione quam facio, nempe Illustrissimam Dominationem vestram bona cum salute, quam ipsi peropto, in istam Aulam pervenisse, de ea re ipsi congratulor et offero meam inserviendi promptitudinem tanto majorem quanto minus prosperam expertus sum fortunam in controversia cum D. Didaco de la Torre, circa quam semper dubitaveram ne, nisi demonstraretur pecuniam ad suam Majestatem non spectasse, nunquam hi Ministri (Regii) ab approbandi, quae ille gesserat, sententia dimoverentur. Quare Illustrissimae

Dominationi vestrae saepius supplicavi, ut quam posset maximam mihi suppeditaret notitiam ad probandum rem numariam non fuisse suae Majestatis. Dubio, quod meam mentem subierat, respondit eventus. Nam post longam hujus negotii factam a DD. Marchione Castri Roderici et Comite Montereyensi discussionem, ubi singulari ponderatione considerassent, pecuniam illam (sicut ex importationis sub Marchionis Monasteriensis, *Assentiae Regii*, nomine in S. Sebastiani portu factae instrumento liquere supponunt) evidenter Regis fuisse, et nunquam ab Illustrissima Dominatione vestra obtineri potuisse ejus nec restitutionem nec sequestrationem, | etiamsi ipsi monstratae fuerint et Regis et D. Archiducis litterae, quibus affirmabatur ad suam Majestatem spectasse, ipsis visum est D. Didacum haud potuisse non procedere sicut processerat." Sic Hispaniae Nuncius 18 Septembris 1649, qui etiam ibidem subdit, se tunc conquestum de D. Didaco, quod in Ibernia ad tribunal multis titulis incompetens, nempe ad pseudo-Concilium Kilkenniense recurrerit, et in sententia ibi adversus Iberniae Nuncium et Suae Sanctitatis fregatam exequenda tenuerit viam a debita Ministris Apostolicis observantia exorbitantem, equosque ad Nuncium spectantes ex loco immunitatis Ecclesiasticae partice, Conventu Religioso, extraxerit, cum posset aliquandiu supersedere, atque expectare recentiora sua Majestatis mandata et sententiam, in quam Iberniae Nuncius se consensurum protestatus fuerat. Subiungit etiam Regis Catholici Ministros sibi respondisse Didacum aliter se gerere non potuisse, cum non alias expeditior ipsi superesset modus pecuniae recuperandae ea festinatione, quam ipsi sua Majestas injunxerit in exercitus apud Belgium bellantis indigentias. Addit quoque eosdem Ministros allegasse Iberniae Nuncium in Concilii Supremi jurisdictionem ab initio consensisse, cum non defuerit qui ejus nomine se illi judicio semel stiterit, et famosissimos fori Madritensis Jurisconsultos causam examinasse, resque a Didaco gestas approbasse, Didacum vero affirmasse fregatam illam, quam ipse in Ibernia stiterat, nunquam Suae Sanctitatis sed ipsius Nuncii habitam fuisse, et non se sed Concilium Supremum, se ne conscio quidem, equos ex Conventu extraxisse. Denique concludit affirmans Regis Catholici Ministros Romam tunc fuisse missuros ad Regis Catholici ibi legatum omnia hujus | litis acta, quo Sua Sanctitas certa rei notitia imbueretur. Quid autem postea circa hanc controversiam successerit me latet. Addendum tamen

2007

v

2008

duxi id quod P. Josephus Arcamonius Iberniae Nuncio Parisiis 29 Decembris 1648 in Iberniam scripserat de Galliarum Nuncio loquens: "Mihi (inquit) dicit quendam nobilem Genuensem, qui ex Hispania venerat, affirmare praedam pecuniariam ad Marchionem Monasteriensem, Genuensem, in Hispania se tenentem et magno apud aulam favore pollentem spectasse, atque in Angliam fuisse destinatam." Sic ille Italice. Quodsi a veritate non aberrat (sicut quae alibi et hic dicta sunt haud a vero aberrare suadeant) Marchio Monasteriensis stupendam adhibuit industriam ad pecuniam Regis Catholici et Ministrorum ejus autoritate recuperandam.

(657) Jam tempus postulat ut ipsum Iberniae Nuncii iter resumamus. Qui Lugduno, Taurino, Bononia, et Florentia in Urbem perrexit. Firmani autem cognito eum prius Romanum quam in civitatem Firmanam, suae diaecesis metropolim, regressurum, destinarunt Fulginium quinque Oratores, scilicet ex parte Capituli Franciscum Abbatem Spaccasassium, Mutium Aurispum et Felicem Cecchium, tres Ecclesiae Metropolitanae Canonicos, et duos ex parte civitatis, nempe Doctorem Marcum Antonium Ruffium et Guidobaldum Adamum, Centurionem, qui ei inter transeundum Cleri populique Firmani nomine de faelici reditu congratularentur. Quibus partibus ut satisfecerunt, ille deinde in itinere progressus circa 8^m Novembribus Romam pervenit. De quo Massarius, Sacrae Congregationis propagandae fidei recens Secretarius, ad Equitem Rinuccinum, Nuncii fratrem, ex Urbe 21 Novembribus 1649 Italice: "fuit (inquit) sua Dominatio Illustrissima die Dominica praeterita ad Sua Sanctitatis pedes, auditus cum singularibus benevolentiae et aestimationis demonstrationibus, et inter alia, quae Sua Sanctitas ipsi dixit, ostendit se magnopere desiderare ut omnium, quae in Ibernia successerant, Relationem videat, quo eam in Archivis et Bibliotheca Apostolica deponere valeat, quatenus semper constet quantopere Illustrissimus Dominus in obeunda sua provincia laboraverat et passus erat, quantaque fuerat operata Sua Sanctitas ex parte sua in illorum Catholicorum utilitatem." Haec Massarius.

(658) Relationem, cuius hic mentionem fieri vides, Nuncius tunc in Urbe Italice contexuit, totius suae Nunciaturae compendium, cuius exemplar MS. in eius Scriniis asservatum triginta sex capitibus et paginis 89 in 4° circumscribitur. Ex quo et nos hactenus haud pauca in medium produximus. Porro Pontifex illam Relationem a Nuncio porrectam accipiens:

totam (inquit) ante somnum devorabo. In quo (sicut mihi traditum est) fidem liberavit, deindeque illam Nunciaturae Ibernicae synopsim inter pretiosa Sedis Apostolicae monumenta custodiendam, et suo tempore posteros non celandam depositus. Illius MS. initium Nuncius sibi in totius operis basim ac fundatum stravit. Quod propterea hic Latine verto :

“ Beatissime Pater.

(659) “ Inter Iberniae Catholicos a tempore immemorabili duae semper regnarunt hactenus contrariae factiones. Una appellatur veterum Ibernorum, qui licet per omnes quatuor Regni Provincias sparsi, magis tamen quam in aliis numerosi sunt in Ultonia, ubi quodammodo sedem habere videntur. In ea enim se in eorum coryphaeum induit Comes Tironiae, et eorum causa multis annis in Reginam Elizabetham bellavit. Altera factio vocari potest antiquorum Anglorum, soboles Guillelmi Normanni, qui Angliam debellaverat, | temporibus in Iberniam introducta et sic nuncupata in novorum Anglorum posterius cum haeresi illo ingressorum differentiam. Qui, cum dici possit eos praefatis coloniis in Momonia praesertim et Lagenia sparsis Iberniae sanguinem miscuisse, vocantur etiam Iberni recentiores ut ab antiquis discernantur, et tam reciprocis matrimonii, quam aliis omnibus contractibus continuum cum Anglis commercium fovent. Hae duae factiones ob sequentes praesertim causas discordant : Antiqui Iberni ut ab haeresi, sic etiam a jugo Anglicano magnopere abhorrent, et plerique bonorum ecclesiasticorum *investituram* sibi, ex quo Reges ab Ecclesia apostataverant, oblatam acceptare recusarunt ; alii vero Monasteriorum proventibus ditati, et ita Regi devincti ut etiam ipsorum intersit ei adhaerere, nec volunt nec desiderant aliud quam Regis exaltationem, nec alias quam Regni leges magni faciunt, omnes affectu Angli et ob continuam cum haereticis familiaritatem minus horrentes religionis diversitatem. Ipsa quoque natura conferre videtur ad alendam inter eos morum distantiam, cum hi recentiores sint, majore ex parte, statura non procera, spiritu vivaci et ingenio subtilissimo. Antiqui vero sunt grandi corpore et agendi ratione si non impoliti, certe simplices, et tarda potius apprehensione, minoreque in tractandis negotiis dexteritate. Quare hae duae factiones se invicem oculis lividis intuentur et semper timent altera alterius incrementum. Meo autem tempore majori copiarum Catholicarum parti imperabant duo Praefecti

*Rel.
cap. 1.*

2009

Generales, Eugenius O Nellus et Thomas Prestonus, hic ex recentioribus, et ille ex antiquis, non solum genio et partium studiis aemuli, | sed etiam eadem aemulatione exacerbati, quod una in bellis Flandricis militiam exercuissent, et exinde mutuae ostendissent aversionis indicia. Hoc meae rerum Ibernicarum Relationi fundamentum sternere necesse fuit. Nam sicut omnes eventus, qui meam Nunciaturam praecesserunt, ab hoc pependisse liquebit, ita etiam certus sum ab eodem dependisse et eos, qui in ea successerunt, et forsitan pensuros, qui imposterum successerint.

(660) “ Itaque paulo altius mihi repetendum est Catholicos in Ibernia anno 1641 in illam gloriosam ivisse sententiam eo coeundi inter se faederis ut, etiam armis, imo et ab ipso Rege, publicum et liberum nostrae religionis exercitium obtinerent. In hoc negotio citra dubium auxilii supernaturalis radius eluxit. Nam non obstantibus, de quibus dictum est, partium studiis, unanimiter caeperunt in reprimendis Anglis, aperiendis ecclesiis, deturbanter Ministris, parochis, atque Episcopis restituendis, et stabiliendo in summa religionis cultu talem facere progressum ut totum orbem Christianum expectatione suspenderint, et maximam Catholicis Anglicanis spem fecerint fore ut ipsi quoque Ibernorum exemplo atque ope idem in Anglia exercitium restaurarent. Sed quia hujus incaepi principia in Ultonia et inter Iberos veteres nata fuerant, tamdiu successum felicitas et Confaederatorum zelus duravit, quamdiu negotium plus divini quam humani habere non destitit. Ubi autem sanguis deferbuisset, et natura ad suum statum regressa esset, redierunt etiam recentiores Iberni ad suspiciones et dissensiones, nec non mixtus invidia timor, ne si negotium succederet, gloria atque utilitas esset tota suorum aemulorum, | qui forsitan postea inter hanc magnam opportunitatem ab omni prorsus deprimente adversariorum potentia non obtinuissent. Arguebant in particulari, quod cum religionis libertas, ad quam Confaederati aspirarent, illorum saltem bonorum, quae ad ecclesias vel Cathedrales vel parochiales pertinent, restitutionem necessario includeret, facile fieret ut paulatim Religiosi possessiones ad Monasteria spectantes repeterent, proindeque familiae nobiles meliore atque opulentiore reddituum parte privarentur. Antiqua etiam suspicio id effectit ut crediderint alteram partem eo consilia et vires omnes intendisse ut sub purae religionis velo adversarios illa fortunarum abundantia, quam ipsis invidere videbantur, spoliarent. Cui suspicioni nullum attulit remedium

potestas condonandae amplio modo possessoribus dictorum bonorum retentionis mihi facta, qua in tanto *investiturarum* numero non nisi paucissimi usi sunt. Nam eam alii contumelioso metu ne, si Rex postliminio restitueretur, eos ob recursum ad Principem exterum puniret, deludebant, et alii impudenti malignitate objiciebant Romanorum concessionum observantiae non esse fidendum.

(861) " Itaque conjurationem quantocys coierunt, et periculis ac rerum statu ponderatis ut aliam partem viribus aequarent vel superarent, unanimi consensu statuerunt tentare, quicquid possent, quo pax cum Rege et Protestantibus, qui Regi militabant, contraheretur, et bellum cum solo Parlamento, jam coronaे hoste declarato, continuaretur. Commodissima fuit huic eorum menti occasio, qua Rex Jacobum Butlerum, Ormoniae Marchionem, | et ex recentiorum factione Ibernum, in Iberniae Proregem ascivit. Qui creditur ad eam provinciam obeundam ex industria fuisse a sua Majestate mandatus, ut cum sua parentela et adhaerentibus Ibernos inter se divideret magno tunc timori habitos et, ob consilium quod inierant, publice vocatos rebelles Anglorum regimini. Concilium ergo Supremum pene totum ex hujus factionis membris compactum facile obtinuit ut dictae pacis tractatus cum Marchione inchoaretur, et sub praetextu conveniendi ante omnia de religionis conditionibus, ob quas faederis juramentum susceperant, inducias cum ipso pangerentur et prorogarentur, quae plures annos continuatae demum cum damno inaestimabili omnes belli vires enervarunt, et Marchioni certam rerum in eum redigendarum statum, in quem eas postea redegit, spem pepere-
rant. Quae res ob rationes gravissimas magnopere fuit deplorabilis. Ex his armorum cessationibus nemini non apparuit publicum religionis exercitium Ibernis in confaederatione fuisse praetextum, (nam non ostendebant se curare ejus securitatem sicut conveniebat) sed re ipsa omnes propriis commodis et pollicitationibus, quas ipsis Marchio faciebat, incubuisse. In summa suam cum Rege quam cum Deo reconciliationem pluris habebant. Quare speciosus ille religionis titulus orbis Christiani opinione defloruit, et mox sub rationum politicarum aestu exaruit. Hinc pariter factum ut populus antea militiae assuetus et, quod arma victoriosa tractasset, terribilis, gustata per aliquid tempus propter has inducias quiete, se languori manciparit et intermissam jam artem fastidire caeperit. Et denique hinc factum ut veteres discordiae recruduerint et,

cap. 3.

2010
v

2011 quam | antea fuerant, evaserint saeviores, antiquis Ibernis protestantibus se nec pacem nec concordiam admissuros praeterquam ea lege, ut Ecclesiae et publicum religionis exercitium eousque sanguinis effusione reportatum conservarentur, et aliis publicantibus peti non debere nisi quantum a Rege, considerata tunc rerum conditione, concedi poterat. Super quo articulo in congressibus privatis laici, et in pulpitis ac scriptis sacerdotes et Religiosi talem inter partes concitarunt strepitum ut haec civilis concertatio ipsi bello non cesserit atrocitate." Sic Nuncius.

(662) Hanc recentiorum Ibernorum conjurationem Nuncius suae Relationi in basim ac fundamentum ponit, deindeque narrationem prosequens tradit ante suum appulsum in Iberniam ita conjuratos progressum fecisse, ut Scarampus post strenuos ad sistendum factionis impetum conatus incassum adhibitos, 1° Septembris 1645 Suae Sanctitati de pace velut jam conclusa, funesta tamen et quoad religionis causam lachrymabili, significarit se interea a Sua Sanctitate in Nuncium cum subsidiis non spernendis ad Confaederatos ita fuisse allegatum ut Iberni recentiores pecuniam quidem anhelarint, sed nihil unquam perinde ac Nuncii missionem horruerint. Ambarum partium non modo plebem, sed etiam nobilitatem, se ad appulsum summo honore et co honestatione cumulasse. "Sed (inquit) inter infinitas populi genuflexiones et nobilitatis congratulationes

*Rel.
cap. 4.*

cap. 5.

2011

v

cap. 6.

mihi statim satis facile fuit cognitu, quod | Iberni veteres suo applausu me venerabantur velut Dei Ministrum, et alii tanquam Principis thesaurarium. Illi semper de pace bona, de ecclesiis conservandis, de observando juramento suscepto; hi vero nunquam nisi de Rege, de praerogativis Regiis, et de belli indigentiis mihi loquebantur, et interea si de pace discurrebatur, ejus speciem orichalco velabant, sicut jam ejus substantiam palliare moliebantur, et ubi Kilkenniam pervenissem, observatum est in more positum fuisse ut primi ingenue mecum agerent, domumque meam frequentarent. Quod autem ad secundos attinet, exceptis commissionibus publicis, quas mihi saepius communicatum veniebant, de caetero et limina et habitationem a longe salutabant." Sic Nuncius. Qui subjungit Iberos recentiores, etsi a destinando in Regnum se abhorruissent, maluisse tamen ut in Iberniam trajiceret, quam ut ipsi subsidio pecuniario frustrarentur. Eosdem etiam pacem ab ipsis praemeditatam multis antea mensibus scripto mandasse, sed ante suum appulsum promulgare noluisse, imo eam infinitis astutiis dissimulasse, metuentes ne ipse audita pudendi adeo

tractatus conclusione vela verteret et subsidia Pontificia reportaret. Pecunia autem semel distributa eos hoc metu jam liberos pacem, quam antea inter se machinati essent, promulgasse. Denique tota illa Relatione Nuncius Ibernorum recentiorum factioni, quam Ormonicam vocitat, omnia illius belli Catholici et suae Nunciaturae infortunia ascribit suis | quaeque locis a nobis ita delineata ut narrationi totum reliquae suae Relationis succum laciniatim intexuerimus. Hic tantum addiderim recentiorum Ibernorum ab initio plerosque Nuncio non defuisse, quod manifestum est vel ex primae pacis Ormonicae ad annum 1646 promulgatae proscriptione. Nec eorundem invenio plerosque unquam usque ad induciarum et censurarum controversiam anno 1648 natam ab eo non stetisse. Quinetiam inter illam ipsam contestationem, nedum antea, vidimus recentiores Iberos magno numero, nempe in Momonia Vicecomitem Rochaeum et generosissimum ejus filium, Davidem, ejusdemque Vicecomitis generum, Castri-Conaldi Baronem, et ex ipsa Ormonii familia Vicecomitem Ikirinia, totaque Ibernia multos alias Anglo-Iberos Nuncii causam sustinuisse. Quid memorem in Conacia Galvienses, in Momonia Waterfordienses, et in Lagenia Wexfordienses, quorum paeconia ex ipso suis locis collocavimus. In illa autem induciarum ac censurarum controversia quot artibus effecerit pseudo-Concilium ut innumeri etiam recentiores Iberni Nuncio ex animo faventes suum zelum absque fortunarum et forsan vitae discrimine exerere vix potuerint, ipse Nuncius et ex Nuncio nos tradidimus. Denique licet nemo inficias inverit recentiorum Ibernorum viribus et sagacitate Nuncii causam in Ibernia fuisse pesundatam, certum tamen est ipsum Nuncium in Ibernia litteris manu propria mandasse, quod suo loco ex ejus autographo superius intexuimus, nempe paucorum artificiis factum ut alii plurimi tot fraudibus et mendaciis specioso colore palliatis decepti Nuncio | repugnarint, Clero in Clerum opinionibus digladiante, et laicis pro hac sententiarum varietate discordantibus inter eas rerum angustias magnam procreantes tentationem amplectendi quicquid Regno pacem spondere videretur. Certum etiam est veterum quidem Ibernorum plerosque Nuncio semper morem gessisse, sed Tomoniae Comitem, Muskrium, Insequinnium, et ex ipsis Ultoniensibus Vicecomitem Iveachensem, Alexandrum Mac-Donell, Antrimii fratrem, Felicem O Nellum, Maelmorrium O Rellum, aliosque aborigines in Nuncium ejusque partes militasse. Nemo etiam neget ambabus quidem

2012

2012

v

partibus antea Anglicano atque haeretico regimine crudeliter tractatis fuisse cur pacem iniquam cum justissimo bello commutarent, et ad libertatem aspirarent, sed veteribus Ibernis prae aliis non defuisse et alienae ab Anglicana originis et proprii commodi incitamenta longe fortiora, quibus eo impellerentur. Quare gratias egerint Deo quod se non perinde ac Anglo-Ibernos inter illud bellum *induxerit in temptationem*. Nam et hoc magnum fuerit Dei beneficium.

(663) Nuncio Romam regresso diffinienda videbatur censurarum atque interpositae ab Ormonistis Appellationis controversia, cuius decisionem diximus antea fuisse dilatam usque ad Nuncii regressum, et in expectationem responsi ex Ibernia in Urbem ab Ormonistis dandi ad litteras P. Joannis Rowaei, eorum Romae Procuratoris, | quem Pontificis jussu vidimus 2013 ipsis in Iberiam significasse, eos non audiendos a Sua Sanctitate circa illam controversiam, nisi refixis actis, quae in Ecclesiae praejudicium condiderint. Qua Suae Sanctitatis deliberatione apud Iberiam a Commissariis fiduciariis ponderata, scripserunt indidem Innocentio X^{mo} epistolam, ex qua cum eorum mentem et quid tunc egerint evidentius colligas, illam hic habe :

"Beatissime Pater.

(664) " Nos, quibus ex speciali gentis nostrae in Generalibus Regni Comitiis mandato prosequendi Appellationem in causa excommunicationis ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo Firmano, Nuncio in Ibernia Apostolico, fulminatae cura incumbit, audimus aliquos, qui Sanctitatem Vestram Confaederatis Catholicis minus favorablem velint, sugerere, illos in praefatis Comitiis multa statuisse et in scriptis redegisse Ecclesiae jurisdictiones et immunitates oppugnantia, et alia, quae Illustrissimi Domini Nuncii famam vulnerarunt. Nos vero certo scimus Sanctitatem Vestram non facile adduci ut credit gentem nostram Apostolicae Sedi semper addictissimam, quae in propagando Catholicae religionis splendore et sanguinem et substantiam contra tot haereticorum undique congestas vires effuderit vel indies effundit, aliquid in detrimentum Romanae Ecclesiae et illius jurisdictionis et immunitatis stabilire velle. Quod ad Illustrissimum D. Nuncium spectat, dolemus ex animo authoritatem a Sanctitate Vestra illi commissam, qua gentem nostram sicut in adventu reperit, unitam facile conservare poterat, dividendo et detrahendo in partes populum, | illam exercuisse in perpetuum nostrae gentis malum et ruinam, nisi

Deus munifice providere dignetur, et protestamur Confaederatos Catholicos invitos, et non nisi cum de summa rerum agebatur, impulsos pro salute populi et conservanda Ibernia aliquid grave in Illustrissimum Dominum Nuncium aut statuisse aut scripsisse, et licet ex mandato Comitiorum Generalum paratis simus ea omnia, quae illi a Confaederatis Catholicis objiciuntur, probare, attamen ne harum altercationum memoria ad posteros deferatur, neve sententiam in causa Appellationis, quam omnibus votis expetunt et submisso expectant nostrates, quidquam retardare possit, chartas et instrumenta omnia, quae controversias inter Illustrissimum Nuncium et Confaederatos Catholicos exortas ullo modo attingunt, ex archivis detrahi curabimus, prostrati ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter petentes ut non sinat Iberos eatenus fore miseros, ut eorum in Apostolicam Sedem et Sanctitatem Vestram observantia in dubium vocetur, et illis et nobis benedictionem impertire velit. Kilkenniae,

4° Octobris, 1649.

Muskry. Athunry. Lucas Dillon. R. Everard.
R. Bellings. Geff. Browne. Torlogh O Neill.
Gerald. Fenell."

(665) Octavo post scriptam hanc epistolam, nempe 12 Octobris, inter duas Catholicorum partes, eas scilicet quae Ormonium, et eas quae Eugenium O Nellum sequerentur, vidimus initam fuisse concordiam ea circa hanc censurarum controversiam lege, quam superius tradidimus, et propterea ad longum non repetimus, sed | indicamus eo spectasse ut partes Ormonium secutae Pontifici supplicarent quatenus censuris illis, sive validae fuerint sive secus, Regnum liberaret, et amicabiles ad Nuncium litteras darent, quibus rogarent ut omnia praeterita, ob quae ipsis iratus fuerit, oblivioni traderet, seque imposterum ipsis apud Suam Sanctitatem intercessorem praebere vellet. Quid etiam posterius ambarum partium Clerus in Congregatione Cluain-mac-nosiensi circa eandem item 12 et 13 Decembris 1649 Innocentio X^{mo} scripserint jam retuli. Porro ubi Commissarii fiduciarii in illa epistola 4° Octobris 1649 Innocentio X^{mo} scripta se ad omnia quae Nuncio objicerentur, probanda paratos esse dicunt, quo sensu intelligendi sint non constat? Nuncio enim atque ejus in Ibernia partibus cum Ormonistis circa inducias, censuras, et Appellationem controversia intercessit, cujus et criminationum, quae ad eam directe pertinerent, Nuncio intentarum defensionem

Commissarii fiduciarii ibi a se suscipiendam affirmant. Sed quaestio est ad solas criminationes, quae eo directe spectarent, an etiam ad alia accusationum capita, quae ad illam controversiam directe non pertinerent, probanda se paratos esse jacent? Quod ultimum videtur non credendum, cum ambarum partium Clerus epistola communi Cluanmacnosiae 12 Decembris 1649 data ad Suam Sanctitatem scripta alias criminationes ad illius controversiae cardinem non spectantes et Nuncio ab Ormonistis intentas enervarit, fidem faciendo quaedam in Nuncium anno 1648 a paucis male affectis lata surreptitie emanasse, calumniosa esse, atque adeo bonorum omnium accoliarum Regni voluntati displicuisse, intentionique fuisse contraria. Sane, non obstante religionis diversitate, ipse Rex Angliae Carolus 2^{us} (forsan quod diebus illis, quibus a Principibus Catholicis Sedis etiam Apostolicae interventu, inter suas angustias opem | expectaret, Summum Pontificem exacerbare nollet) haud a Nuncio haberi studuit eorum, quae in ipsum ab Ormonistis patrata essent, approbator. De quo D. Eduardus Tirellus, Ibernum, facultatis Parisiensis S. Theologiae Doctor, et suae nationis apud aulam Gallicanam *Agens*, in epistola ad Nuncium Parisiis 10 Decembris 1649 Romam scripta: "Multis (inquit) cum Carolo 2^o, ac ingenuo, egi de injuriis Illustrissimae Dominationi vestrae illatis, eas calculo suae Majestatis approbandas causatus. Tandem ipsi placuit mihi mandare provinciam Illustrissimae Dominationi vestrae significandi illas sibi nec placuisse nec probari a se, qui legatos Principum in multo habet honore. Hoc his praesto. Quod et suae Majestati Illustrissima Dominatio vestra significare poterit, si vobis illud opportunum videatur." Sunt Tirelli verba ex autographo.

(666) Interea Pater Rouaeus per litteras ex Urbe ad suos in Galliam et Iberniam scriptitatas iis coloribus causam Romae agitatam pingebat, ut magna eos victoriae spe suspenderit, et pene certum triumphum de Nuncio reportandum promiserit. Quibus rumoribus ex Gallia per litteras Romam renunciatis Illustrissimus Dominus Franciscus Albitius, tunc S. Officii Assessor, et Cardinalium Congregationi rebus Ibernicis in Urbe praefectae a Secretis, prudenter obviavit per epistolam ad Massarium, Sacrae Congregationis propagandae fidei recens Secretarium datam, quam in medium produco ut magis constet quam verum sit P. Rouaeum toto hoc anno in prosequenda Romae Appellatione operam lusisse. Illa ergo sic se habet:

"Illustrissime Domine.

(667) " Nec Pater Roa admissus hactenus fuit ad audientiam | Sanctissimi Domini nostri, Innocentii Papae decimi, nec Appellatio Consiliariorum Regni Iberniae, eorumque litterae, quas ipse detulit, acceptae. Imo ab Eminentissimis DD. Cardinalibus negotiis Ibernicis a Sanctissimo praepositis, et a me uti eorundem negotiorum Secretario rejectae fuerunt. Propterea nescio quo pacto Pater *Roa* tam audacter scripserit in Galliam et Iberiam ea, quae mihi significat Dominatio vestra Illustrissima. Nihil aliud ille a me audivit, nisi quandoque verba satis aspera, quandoque leniora et dubia. Siquid ulterius ipse profert, mendacia sunt, sicuti mendacissimum est libellum, cui titulus *Quaeres*, fuisse Romae magno cum applausu et laude receptum, cum usque adhuc nec in Latinam versus sit linguam, nec ad manus Eminentissimorum DD. Cardinalium, neque ad meas pervenerit. Deus Opt. Max. Dominationem vestram Illustrissimam servet. Datum in Sancto Officio die 4° Decembris 1649.

2015

Roa,
Rowe,
Rowaeus,
nam sic
varie
scribitur
Latine.

Observantissimus servus verus,
Franciscus Albitius."

(668) Varias video tunc ex Urbe scriptas fuisse litteras, quibus significabatur Suam Sanctitatem, Cardinales, et Aulae Romanae Praelatos magno Nuncium recens appulsum applausu et congratulatione excepsisse, et multos parum dubitasse, quin ad praecaram aliquam provinciam in Urbe vel in orbe obeundam assumeretur. Quis autem fuerit huic expectationi exitus suo loco non silebimus?

(669) Hoc anno patriam Insulam, Iberiam, tot calamitatibus afflictam egressus est nobilissimus juvenis, Jacobus Mac-Donell, Marchionis Antrimiae agnatus et cognatus, qui etiam sub eodem Marchione et Montrosano in bello Scotico annis superioribus Chiliarchum egerat, rebus ibi praecclare gestis haud in mediocrem sibi laudem comparaverat. De quo Episcopus Rapotensis | 18 Maii 1649 ex Ibernia ad Nuncium scribens : " Haec (inquit) et alia narrationi nobilissimi D. Jacobi Mac-Donell relinquo, qui melioris spe fortunae in regiones exteriores se confert. Is commendatione apud Illustrissimam Dominationem vestram non indiget, cum sit abunde cognitus. Saepe sollicitatus fuit ut acceptaret officium et honores ab Ormonio, sed constantissime recusavit. Dignus igitur qui a Catholicis Principibus promotionem recipiat, quam sperat opera Illustrissimae Dominationis vestrae se obtenturum ubi magis

2015

v

idoneum videbitur. Nam se regendum vestrae dispositioni committet." Haec Rapotensis. Jacobus autem Romam profectus, ibi suae in visitandis locis sanctis pietati satisfecit, exindeque in Galliam anno sequenti regressus mundo et mundanis spretis ad montes Pyrenaeos in Aquitania eremitam induit, cum, me instante, manu propria scripsisset praefatae expeditionis Scotiae compendium, ex quo non pauca inter res illas delineandas superius collocavi.

(670) Vidimus Eugenium O Nellum ad tempus, quo cum Ormonio per Commissarios concordiam initit, gravi morbo laborasse. Quo demum expiravit. Circa mortis diem litterae ad Nuncium ex Ibernia scriptae discordant. Nam unas video Hispanicas uxoris ejus nomine 8 Novembris 1649 exaratas, in quibus "meus (inquit) maritus, quod valde male se habeat, scribere non potest." Sic ibi. Alias vero propria Episcopi Clogherensis manu 12 Aprilis 1650 Latine scriptas, in quibus: "Dominus (inquit) Eugenius O Neill 6 die ultimi Novembris mortuus est." Haec ille. Hae binae epistolae autographae mihi, dum haec scribo, prae manibus et ob oculos sunt, omnino sibi 2016 contradicentes, cum tamen uxor ejus et | Episcopus Clogherensis mortis diem probe sciverint. Locus autem unde uxoris nomine epistola data est ibidem *Clonlonan* vocatur, quod si verum est, ibi tunc Eugenius extremo morbo laborabat, ibidemque recessit. Has circumstantias minutim tetigi ut examinandas moneam. Nam si litterae uxoris nomine scriptae in verum mortis diem non quadrant, et Clogherensis, cui etiam alios fide dignissimos accinere video, a vero non aberrat, epistola, quam uxoris nomine scriptam dixi, forsan habenda est supposititia, una tamen manu graphice scripta, et alia velut ab Eugenii uxore subscripta, eoque spectans ut Nuncius P. Olivero Walshaeo tunc Carmelitarum in Ibernia Provincialem (modo superius tacto) agenti, et in Italiam profecturo, epistolae latori, faveret, tanquam ei, qui in illis Iberniae controversiis Ecclesiae semper causam constanter sustinuerit, multa propterea perpessus tam a quibusdam Catholicis quam ab haereticis. Sive autem hoc verum sit sive secus, P. Oliverus in Italiam perrexit, ubi litteris illis munitus nihil non tentavit ut episcoparetur. Caeterum ego Clogherensis litteris potius credendum duco. Nam et alibi lego Eugenium Ecclesiae Sacramentis 5° Novembris pie munitum, postridie ad horam 9^{am} expirasse, datumque fuisse in sepulturam Cavaniae apud strictioris observantiae Franciscanos.

(671) Is ex antiquissima splendidissimaque O Nellorum familia multorum Iberniae Regum partim filia, partim parente, fuit oriundus, sed Conn O Nelli, illius nobilissimae tribus Principis et primi Tironiae Comitis ex filio naturali, Feardorcho, Anglis Matthaeo, Dungananiae Barone et hujus filio naturali altero, Arto, | pronepos, et Hugonis O Nelli, illius Tironiae Comitis, qui Reginam Elizabetham jam grandaevam, totamque gentem Anglicanam bellis Ibernicis haud mediocriter divexaverat, ex fratre naturali jam dicto Arto nepos, matre nobilissima, nempe O Rellii, suae fundatissimae familiae Principis, filia legitime natus. Praefato ejus patruo ad annum 1607, ne rerum fidei causa novandarum suspectus ab Anglis ad necem quaereretur, Ibernia egresso, et Romae post aliquot ibi exilii annos pie transactos vita defuncto. Eugenius sub ejus filio, Joanne O Nello, post patrem Tironiae Comite, frequentissimae legionis Ibernicae, cuius Chiliarachum Comes ageret, aliquot annos Instructor, seu *Maior*, deindeque legionis propriae Chiliarachus domui Austriacae praesertim Regi Catholico militavit, et in castris ac praesidiis per multos annos voluntatus demum anno 1642 in Iberniam suam remigravit. Ubi quid hactenus gesserit, suis locis adumbravimus.

2016
v

(672) Nuncio ejusque partibus ille et cui imperabat, exercitus semper adhaeserunt, facili negotio cum non solum fidei et rei ecclesiasticae zelus, Sedisque Apostolicae et Ministrorum ejus observantia, sed etiam commodi proprii ratio id postularet. Nec taxandi sunt quod rei etiam suae rationem duxerint. Quinimo et in hoc alteram laudem meruerint singularem, cum certum sit eorum majores atque ipsosmet ab Angliae et Scotiae haereticis in Iberniam, praesertim Ultoniam, advectis, sub Regimine Anglicano pree caeteris Iberniae Catholicis crudelissime fuisse vexatos, nec tunc expectandum quam ut ipsi cum uxoribus, liberis, agnatis, cognatis, affinibus, clientela, et fautoribus pene omnibus postea solito durius | excrucientur, deque facie terrae delerentur, nisi Marte libertatem vindicarent. Immensa ergo inhumanitatis fuisse tot innocentium patrocinium non suspicere, et maxima fuit pietatis ipsis patrocinari. Solus autem cordium scrutator judicare potest an verum sit, quod ipsis a malevolis objectum fuisse video, nempe eos, ac praesertim Eugenium, augendae rei privatae religionem praetendisse. Quare credendum est potius in Eugenium ejusque exercitum et toto Regno fautores quadrare illud, quod in simili causa de Machabaeorum exercitu scriptum legimus his

2016
(bis)

verbis : "Erat pro uxoribus et filiis, itemque pro fratribus et
 2. Mach. cognatis minor sollicitudo, maximus vero et primus pro
 15. sanctitate timor erat templi."

(673) Eugenius Rosam, O Dochorti filiam, primo marito,
 Tirconalliae Comitis fratre, viduam in exteris regionibus, in
 quas illa priorem virum fidei causa nativo solo exulem secuta
 erat, sibi matrimonio copulavit, ex qua filium unicum, Henricum
 O Nellum, suscepit, sub se aliquot annos in Ibernia Tribunum,
 ut in suo exercitu Chiliarchum reliquerit, sed non patrissantem
 ingenio, judicio, et consilio, quo Eugenius ita singulariter
 valuerat ut ad politica et militaria fuerit aequa lance idoneus.
 Quod in hoc bello experientia docuit. Etenim ex quatuor
 Regni Provinciis nulla haereticorum Anglicorum Scotorumque
 furori magis obnoxia fuit quam Ultonia, quae proinde Con-
 faederatis Catholicis ad bellum prosequendum nec portus
 maritimos, nec civitates, nec oppida, nec propugnacula nisi
 Carolomontem, nec publica vectigalia nisi paucissima sup-
 2016 peditabat, | indigenis ipsis magna ex parte ab haeretica illa
 v colluvione deturbatis, ut etiam in ipsa Ibernia exilium pater-
 (bis) entur, et cum armentis ad vicinos Regni tractus Catholicos
 digredierentur, nec illa Provincia pene aliud quam milites ad
 illud bellum sustentandum subministraret, cum aliae Pro-
 vinciae confaederationem Catholicam foverent viris, viribus,
 portibus maritimis, civitatibus, oppidis, vectigalibus publicis,
 et exterarum nationum commercio, praesertim Momonia, quam
 Lageniae et Lageniam Conaciae, ipsamque Conaciam in his
 Ultoniae praestitisse liquet. Quibus non obstantibus ea fuit
 Eugenius prudentia, ut Ultonia se in hoc bello p[re] caeteris
 Provinciis nobilitarit ita etiam tribus aliis Provinciis militans
 ut parum abfuerit quin demum toti Regno imperarit, forteque
 imperasset, si Eugenius ad plures annos vitam protraxisset.
 Defuncto non ego sed alias, nescio quis, parentavit tribus
 Epitaphiis, quae his assuo :

"Eugenii O Nelli, copiarum Ultoniensium Praefecti Generalis
 Epitaphium.

(674) "Hic jacet ille ingens patriae defensor O Nellus
 Nobili ingenio, sanguine, Marte, fide.
 Qui genus et magni mensuram stemmatis implens,
 Per sua Catholicos arma probavit avos.

Quem neque vis dubii potuit perfringere belli,
 Nec mutare boni spesve; timorve mali.
 Quem tria conjuncto petierunt agmine Regna,
 In caput unius tot coiere manus. |
 Celsus in immota mentis sed constitit arce
 Et captum infracto pectore duxit iter. 2017
 Spem contra humanam caelum tamen adfuit ausis
 Cumque suo Christus milite miles erat,
 Impia Catholicum seu strinxit in agmina ferrum,
 Discolor haeretica caede madebat humus.
 Sive fugam simulat, simulando comprimit hostem,
 Nec minus arma viri quam metuenda fuga.
 Hoc tamen, hoc ingens et inexpugnabile Marti
 Pectus humi positum spicula mortis habent.
 Aemula nam crebris Parca invidiosa triumphis
 Vincendi et vitae sit tibi finis, ait.
 Fata sed Eugenium nequeunt ita sternere, servent
 Posthuma Romanam quo minus arma fidem.
 Hanc lapis et cineres, sed et ipsa cadavera spirant
 Et Petrum litui, tela tubaeque sonant.
 Magna viri merces. Tot palmas astra coronant.
 Sic praestant meritum terra polusque decus."

Anagramma.

"Eugenius O Neil.

Ingens Leo vive.

- (675) "Post mortem et cineres *ingens Leo vive*, sepultus
 Nam superas: Hostes territat ipse cinis.
 Fortis amor Patriae sequitur tellure repostum
 Per urnam vires exerit ille suas.
 Mortuus et Patriam, Regemque, fidemque tueris,
 Et pia de tumuli marmore bella moves.
 Victor eras vivens, nec sistunt fata triumphos,
 Occupat aethereas ultima palma domos. |
 Qui neget hunc vivum, qui post sua funera pugnat, 2017
 Vitaque in aeternos quem capit arms sinus." v

Aliud Epitaphium.

(676) " Hic quem longinquos extendit fama per orbes
Eugenius parvo conditur in tumulo."

(677) Ad hunc etiam annum exeuntem Lutetiae Parisiorum diem obiit Robertus O Kearneus, ex tractu Cassiliensi sacerdos Ibernum, S. Theologiae facultatis Parisiensis Doctor, et in patria insula Decanus Cassiliensis, insignibus sui saeculi oratoribus et poetis Latinis jure merito accensendus, cuius postea Decanatum multos nostrates affectasse video, sed aliis posthabitis assumptus est D. Joannes O Molonius, tunc Parisiis Sac. Theologiae candidatus, quem litterae ejus docent Nuncii fuisse studiosissimum, et causae Catholicae acerrimum propugnatorem in sua conditione. Hoc etiam anno 16 Novembris Bikingamiae Ducissam post primi mariti obitum Antrimiae Marchioni nuptam decessisse reperio.

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS
VOLUMEN IV.
PARS. II.
AN. 1650

[VOL. IV. PARS II. AN. 1650.]

In Nomine Sanctissimae Trinitatis
incipit Annus Christi 1650.

(1) Incipimus annum Iberniae non minus fatalem, quo peste, fame, et gladio, nec non discordiis intestinis Catholicos ibi demetentibus, rebelles Anglicani opportunum triumphi conficiendi occasionem arripuerunt. Licet enim Cleri Synodus Cluanmacnosiam mense Decembri 1649 coacta operam dederit ut ambas Catholicorum partes inter se reconciliaret, Ormonii tamen et Ormonistarum artificiis factum est, ut illa concordia solida non fuerit, sed eadem Regiminis inqui corruptelae dominarentur, et ex his discordiae nascerentur, et hae Regni robur aliunde exhaustum magis magisque enervarent. Tragaediam | hanc haud plene referam, sed summa ejus capita delineabo.

2018

(2) Quod ad censuras anno 1648 ob armorum cessationem cum Insequinno tunc initam fulminatas spectat, lis ita Romae pendebat ut P. Joannes Rouaeus, Carmelita, appellantium in Urbe Procurator, totis nervis contenderit ut causa per sententiam Pontificiam dirimeretur. Quid autem anno 1649 Pontifex ab eo in Iberniam scribendum voluit? Quid ille tunc scripserit? Quid Commissarii fiduciarii 4 Octobris 1649 Pontifici ex Ibernia significarint? Quid 12 Octobris 1649 ambarum partium Catholicarum Commissarii circa illam controversiam concluderint? Quid denique ambarum partium Clerus mense Decembri 1649 in Congregatione Cluanmacnosiensi super eadem re decreverint, et suae Sanctitati scripserint? jam diximus. Congregationis autem acta saltem autographa hoc spectantia ante illum causae exitum, quem hoc anno Romae successisse mox dicam, in Urbe haud recepta fuisse crediderim, cum Episcopus Dunensis, cum quo chartae illae transmittendae essent, et cui legatio eo spectans decreta fuerat, ob causas inferius recensendas nec anno superiori, nec hoc anno, sed anno 1652 Romam profecturus mari se commiserit, ipseque mense Maio hoc anno 1650 ex Ibernia in Italiam ad

Archiepiscopum Firmanum antea Iberniae Nuncium scripserit his verbis, quae ex autographo in medium produco eo libentius, quod non nulla alia ad hanc legationem ipsi decretam exactius tangat. |

2018 8 " Illustrissime, Reverendissime, ac observandissime Domine mi.

v

^{14°} juxta
stylum
Roman-
um sed
^{4°} juxta
Iberni-
cum.

(3) " Per me, qui nunc meas ad vestram Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem transferendas alienae fidei committere cogor, nuper serie multorum hujus Regni tam Prae-latorum quam Nobilium litterae Roman transmittentur. Nationalis siquidem Ibernici Cleri ^{14°} elapsi proxime Decembbris apud Clonmacnois habitae Congregationis prompto et unanimi consensu ad Urbem destinatus fui, in mandatis habens in primis satagere ut Urbi et orbi palam facerem vestra hic gesta quam heroica, quam legitima, quam huic afflictæ Patriæ utilia et toti Ecclesiae decora fuerint. Deinde ut vestram implorarem apud Suam Sanctitatem intercessionem pro obtainenda ab inflictis nuper censuris relaxatione, quam ad majorem animarum cautelam praefati desiderant, denique ut quo commodiore fieri possit modo per me certior de rebus Ibernicis fideliter reddatur vestra Illustrissima ac Reverendissima Dominatio, cuius consilium et auxilium sibi in rebus agendis Regnum hoc plurimum expetit et expectat. Verum enimvero illud qualecumque de me transmittendo nostratis Cleri, imo Ordinum omnium propositum hactenus impeditum est vel inimici hominis tacita zizaniorum satione, vel alia quapiam fatorum malignitate. Tamen spero ego Dei Opt. Max. benignitate mihi datum iri, antequam praesens hic annus expiraverit, opportunatatem vestras deosculandi sacras manus. Sin aliter divinae providentiae visum furit, ita ut intelligam me meis in hac parte desideriis non posse satisfacere, eas quas transmitti litteras vestra interesse judicavero, tam cito et tute ac potero, per Dei gratiam transmittam." Haec Dunensis ex castris Ultoniensibus circa Niuerium 24 Maii 1650.

2019

(4) Itaque ad praefatum causae exitum, quem hoc anno Romae successisse jam tetigi, et mox fusius referam, acta Cluanmacnosiensia et legationem Episcopo Dunensi ab ea Congregatione, seu potius (ut ipse hic indicat) a Regni etiam Ordinibus decretam haud contulisse video, nisi forsitan actorum illorum si non omnium, certe non nullorum exemplaria ad Archiepiscopum Firmanum a sui inter Clerum fautoribus praemissa ante praefatum causae exitum in Urbem pervenerint; quod mihi non constat.

(5) Interea P. Joannes Rouaeus ita suis in Galliam et Ibernam ex Urbe scriptitabat, ut controversiae in appellantium favorem dirimendae spe ipsos inescarit. Quare P. Joannes Poncius Lutetia Parisiorum 8 Martii 1650 ad Archiepiscopum Firmanum in Urbem Italice scribens: "Nescio (inquit) quid significare prodest P. Rouaeum huc ad Wallum, qui cum ipso epistolarum commercium fovet, scripsisse Dominationem vestram Illustrissimam nunc Romae haud magni aestimari, et Suae Sanctitatis mandato iis, qui Dominationi vestrae Illustrissimae adhaerebant, nominatim Patri Guardiano Conventus Sancti Isidori, Doctori Creagho, et aliis Ibernis praescriptum fuisse ne se Romae rebus Ibernicis ulterius immiscerent. Saepius didici quod nisi Rouaeus nostrae Reginae, Equiti Prestono, et illis, qui in Ibernia degunt, falsa significasset, omnes jamdudum convenissent, ut a sua Sanctitate veniam procurarent eorum, quae in Dominationem vestram Illustrissimam male patraverant, et non poterit Romae animadverti in tanti mali architectum?" Haec Poncius. Quae tamen ejus epistola | ante deturbatum Roma Rouaeum in Urbe vix recepta fuit. Sed forsan alii id ipsum ita citius in Urbem significarunt ut Rouaeo non profuerit, qui et ipse in Urbe suum malum acceleravit. Nam P. Richardum O Ferallum, Capucinum Ibernum, tunc Romae commorantem, sibi in ea controversia adversari, et Archiepiscopi Firmani suorumque in Ibernia fautorum causam propugnare non ignorans, quadam dierum ipsi ibidem Anglice scripsit hoc epistolium:

"Reverende Pater.

(6) "Mihi injunctum est ut omnes nostrates in Urbe moneam, ut nullis rebus ad publicum Regni vel Catholicorum Iberniae bonum spectantibus se intrudant aut immisceant, nisi ex eorum mandato, quorum est, ipsis in eum finem facere potestatem. Quod per has litteras Reverentiae vestrae notum facio, et remaneo

Ex Scala 13 Martii,

1650.

Tuus humilis servus.
Fr. Joannes Rouaeus."

(7) Hoc epistolium ipsi Pontifici innotuit, valdeque displicuit quod et Religioso et Nuncii Apostolici causam sustinenti, et a Religioso, coque haereticis et haereticorum fautoribus patronante, et Romae scriptum illas redoleret haereticorum combinationes et violentiam, a qua vel Londini vel in aliis similibus

2019
v

locis haeresi infectis Sedis Apostolicae et causae Catholicae assertores sibi metuere solent. Rouaei etiam causae aliunde malae haud parum in Urbe praejudicavit duarum partium Catholicarum apud Iberniam concordia, Ormonistarum depresso, et funestus induciarum censuris anno 1648 prohibitarum, nec non pacis deinde | cum Ormonio contractae exitus, et praesidiorum ac militum Insequinnianorum defectio, tunc ipsa re clamante Nuncium induciis illis prudentissime intercessisse. Praeterea licet Carmelita anno superiori in Iberniam scripserit suos juxta Pontificis placitum monens ut si audiri vellent, acta ab ipsis in Ecclesiae praejudicium lata refrigerent, Commissarii tamen fiduciarii, etsi acta omnia, quae ad eam controversiam pertinerent, tabulis publicis expungenda promiserint, id tamen ipsum promittentes (sicut ex ipsorum litteris 4 Octobris 1649 ad Innocentium X^{um} datis et superius positis liquet) se ad eadem probanda paratos esse affirmarunt, adeo ut ea non refixisse, sed tabulis publicis delendo indelebiliter confirmasse videantur. Quibus addendum est, Appellationem quidem ab Ormonistis anno 1648 nugatorie fuisse interpositam, sed longe magis nugatoriam extitisse ejus prosecutionem. Indicias enim anno 1648 cum Insequinnio contractas Nuncius atque Iberniae Praelati censuris prohibuerunt ob multas causas, sed ante alias ob unam principalem, ne scilicet Ormonistae ad revocandum Ormonium, ad intrudendam pacem iniquam, et ad procreanda Ecclesiae Ibernicae mala innumera ex illo fonte nascitura illis induciis atque haereticorum societate tanquam medio uterentur. Ormonistae autem Appellatione interposita tantum abest ut Pontificis sententiam mature procurarint, aut interea caeptis pessimis destiterint, ut etiam induciis in finem jam dictum usi sint, deindeque Romam ad prosequendam | Appellationem destinarent fratrem illum mendicantem, qui et ipse Urbem non intravit nisi 16 Januarii 1649 ea rerum et temporum proportione studiose capta, ut induciae Kalendis Novembris anterioris exprirarent, et pax iniquissima per illas intrusa ipsissimo mense Januario, quo ille Romam appulit, apud Iberniam promulgata fuerit, tota tragaedia jam absoluta in Pontificis derisionem si sententiam in ipsos latus esset, non utique per illam assecuturus ut pacem illam proscriberent, Ormonium exploderent, Nuncium revocarent, Clerum fautesque postliminio restituerent, illata illis damna resarcirent, confaederationem Catholicam resumerent, et res cunctas in statu quo ante contractas inducias erant, collocarent, imo nec

2020
v

effecturus ut litis impensas solverent, sed ut ad sententiam mendicante fraterculo procurante ferendam agnoscerent se deliquisse, et paenitentiam praeseferentes ita peterent absolutionem ut cum suo Ormonio iisdem malis insisterent usque in finem. O paeclarlam Appellationem, et Appellationis prosecutionem. Miror sane eximiam Pontificis clementiam et longanimitatem, qui fraterculum illum Carmelitam ad triremes non damnaverit, vel potius gradu ecclesiastico dejectum laqueo tolli non jusserrit, sicut re ipsa satis superque meruerat, cum in Ibernia non privatum Carmelitam sed | Carmelitarum Provinciale agens, Ormonistis ita in hac causa palam militarit, ut pro virili subditos in idem delictum protruserit, eoque deinde progressus sit impudentiae, ut eandem causam in Ormonistarum, Ormonii, atque aliorum haereticorum, quorum permagni intererat, favorem prosecuturus Romam perrexerit.

2021

(8) Dixi hujus Carmelitae causam Romae evasisse deteriorem ob Ormonistarum in Ibernia per Cromuellum et Cromuellistas depressionem. Nam antea dum illa Catholicorum pars cum suo Ormonio et aliis haereticis Regi obsequium profitentibus in Parliamentarios atque in Eugenium O Nellum progressum faceret, plurimi credebant futurum ut Parliamentarios Regno deturbarent, et Eugenium ejusque exercitum demum delerent vel debellarent. Quare timebatur ne sententia Romae in Ormonistas ferenda haud Eugenio atque ejus partibus ad Ormonistas eorumque in conjuratione socios haereticos superandos et ad restituendam primaevam Catholicorum confederationem, sed ad ambarum partium Catholicarum discordias in aequilibrio ponendas, proindeque ad malum augendum profutura esset, et effectura ut Pontifex partium Catholicarum demum in Ibernia paevaliturarum, haereticorum a Rege stantium, Regis ipsius et Reginae matris, nec non Galli illis faventis invidiam inutiliter contraheret, omnesque in se irritaret. Unde videbatur rationi consentaneum ut Pontifex censuras aliquo modo tolleret, ne earum occasione malum in Ibernia non decresceret, sed recrudesceret. Verum ubi illa Ormonistarum spes in fumum abiisset, illa etiam litis consideratio cessavit, substituto in ejus locum | immenso Ormonistarum horrore ob infaustum induciarum cum Insequinno contractarum, et pacis cum Ormonio conclusae exitum alta voce clamantem prudentissime rerum suarum et Catholicarum sategisse per censuras Nuncium quod illis malis conatus esset obviare.

2021

v

(9) Ambarum etiam partium Catholicarum concordia mense

Octobri anno superiori inita effecit ut haec causa ob multas rationes ipsi extrinsecas Romae aliter perpendi caeperit. Nec defuere qui concordiam illam haud suis coloribus in Urbe pingebant, occasionem praebentibus litteris Romam missis si non ab aliis, certe a P. Joanne Colgano, strictioris observantiae Franciscano Iberno, qui ex Ibernia in Belgium advecti D. Hugonis Rochforti vel Rupefortis litteras Anglicas ad se Bruxellis Lovanium directas P. Paulo King Romam transmisit, annexa alia epistola a se ad eum Latine ita data ut Anglicarum apud Urbem Latine reddita et ipsa epistola Latine scripta magnam ibi magnis et multis laetitiam pepererit. Utriusque epistolae et Anglicae Latine versae apographum et ipsius Latinae autographum mihi in Archiepiscopi Firmani Scriniis occurunt verbis quibus hic sequuntur:

"Hugonis Rochforti epistola ad P. Joannem Colganum Bruxellis Lovanium Anglice scripta, sed Romae Latine reddita.

“Reverende Pater,

(10) “Cordialissimas tibi ago gratias pro amantissimis suis litteris, quas hodie recepi, et (ut verum fateor) plurimum me laetificaverunt. Quibus respondens dico, quod Eugenius O Neill non se conjunxit (refractariis scilicet) nisi interposito pacto, quod nostri Commissarii, milites &c. | procurarent absolutionem ab excommunicatione. Hic articulus fuit privatus, et non publicatus cum reliquis impressis. Consequenter ad hoc Clerus convenit Clunmacnois, ibique se reconciliarunt et decreverunt mittere Romam Episcopum Dunensem cum paenitenti submissione et imploraturum ut absolvatur Regnum ab excommunicatione. Omnes officiales et Catholici milites compulsi sunt petere et accipere absolutionem. Quod factum est Clonmelliae (exercitu tum ibi existente) per Patrem Bray et D. Donatum O Srenan. 2°. Congregatio Ecclesiastica sedavit omnes differentias dudum inter ipsos Catholicos ecclesiasticos ortas, et illi, qui fuerunt suis sedibus pulsi eo quod steterint pro excommunicatione, illico fuerunt restituti. 3°. Non audivi de legatis relictis ab Eugenio O Neill, nec obiit adeo dives ac putatur. Reverende Pater, hodie sum prefecturus Bruxellis Brugas et inde te de mea determinatione certiore redam, incertus interea quid agendum. Hic fertur Wexfordiam et Rossipontum recuperata a nostris. Sum

9 Martii 1650.

Tuus humilis et affectionatus servus
Hugo Rochfort.”

(11) Colgani autem epistola Romam Latine scripta hic sequitur ex autographo manu propria scripto :

" Venerande admodum ac mihi multum colendissime Pater.

" Ante octiduum vestrae Reverentiae scripsi de fere ultimo ac generosissimo actu piae memoriae D. Eugenii O Neill, qui esto viderit rem Catholicam acceptis hactenus multis cladibus in summum | venisse discrimen, et nisi se suasque copias adjungeret reliquis Catholicis, qui nuper salutaria monita et censuras Illustrissimi D. Nuncii et Cleri adhaerentis spreverunt, ultimum omnibus imminere discrimen, esto rogatus multis precibus, noluit tamen in eam associationem consentire, nisi pars Nuncio ante refractaria prius peteret absolutionem ab incursis censuris, propter quas spretas, numine pro sua Ecclesia pugnante, et illas plagas infligente, in illa venerint discrimina. Quod et inter associationis articulos a parte alia sua errata agnoscente (promittitur) ut adjunctae Domini Rochforti ex patria nuper venientis ad me scriptae contestantur. Unde licet illa partis refractariae resipiscentia sit magis sera quam par erat, si tamen sit sincera (uti et supponitur esse) videtur et urbi et orbi satisfecisse, cum laesa Sedis Apostolicae Majestas sacraque Ecclesiae authoritas plus honoretur et suspiciatur in humili culpae agnitione et offendentium paenitentia, quam si prius non offendissent, et praesertim cum recognoscant plagas sibi inflictas provenisse ex justa numinis vindicta propter spretam Ecclesiae suae autoritatem offensi, et pro ea sine dilatione tam manifeste pugnantis. His auditis (spero) magis laetabitur Illustrissimus D. Nuncius quam ante fuerit offensus a parte ex caeca praecipitantia refragante, cum viderit numen suas partes tueri, et populum vel verius populi rectores sua errata recognoscentes. Suaque sacra Majestas (ut in Domino confiditur) magis ad paenitentium filiorum lachrymas quam ad priora errata paterna pietate respiciens periclitanti rei Catholicae de opportunis providebit remediis, et adjutricem porriget dexteram. Plura nunc non possum scribere, quia dextera manu doleo.

Hac 12 Martii

1650.

Vester ut nostis

Fr. Joannes Colganus." |

(12) Hae duae epistolae et alii hujusmodi rumores circa articulum 12 Octobris 1649 inter Eugenii Commissarios et Ormonistarum Commissarios pactum, et circa ea, quae ambarum

2022
v

2023

partium Clerus in Congregatione Cluanmacnosiensi decreverat, in Urbe sparsi Archiepiscopum Firmanum, ejusque ibi fautores dubio procul ultra modum laetificarunt, nec dubitandum est quin ipsi Pontifici et Cardinalium Congregationi rebus Ibernicis in Urbe praefectae laetitiam procrearent singularem, licet re ipsa Ormonistae nec per articulum cum Eugenio pactum, nec per Congregationis Cluanmacnosiensis acta latum unguem a primaeva sententia resilierint, cum semper in votis habuerint (quod per articulum cum Eugenio pactum promiserant) Suae Sanctitati supplicare ut Regnum illis censuris, sive validae fuerint sive secus, liberaret, et nunquam non cupierint ut (quod ambarum partium Clerus Cluanmacnosciae per suas litteras ad Innocentium X^{um} datas postulavit) Sua Sanctitas salvo partium jure absolutionem ad cautelam concederet, nec illi ex Praelatis, qui Nuncio adversati sunt, in illa Congregatione Cluanmacnosiensi suam circa censuras illas sententiam revocarint, sed potius confirmarint, parati se tamen submittere sententiae Pontificiae. Porro illi tantae opinioni de Eugenii articulo et Congregationis Cluanmacnosiensis actis conceptae, lateque sparsae, ad incrementum profuit, quod nec Eugenii articulus, nec Praelatorum litterae ad Pontificem circa illam controversiam |

2023

v Cluanmacnoscia scriptae in lucem editae fuerint, nec Dunensis legationem Romanam ipsi a Praelatis in Congregatione Cluanmacnosiensi, imo a Regni Ordinibus (ut ipse sua epistola ad Firmanum 24 Maii 1650 data loquitur) decretam obierit, sed adversariorum technis factum sit ut distulerit, ac demum (sicut videbimus) nunquam postea, quae in mandatis haberet, Suae Sanctitati exposuerit.

(13) Ad praefatos etiam rumores spargendos conduxerit terminorum affinitas et sensus ambiguitas, praesertim apud eos qui acta in Ibernia condita nondum viderint, longeque magis apud eos, qui ancipites loquendi modos actis, pactisque caute inseri solitos incaute intellexerint atque aliis retulerint. Nam in articulo Eugeniano Ormonistarum Commissarii caute polliciti sunt suos Suae Sanctitati supplicaturos ut Regnum illa censura, sive valida fuerit sive secus, liberaret. Rochfordus autem Colgano scripsit praefatos Commissarios pollicitos fuisse quod sui *procurarent absolutionem*, et Colganus atque alii absolutionem hanc de ea, quae non ad cautelam nec conditionate petitur aut conceditur, sed de ea, quae plenam absolutamque culpae agnationem, paenitentiam, et resipiscentiam praesupponit, quaeque absolute et petitur et conceditur, intellexerunt. Commissarii

illi per articulum cum Eugenio pactum promiserunt futurum ut sui Summo Pontifici supplicarent quatenus Regnum illa censura, sive valida fuerit sive secus, liberaret. Congregatio Cluanmacnosiensis Episcopum Dunensem in hunc finem modo superius tradito ad Suam Sanctitatem allegandum | decrevit, et epistola 13 Decembris ad Scarampum in Urbem data scripsit, Dunensem ad Suam Sanctitatem destinatum, quo inter alia *Concilii Supremi submissionem ei praesentaret*. Rochfortus Colgano scripsit Clerum Cluanmacnosiae decrevisse, mittere Romam Episcopum Dunensem cum paenitenti submissione, et imploraturum ut Regnum absolveretur ab excommunicatione. Et Colganus aliquis hanc paenitentem submissionem offerendam et absolutionem postulandam modo non hoc sed jam dicto intellexerunt, licet Ormonistarum Commissarii in articulo Eugeniano non spouonderint suos *procuraturos* (ut Rochfortus habet) sed *supplicaturos Suae Sanctitati* etc., quod longe minus est. Nec spouonderint suos supplicaturos Suae Sanctitati, multoque minus polliciti sint ipsos *procuraturos ut Regnum absolveret ab excommunicatione*, sed ut *illa censura, sive valida fuerit sive secus, Regnum liberaret*. Quae loquendi formula minus sonat, cum quis censuris liberari possit absque ulla absolutione per solam censoriarum relaxationem vel earum revocationem. Nec Congregatio Cluanmacnosiensis Scarampo scripserit Dunensem ad Suam Sanctitatem allegandum *cum paenitenti submissione* (sicut Rochfortus Colgano scripsit), sed ut inter alia *Concilii Supremi submissionem ei praesentaret*, quae *submissio* futura erat non *paenitens*, sed qua ei suppli-caretur ut *Regnum ea censura, sive valida fuerit sive secus, liberaret*. Denique in praefato articulo Eugeniano, | et litteris Cluanmacnoscia ad Suam Sanctitatem atque alios superius nominatos scriptis, Ormonistae tam ecclesiastici quam laici terminis juris cautissime ad ipsorum scopum usi sunt, quos alii deinde incaute interpretati ad aliud sensum extenderunt, eo excusabiles quod ob rationes jam dictas et Rochforti nuper ex Ibernia in continentem advecti atque in ambarum partium Catholicarum rebus versatissimi, aliundeque emunctae naris hominis et fide dignissimi autoritatem manu propria testatam ab una terminorum usurpatione in aliam transierint. Verum ego his omnibus atque aliis id genus Ormonistarum causae illatis detrimentis haud a nuda atque inermi veritate, sed ab incauta terminorum interpretatione petitis renuncio, cum non fidei, nec Ecclesiae, nec Cleri Ibernici, nec fautorum ejus, sed

2024

2024

v

ipsorum Ormonistarum causa pauperrimis ejusmodi adminiculis indigeat. Se enim sola satis superque armatur veritas *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Cujus in hac causa mutuamur evidentem probationem etiam ex Congregationis Cluainmacnosiensis actis, cum ambae Praelatorum partes ibi per suam epistolam communem 12 Decembris 1649 Innocentio X^{mo} scriptam Ormonistas laicos Nuncium calumniatos et actorum, de quibus in illa epistola mentio fit, architectos atro carbone notarint, totaque Cleri Ibernici tam saecularis quam Regularis ibi Congregatio (exceptis pauculis Ormonistarum fautoribus inter ambiguas suas opiniones titubantibus) Innocentio X^{mo} per epistolam 13 Decembris 1649 protestata sit dicens: *Certe nos credidimus ab initio et etiamnum credimus excommunicationem illam solidis innixam fuisse fundamentis, Appellationemque interpositam frivolam.* | Atqui hoc splendidissimum testimonium a tot tantisque Cleri saecularis et Regularis Praelatis in ea causa versatissimis in Spiritu Sancto congregatis, sibi ab initio, in progressu, et tunc constantibus, proindeque ante mortalium reliquos circa controversiam illam fide dignissimis perhibitum satis superque probarit *excommunicationem illam solidis innixam fuisse fundamentis, Appellationemque interpositam frivolam*, nec Innocentius X^{mus} tam locupleti protestationi fidem habuerit, nisi ut Judex aequissimus longeque prudentissimus, praesertim cum ex epistola ad Nuncium indidem eademque die scripta constet ipsos ne latum quidem unguem in illa Congregatione a prima sententia resiliisse, sed necessitate publica, Puritanorum inundatione, extremo discrimine, et praecedente exercitus Ultoniensis cum Ormonistis concordia coactos fuisse in communis hostis expugnationem ad ineundam cum Clero Ormonico societatem, alias utique nec cum ipsis nec cum aliis Ormonistis nisi plene paenitentibus ineundam, nec cum ipsis initam nisi *a paratis Nuncii et suam vindicare justitiam*. Hi sunt arietes qui tunc Romae adhibendi fuissent, quosque non dubito fuisse adhibitos mox atque illius Congregationis acta in Urbe innotuerunt.

(14) Ad Carmelitam redeo, cui utrum inter alia non illae duae epistolae a Rochforto et Colgano scriptae, sed aliae litterae priores antea a Colgano missae in Urbe praejudicarint, controversiam patitur? Nam mihi certo non constat illam Colgani epistolam antea missam in Urbe fuisse acceptam antequam Pontifex jussit ut Carmelita Roma exploderetur. Id certum

est eum illa Pontificis sententia haud fuisse consternatum nisi post 13^m Martii 1650 ; quo die nimis securus, sed | parum tutus epistolium superius positum P. Richardo O Ferallo Capucino, dum ambo in Urbe se tenerent, scripsit. Deinde vero 26 ejusdem mensis D. Albitius Paolettus Equiti Rinuccino ex Urbe Italice scribens : " denique (inquit) P. Rouaeus Carmelita excalceatus, qui hic morabatur, jussus est nupera die explodi Roma et universo Statu Ecclesiastico intra triduum sub paena carceris perpetui. Quod fuit datum in mandatis a Sua Sanctitate Illustrissimo Domino Albitio, et ab hoc Patri Generali Ordinis." Sic ille. Porro hic Carmelitarum Generalis, aliique Rouaeo in Urbe potentissime patrocinantes totis viribus contenderunt, ut Pontifex suum mandatum revocaret, sed in vanum laboraverunt. Caeterum vidimus tunc rationes quasdam Lutetiae Gallice typis mandatas, velut ab eodem P. Joanne Rouaeo Sueae Sanctitati praesentatas, quibus ad subsidium Carolo 2^o Angliae Regi suppeditandum, et ad alia plura in ejus favorem praestanta adduceretur, quasi ejus pater Carolus 1^{us} religione Catholicae et Catholicis subditis magnopere favisset, eamque ob rem regicidorum haereticorum odium sibi conciliasset, et filius Carolus secundus eadem animi propensione teneretur. Verum omnino certum est P. Joannem Rouaeum per annum integrum, et quod excurrit, quo Romae Ormonistarum causam procuravit, nunquam fuisse admissum ad Pontificis audientiam. Dumque Romae esset acerrima ipsi intercessit epistolarum aculeatarum, quas habeo, digladiatio cum D. Jacobo Talbotto, sacerdote Iberno, Parisiis se tenente, qui eum | epistolis 17 Decembri 1649 et 29 Februarii 1650 dilaniavit, a Joanne pariter litteratoriis punctionibus ex Urbe 24 Januarii 1650 datis dilaniatus. Quare P. Joannem jam Parisios regressum Talbottus accusavit apud Reginam Angliae, quam cum alloqui posset, scripto tamen suam querelam, ut melius ponderaretur, mandare maluit per hanc epistolam, vel potius libellum supplicem Reginae Angliae scriptum :

" Tuae Majestati placeat.

(15) "Sicut subditi fidelitatem arguit vere et opportune monere Principem de iis, quae ejus Regno praejudicium procreare possent, ita perfidiam arguit in quocumque, specialiter in illo, in quo spes ponitur, Principem prodere, significando falsa in rebus magni momenti, vel conando fovere eosdem falsos rumores per continuas imposturas.

2025
v

2026

(16) "Serenissima Domina, cum P. Rouaeum Parisios rediisse

et se tuae sacrae Majestati praesentasse audiverim, meum esse duxi offerre et sustinere eum, dum Romae Procuratorem ageret, haud se gessisse sicut subditi obsequium et Agentis fidelitas postularet. Quo factum ut suaे Patriae praejudicarit et eam prodiderit, quod totum paratus sum probare coram tua Majestate, cuius interest ut omnia quae ille gesserit, probe sciat.

(17) "Serenissima Domina, prodigionis reus est quisquis vel a Rege vel a Patria missus de suaे legationis successu falsa significat, praesertim quoties Regis vel Patriae prosperitas in ejusmodi re vertitur. Id autem P. Rouaeus patravit. Quod nunc paucis evidenter probo, et quovis tempore id ipsum amplius demonstrabo. Significavit per suas litteras singulis septimanis missas | patriae, a qua mandatum acceperat, et multis aliis, et (sicut credibiliter rescivi) non nulli tuae Majestati retulerunt, eum saepe a Sua Sanctitate et Cardinalibus res Ibernicas tractantibus obtinuisse audientiam, directas cum ipso litteras late receptas, Appellationem admissam, iis, quae Regnum gesserit, fuisse applausum, Nuncii acta condemnata, suaque negotia in bona extitisse conditione, adeo ut felix exitus propediem expectaretur.

2026

v

(18) "Serenissima Domina, evidenter probare possem haec falsa ejus nuncia continuasse, et aluisse discordiam inter Clerum et Regnum, qui diu ante Cromuelli exscensionem in Iberniam concordiam iniissent, si ille verum suaे legationis statum et successum significasset, sicut ex conscientia et fidelitate tenebatur. Porro si discordiae temporis sopitae fuissent, sicut nunc demum, legationis ejus successu vere cognito, sunt, nonne Regnum se jamdudum a Rebellium jugo liberasset? Nonne totum penes Regem fuit excepta Dublinia et Londoneria? Nonne fotae inter ambas partes discordiae effecerant ut Dublinia capta non sit et Londoneriae subventum fuerit? Praefata tuae Majestati consideranda humillime offero. Denique (ut brevitati consulam) certis fundamentis coram tua Majestate probandis subnitens, hoc scripto mea manu munito sustineo: 1°. Eum sua legatione ita Regno multum praejudicasse, ut in nullo profuerit. 2°. Ad nullam unquam admissum fuisse Papae vel Cardinalium rebus Ibernicis praefectorum audientiam. 3°. Eum expresso Papae mandato ignominiose explosum fuisse Roma et omnibus Dominiis Pontificiis, ob modum quo se gesserat arrogantem et praesumptuosum. Quod manifestum est et debet sufficere tuae Majestati, ut eum ulteriori ad tuam

sacram praesentiam aditu intercludat, et aliis imposterum ejus |
 relationibus atque imposturis non decipiatur. Hoc autem
 humiliiter offero non ad augenda vel alenda inter Iberniae
 Clerum jam reconciliatum dissidia, sed potius ad ea, siquae
 adhuc supersunt, sopienda, in quem finem tuae Majestatis
 mandata plurimum conducere possunt, proscribendo ut ad
 trutinam revocetur genuinus modus, quo res a praefato
 P. Rouaeo gestae sunt, et examinetur nunquid dignus sit, qui
 apud tuam Majestatem polleat existimatione et favore, quem
 nunquam audebo implorare, si haec mea epistola ullum con-
 tinet verbum repugnans verae rerum a P. Rouaeo gestarum
 relationi. Tuae Majestatis veniam humillime rogo quod praefata
 scripto praesentaverim, licet sic expedire judicaverim, quo
 meliore rerum notitia imbuerem tuam Majestatem, pro cuius
 prosperitate nunquam Deum non orabit

2027
 Parisiis 12 Maii 1650.

Serenissima Domina,

Tuus fidelissimus et obsequentissimus subditus et
 Capellanus,

Iacobus Talbottus."

(19) Rouaeo jam Roma exploso pervenerunt in Urbem litterae ad ipsum a Cottintono ex urbe Madritensi 14 Februarii 1650 Anglice datae, quas Carmelitarum Minister Generalis ob probrosam Rouaei explosionem suspectas habens reservavit, legendasque et interpretandas tradidit cuidam Iberno Romae tunc commoranti, atque in causam Catholicam fautoresque optime affecto, qui et apographum transcripsit. Porro Cottintonus (credo) fuit is ipse, de quo P. Franciscus Nugentius, Capucinus Iberius, Nuncio 16 Augusti 1649 Parisiis scribens : |
 "ejus (Regis Angliae) primarius (inquit) Consiliarius, qui
 vocatur D. Cottinton, homo magnae sapientiae et prudentiae,
 et Catholicus in sua anima, mihi juravit quod Rex tam bene
 est dispositus quod, si Sua Sanctitas et Catholici Principes
 ipsum bene adjuvabunt ad recuperanda sua Regna, cito vide-
 bitis gloriam Dei operatam in ipso." Haec ille. Ex quibus,
 nec non ex ejusdem Cottintoni litteris jam dictis conjecto eum
 mense Augusto 1649 in Gallia Regi Angliae, cum quo P. Fran-
 ciscus tunc agebat, astitisce, sed postea in Aulam Hispanicam
 se recepisse, ab Anglo (credo) missum ut suo nomine cum Rege
 Catholico ageret. Fallor etiam vel idem Cottintonus in Eduardi
 Hydae, Equitis aurati, Anglicani, a Rege Angliae ad Hispanum
 in legatum extraordinarium missi, litteris 14 Februarii 1650

2027

v

ex eadem urbe Madritensi Romam scriptis et inferius tangendis *Angliae Thesaurarius* vocatur. Porro ipsas Cottintoni haereticum profitentis sed (ut P. Francisci Nugentii verbis utar) *in sua anima Catholici*, litteras illas Rouaeo scriptas hic ex Anglo apographo jam dicto Latinas habe.

“Reverende Pater.

(20) “Tuae litterae 27 Novembris datae haud ante hoc triduum ad meas manus pervenerant, secus a me responsum ad te citius dandum fuisse certo persuasum habeas. Is enim es, de cuius affectione in Suam Majestatem et prudentia ita mihi per diversorum relationes constiterat, ut ultra modum cupierim tecum per litteras consilia communicare, et intelligere quem feceris progressum in magno negotio quod praestandum suscepisti, in quo Regis obsequium haud mediocriter verti probe novi, et ipse nec non Eduardus Hydaeus, Eques auratus, hic mecum legatus extraordinarius, cuidam a Rege | Romam misso specialiter commendavimus, ut tibi totis viribus adesset, eique suggestimus Suam Sanctitatem, si quo Regi gratificandi eumque demerendi desiderio teneatur, id opportunissimo demonstraturam experimento, dum omne tibi inferendum removeat praejudicium, seque in te prolixam ostendat. Ad quendam etiam alium circa te scripsimus, quod usque modo nihil tibi profuisse videtur. Tuam causam adeo liquide ordinasti, tamque bona tibi fundamenta ad eam prosequendam stravisti, ut dubitare nequeam quin tua illam industria et dexteritas ad faelicem exitum perducat, ipseque tecum in tuis fundamentis adeo plene consentio, ut mihi fatendum sit, eos, qui a te dissentunt, carere affectione et in Regem et in religionem Catholicam, vel prudentia et judicio, quo alteruti inserviant. Utut est eorum affectio, quisquis crediderit Catholicam religionem inter has rerum circumstantias in illis Regnis promovendam vel servandam alia ratione quam vendicando Regis praerogativam et autoritatem, haud promovere poterit rationes praeterquam indignas, quae refutentur, et quisquis gratiosam Regis indolem atque inclinationem, qua ad fidendum et incumbendum suis subditis Catholicis impellitur, non ignorat, inficias ire non potest quin opportuna ipsis sit occasio suae procurandae faelicitatis, modo liberaliter cohaereant, seque assident illis, qui ipsi honeste obsecuti sunt, quibus secundum Suae Majestatis clementiam et protectionem eorum securitas et prosperitas subnitatur oportet. Certus sum hanc Aulam optimo in Regem nostrum animo duci, quem etiam opere

demonstraret omni via, quae ipsorum rebus non praejudicaret. Sibi enim metuunt a damno ipsis inferendo, si Angliae rebelles Gallis in se opem ferrent, et forsan haud alieni sunt a cogitatione ipsos in suas partes alliciendi in Gallorum | detrimentum. Hic tamen Rex suo legato, Duci de *Infantado*, scripsit ut in Regis nostri favorem cum Sua Sanctitate agat, et optimis quibusque officiis illos omnes, qui ejus obsequium procurant, secundet. Cujus rei tanquam de ea per me certior redditus notitiam libere capias, et quotiescumque occasio postulaverit, recursum habeas ad Ducem de *Infantado*, ut tibi praesto sit et auxilietur, nisi judicaveris suspicionem exinde a te procreandam legato Gallicano, qui in tui gratiam valde sollicitus fuisse videtur. Tuum (credo) negotium modo haud magnas difficultates pateretur. Nam si illi, qui in Ibernia Concilio Supremo refragabantur, nunc (de quo hic parum dubitamus) reconciliati sunt, et Proregi se refecerunt, quam habes partem adversam cum qua contendas? Nuncii enim reclamationibus, si nulla alia difficultas supersit, facili negotio satisfieri potest. De qua re sententiam ferre nequeo, sed a te notitiam expecto.

(21) "Id quod ad te ipsum attinet, quod proponis adeo rationi congruit, ut id petas, et adeo Suam Majestatem id concedere oportet, ut nullatenus dubitem quin tibi transmittendum sit. In quem finem prima occasione Suae Majestati efficacissime scribemus, et ad te responsum dabimus, quam poterimus citissime. Interea temporis in prima epistola ad Cardinalem Capponium, ad quem ob certas rationes jam non scribo, a me danda eam tui mentionem et commendationem faciam, quam praesumo valitaram apud suam Eminentiam. Impense gaudebo modo ad me frequenter et exacte scribas, et semper ero paratus ad exhibendum me talem qualis vere sum,

Madriti, 14 Feb. 1650.

Tuus humilis servus,

Cottintonus." |

(22) Alteram epistolam pridie hujus diei ab Eduardo Hydaeo, Equite aurato, et Regis Angliae extraordinario apud Aulam Hispanicam legato, indidem Romam alteri Anglice scriptam Latine redbo, quam nescio cui Anglo res Regis in Urbe procuranti missam fuisse conjecto.

"Domine.

(23) "Perlegi binas tuas epistolas eodem die ad Illustrissimum D. Thesaurarium et me datas, et aliam ad ipsum 26 Novembris scriptam, quam eodem tempore recepit quo priorem. Non possum quin maximopere commendem rationem, quam in

2028
v

2029

2029

v

tuo negotio procurando iniisti, nec ullo modo erit cur Regem ex parte sua defuturum timeas, qui indubitanter praestabit omnem favorem et protectionem a se promissam suis subditis Catholicis, modo eorum opera et ergo eam obtinuerit opem et adminiculum quod rationabiliter expectet. Magni autem refert ut quam repereris in Sua Sanctitate bonam voluntatem versus Suam Majestatem, quam potes citissime experiaris, quo non leve rebus suis beneficium et robur istinc accrevisse sentiat. Neque enim te latet nullum jam Domino nostro Regi praestari obsequium, quod non tendat nedum ad restituendam post-liminio Suam Majestatem, et ad vindicandam coronam, sed etiam ad liberandam universam Regni nobilitatem populumque. Quamobrem Catholicis, praeter specialem Regis in ipsis dignationem, erit cur securi sint de omnibus commodiis, quae intra rationis limites sibi proponant. Si Aula Romana erga Catholicos Dominiorum Suae Majestatis, et ad religionem, quae nisi corona suffulta fuerit, dubio procul illinc extirpabitur, in illis regionibus servandam ulla teneatur charitate et commiseratione, credent ipsorum honori ultra modum consonare, et sua permagni interesse, ut Regi quam possunt maximas suppeditias tribuant, | et non solum omnes ejus subditos Catholicos ad praestandum quod suum est disponant et uniant, sed etiam inducant omnes Principes Catholicos ad sustinendam Suae Majestatis causam, tanquam sua ipsorum non minus interstit, et de facto res ita se habet. Nam haec grata libertatis et aequalitatis doctrina penetrabit in turbae studia, cuiuscumque fuerint religionis. Quod haec Aula suis ponderibus libratur et maxime propendet ad omnem Regi opem, nisi quam infaustae rerum suarum circumstantiae non permittant, subministrandam. In quem finem Sua Majestas Catholica Romam scripsit, suoque istic legato, Duci de *Infantado*, praescripsit, ut in omnibus Domino nostro commonet et omnibus ab ipso missis astipuletur, juxtaque sit in eis, quae agenda suscepint. Nec dubito quin Cardinali Capponio significandum sit quanti factura sit haec Aula favores ab ipso tibi demonstratos. Valde laetor quod tam bonam cum Patre Rouaeo familiaritatem contraxisti, quem non solum (sicut de ipso audivi) in Suae Majestatis rem bene affici, sed etiam prudentia et consilio haud mediocriter pollere censeo, valdeque doleo quod ista Appellationis controversia tamdui spreta pependerit, quae Regi re ipsa maxime praejudicavit. Quod si iste Nuncius, quem Dominus noster nullatenus sui studiosum esse existimavit, bonas Suae Sancti-

tatis intentiones obstruere potuerit, Sua Majestas haud parum despondebit animum expectandi quae vellet obtinere.

(24) " Instanter rogo, ut in omnibus colloquiis et consultationibus, quas cum illis, qui res Ibernicas procurant, tenueris, ipsis persuadeas quantopere considerandum sit plenam Regni Iberniae reductionem ad Suae Majestatis obsequium et obedientiam non esse nisi rei, de qua agitur, partem, eamque inferiorem. Nam | nisi Ibernia ita recuperata fuerit, ut ad Angliam quoque recuperandam immediate conductat, brevem tantummodo et angustam sibi pariet felicitatem. Quare nihil uni censeatur utile, quod alteri manifeste noceat. Hoc tibi dico, quia Parisiis per amicorum tuorum, quorum unus ab illo tempore tecum Romae fuit, quosdam comperi nihil 2030 ipsis circa Iberniam satisfacere potuisse, nisi Marchio Ormoniae illinc revocaretur. In quod Rex nunquam consentiet, reque ipsa id partibus Regiis tam officeret quam quod maxime, et Angliae juxta ac Iberniae Catholici in rebus suis ponderandis parum oculati sunt, nisi firmam et integrum cum partibus Regiis unionem sibi proposuerint, et P. Rouaeum in eadem (credo) opinione versari reperies, cui (obsecro) meum obsequium offer, eumque redde securum me fore ad inserviendum ipsi in quacumque occasione paratissimum. Cum me accingerem ad discedendum Antuerpia, Patri Isidoro a S. Josepho, Carmelitarum discalceatorum Procuratori Generali, Romae se tenenti, epistolam scripsi. Velle aliquam dextere excogitares viam explorandi nunquid aliqua ejusmodi epistola ad ejus manus pervenerit, idque ita ut non appareret te id indagare, aut petere responsonem, etc.

Madriti 13 Febr. 1650.

Tui studiosissimus servus.

Eduardus Hydaeus."

(25) Hanc epistolam eo libentius in medium produxi, quod Rege Carolo secundo ad annum 1660 in integrum restituto, hic Eduardus Hydaeus ter haereticus in Angliae Cancellarium cooptatus eodem officio ita fungatur, ut suis consiliis in Regem prope dominetur, ejusque filiam in Belgio exulem Regis frater, Dux Eboracensis, ibidem (ut videbimus) pariter | exul, deperierit ut occultum cum ipsa matrimonium contraxerit, et nuptiis illis a Rege in Angliam reduce confirmatis ea patrem magis fortunarat in Ducissam Eboracensem induita, non citra spem longe majorem cum liberos procreaverit, et Rex post aliquot matrimonii sui annos ex Regina nullos suscepit.

Porro ex his duabus epistolis colligendum est quanta sagacitate haeretici coronae Anglicanae Ministri subterraneos adhibeant cuniculos, ut quorundam Catholicorum ipsis suo commodo addictorum, uno ecclesiasticorum, et inter ecclesiasticos quorundam Cardinalium, et (quod plus est) potentissimorum totius Europae Principum orthodoxorum, nec non legatorum ab ipsis Romam missorum opera Pontifici fucum faciant, ejusque authoritate in ipsius, fidei, et Catholicorum Iberniae praetextibus, quibus Cardinales et Principes ter Catholicos, eorumque legatos decipiunt, alias non commissuros ut ipsis fides atque authoritas in haereticorum favorem et optimorum Iberniae Catholicorum ruinam impenderetur. Quod generaliter dico, cum sciam haereticis Anglicanis semper solemne fuisse, ut integerrimos Iberniae Catholicos profide bellantes orthodoxorum Regum et Principum, imo ipsis Sedis Apostolicae ope ac favore frustrarent per hujusmodi machinationes et artificia, ita haereticorum ab aevo propria, ut omni tempore suas sectas propagarint dupli praesertim machina, iisdemque ipsis sustentari columnis, sua scilicet astutia et improvida Catholicorum simplicitate.

(26) Quod autem ad praesentem larvam spectat, eam video fuisse adeo fucatis coloribus pictam, ut ad studiosissimos quosque causae Catholicae fautores decipiendos idonea fuerit. Nam Principes | Catholici optima in Regem Angliae a suis subditis acatholicis patre et patrimonio spoliatum charitate et commiseratione commoti, et illorum rebellium flagitia horrentes ad suos legatos Romae se tenentes verbis generalibus scribebant, mandantes ut eos Romae secundarent, qui Regis Angliae vel Reginae matris ejus causam illic agerent. Sed in applicanda ad proxim hac charitate non deerant, qui Romae et alibi suggerebant, Catholicis et religioni Catholicae profuturum quod de facto in eorum tendebat exitum, et suggestionibus illis clandestinis eo difficilius occurrebatur, quod sugerentes essent Catholic, imo plerumque ecclesiastici, etiam Religiosi, qui toti fidei zelo flagrare viderentur. Caeterum ex his omnibus liquet quam potenter Nuncii adversarii operam in Urbe atque in orbe dederint, ne censurarum anno 1648 in Ibernia fulminatarum, atque interpositae tunc Appellationis controversia in ejus, sed in sui favorem a Pontifice decideretur. Parumque dubitandum est quin tanti tantorumque Principum conatus multum conduixerint ad efficiendum ut Pontifex ferendam ritu solemni et judiciario in Nuncii atque eorum, qui ipsi in Ibernia adhaeserant, favorem sententiam diu suspenderit, ac demum

nunquam tulerit, licet causam ad ipsum bis remiserit, Appellationem rejecerit, ac demum Rouaeum, Appellantium Procuratorem, etsi tot tantisque Atlantibus suffultum Roma, totoque statu Ecclesiastico, in magnam ejus atque eorum, a quo missus fuerat, ignominiam deturbarit. |

(27) Ad ipsum Nuncium transeo. Cui in Urbe praesenti et suam causam sustinenti P. Scarampus a Sua Sanctitate et Cardinalium Congregatione rebus Ibernicis praefecta circa easdem interrogatus objecit ipsum in prudentiam peccasse. Quis autem fuerit hujus objectionis cardo me latet? Conjecto tamen non fuisse nec induciarum prohibitionem, nec censuras, nec Appellationis rejectionem Scarampi ex Ibernia regressu posteriora, sed Nuncii conniventiam, qua ad ineuntem annum 1647 in Comitiis Generalibus, invito Scarampo atque aliis, permiserit ut pacis Ormoniae anno 1646 initae authores non punirentur velut perjuri, sed quasi sua provincia caste perfuncti, ipsissimo acto, quo pax illa tanquam iniqua a Comitiis proscripta est, purgarentur, in sumnum ipsius deinde Nuncii fautorumque praejudicium.

2031
v

(28) Nuncius, hujus anni parte Romae transacta, se in viam dedit, Firmum, suae diaecesis Metropolim redditurus, quo auditio Firmani duos Ecclesiae Metropolitanae Canonicos, Jacobum Fratadocchium et Stephanum Ricciardium, ex parte Capituli, nec non alias duos, nempe Doctorem Vincentium Fedelium et Bartholomaeum Adamium, Centuiriorem, ex parte civitatis, Tolentinum, urbem Firmo unius diei itinere distantem, destinarunt. Qui Nuncium illuc redeuntem honorifice exceperunt, et tubis resonantibus ei per reliquum iter assistentes Firmum ita deduxerunt, ut ubi ad S. Justi fanum 8^{vo} a | Fermo lapide ventum esset, Firmani omnes, quotquot ad equitandum idonei forent, ibi Nuncio equestres maximo numero occurserint, et gratulabundi Firmum usque cohonestarint. Extra civitatis muros universa territorii Firmani militia eo fine coacta cum universalis bombardarum explosione haud semel salutavit. Interea Archiepiscopus, ubi multi diversorum Ordinum Religiosorum praelati et magistratus civilis extra civitatis portam ei de reditu congratulati essent, in quendam Augustinianorum reformatorum Conventum in suburbis positum se recepit, ubi illis vestimentis Archiepiscopalibus, quae inter ejusmodi circumstantias adhiberi solent, se induerat, deindeque incessit praecedente tota nobilitate sedens in pulcherrimo asturcone seu equo tolutario sub Baldachino, seu umbella, hanc magistratu pedestri sustinente et una suffulcientibus duodecim

2032

clavariis, primarum familiarum Firmanarum juvenculis eadem tessera vestitis ad colores et insignia nobilissimae domus Rinucciniana. Quo ordine processum est usque ad ecclesiam metropolitanam, ubi universus Clerus populusque supremo Numini gratias egerunt, adhibita musica exquisitissima, absoluto canto *Te Deum Laudamus*, et tonantibus multis tormentis bellicis sed minoribus.

2032

v

(29) In plateis, per quas ad ecclesiam metropolitanam incessum est, matronae Firmanae ad fenestras stipatae ibi locorum exposuerant superbissima quaeque supellectilia, sicut in solemnibus supplicationibus consuetudo inolevit. Quinetiam D. Hanibal Adamius | ad domum suam erexerat arcum triumphalem, in quo res ab Archiepiscopo inter Nunciaturam Ibernicam praecclare gestas graphice pingendas curaverat, ibidemque versibus Italicis optima musica ejus praeconia cantabantur. Civitas etiam eo plane modo, quo ad novi Archiepiscopi ingressum fieri solet, arcum triumphalem variis expeditionibus bellicis, quas Nuncius in Ibernia fidei causa suscepit, vel suscipiendas curarit, graphice pictis variegatum construxerat, et in omnium vultibus universale legebatur jubilum, quo eorum corda perfundebantur. Nec silentio praetereundum est horum jubilantium pene primos fuisse quosdam Firmanorum, quibus spinosissima cum Archiepiscopo circa quaedam civitatis et Archiepiscopatus jura, antequam ille in Iberniae Nuncium assumeretur, controversia et litigium intercesserat, qui tunc ex haereticorum praelio regressum velut Martyrem vivum paulo minus adorabant, ut exinde semper instar aliorum eum summopere coluerint et dilexerint.

2033

(30) In Ibernia Cromuellus hoc anno 1650 in Catholicos diluculo movit, et castrum Cahirense immensae rupi innixum, ac in Surii fluminis insula situm, proindeque ipso loci ingenio satis munitum, ne unius ex suis jacturam passus, in potestatem recepit, *pontisque aurei*, quo Surius trajicitur, nec non Dun-drumiae castella, variaque alia praesidiola, sed quae postea ab hoste munita Catholicis haud parum negotii | facessiverunt, expugnavit. Ex quorum numero fuisse video Castellum Kiltanense, per amplum, beneque vallatum, quod tormentis bellicis ad ditionem coegit, cuius loci Domino Dunboinniae Baroni, Ormonii contribuli, quem ita Nuncii censuras sprevisse vidimus, ut pessimis pseudo-Concilii Supremi actis anno 1648 latis manum apposuerit, demum *vexatio dedit intellectum*. Iisdem enim diebus ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam scripsit has litteras:

"Illustrissime Domine.

(31) "Tandem intellexi per Dei gratiam me vafritie aliorum fuisse seductum ad praevericationem inhibitionis Dominationis vestrae Illustrissimae, adhaerendo Cessationi armorum initae hic anno 1648, qua censuram a vobis tunc emissam incurri. Quare mera paenitentia ductus, et attractus dolore cordis intrinsecus in visceribus Christi rogo, quatenus vester Dominatio Illustrissima dignetur mihi Suae Sanctitatis absolutionem in censura praefata (cum eam Dominatio vestra Illustrissima reservatam reliquerit) procurare, et promitto, quando et ubicumque sese obtulerit occasio, me durante vita mea partibus Sedis Apostolicae firmissime et fidelissime adhaesurum. Si ulla etiam mihi possibilis superesset commoditas me Urbem versus conferendi, quod his litteris postulo, affirmo me in persona propria malle postulare. Non in illis meis meritis, sed in sola benignitate vestra confido, me impraesentiarum non passurum esse repulsam. Et sic Dominationis vestrae Illustrissimae benedictionem imploro.

Ex Ibernia nonis Martii 1650.

Dominationis vestrae Illustrissimae

Filius humillimus et servus

Dunboyn." |

(32) Dunboinnius ab ipsa Sua Sanctitate absolvi cupit, quod absolvi non posset ab iis, quibus Nuncius ex Ibernia anno 1649 discessurus absolvendi delegaverat facultatem, quae utique clausulam continebat, ob quam ipse Dunboinnius hic bene perpendit Nuncium, quantum ad se spectaret, *censuram reservatam reliquise*. Clausula autem fuit: "Excipimus tamen et exceptos omnino esse volumus omnes illos, sive de Concilio Supremo, sive in quacumque alia praefectura aut ecclesiastica aut civili aut militari constitutos, qui causam principalem vel favorem principaliter quomodocumque Cessationi praefatae dederunt, aut principaliter armis eam promoverunt. Quos tamen praevia praestita per illos satisfactione, tam de praefato negotio cessationis, quam de omnibus et singulis subsecutis, parati sumus nihilominus Deo atque Ecclesiae per pastoralem clementiam reconciliare." Hactenus illa clausula. Per quam Dunboinnius illam absolvendi facultatem quibusdam Iberniae Praelatis a Nuncio delegatam participare non poterat, quod Concilio Supremo per illam controversiam in duas partes, alteram sanam, alteram insanam, diviso, ille parti ejus insanæ coaluisset, et pseudo-Concilii actis pessimis subscrispsisset

2034
Just.
cap. 3.
num. 9.

tanquam Consiliarius supremus, licet re ipsa ob rationes suo loco dictas non esset in illis circumstantiis Consiliarius nisi per usurpationem ab Ormonistis excogitatam, ut competentem Consiliariorum numerum ad sua pessima acta condenda requisitum habere viderentur, et illo nefario artificio populum seducerent. Porro inter eos, a quibus Dunboinnius, alias vir simplex et bonus, deceptus fuerat, primas Philippo O Kearneo, Concilii, et | Comitiorum Regni solito Graphiaro tribuendas esse tradit Doctor Enos. Caeterum tam plumbeo passu in hac Dunboinnii epistola Romam mittenda, et in agenda ibi ejus causa processum est, ut in litteris 21 Aprilis 1651 Lovanio Firmum a P. Patricio Hacquetto, Dominicano Iberno, ad Archiepiscopum Firmanum scriptis haec legam verba : " Precor (inquit) ut procuret absolutionem, quam postulat D. Baro de Dunboinne, eamque cum benedictione ad me destinet." Sic ille. Firmanus autem id per litteras Firma Romam scriptas egit ut Pontifex eodem anno 1651 *Breve absoloriorum Dunboinnio transmiserit.*

(33) In Congregatione Cluanmacnosiensi mense Decembri anno 1649 celebrata Praelatis ex variis Regni partibus transmissa fuere plurima populi gravamina et Regiminis Ormonici corruptelae, ut remedium obtinerent, vel sua interposita autoritate adhibendum curarent, quales querelas ad ineuntem hunc annum 1650 Commissariis fiduciariis exhibitas fuisse reperio. Verum nec Praelati nec Commissarii rem viriliter presserunt, quibus Ormonius non aliter satisfecit quam per ludicas responsiones, per quas operam dedit ut se purgaret, pauloque post Kilkenniam jam peste infectam et sibi a Cromuell copiis in vicinia insultabundis excidium metuentem deseruit, et cum suis Commissariis fiduciariis se et suam curiam in Tomoniam transtulit. Cumque praesidium in civitatem Limericensem, quasi eam in Cromuellum tutam redditurus introducere vellet, Limericenses, partim quod eum suspectum haberent, partim quod milites praesidiarios absque extrema necessitate, cui se tempore opportuno occursuros affirmabant, sustentare nollent, his ejus votis haud acquieverunt, | nec ei et Commissariis atque aliis e comitatu ita januam aperuerunt, quin ipsi ad omnes urbis portas diligenter excubias agerent, ne Ormonius arte praesidiarios sui studiosos introduceret. Porro eodem tempore Praelatorum quoque non nulli Limericum confluxerunt, ut cum Ormonio et Commissariis fiduciariis deliberarent. Itaque 8 Martii 1650 Limerici proposita fuere gravaminum

et Regiminis corruptelarum ibi repetitarum remedia, rogato Ormonio et Commissariis ut consentirent. Verum Ormonius 10 Martii ita irritatorum aures concione publice habita demulxit, ut scripto 13 Martii dato ad gravaminum et corruptelarum capita responsionem fecerit nuda verba et solitas praestigias continentem, remediis repudiatis.

(34) Interea Cromuellus Kilkenniam obsidione incinxit, quam cives et pauci milites, licet pestis in urbe grassaretur, et plures pene tetra lue quam hostili gladio perirent, per aliquot dies mira animi magnitudine defensarunt, expectantes in singulos dies ut Comes Portu-Castellanus ab Ormonio in Lageniae Gubernatorem et virium illius Provinciae Imperatorem ascitus opem ferret, exercitu Ultonensi pene toto antea ex Momonia et Lagenia regresso, et apud suam Ultoniam et confinia hybernante. Verum ope illa deficiente, obsessi Kilkenniam 7 Aprilis 1650 dediderunt conditionibus re ipsa iniquissimis, sed considerata temporum injuria non usquequaque malis. |

(35) Paucis ante obsidionem diebus hospitii Kilkenniensis Capucinorum alii, nempe P. Christophorus Cassiliensis et P. Gregorius Dungarvanensis se rus receperant, ille in Lageniae montes Blandinenses, hic in tractum Waterfordensem. In quibus locis populo Catholico inter tot tantasque aerumnas consolando atque in fide Catholica confirmando praeclaram operam accommodarunt. Alii vero, nempe P. Barnabas Barnevallus, Capucinorum in Ibernia tunc Commissarius Generalis, cum duobus aliis ejusdem Ordinis concionatoribus, P. Antonio Midensi et P. Fiacrio Kilkennensi, nec non Fr. Joanne Dundalkensi, Laico, in praefato hospitio pedem fixerunt. Kilkennia autem dedita Barnabas gregarium militem ementitus inter praesidiarios dilapsus est, et multa deinde ab haereticis passus, aliundeque fame, frigore, senio, et debilitate inter viam exhaustus, demum ad Fingalliae Comitissam sibi cognatam in Midiam perrexit. Apud quam plures deinde annos inter truculentissimam persecutionem ita delituit, ut toti vicinia late patenti in magnum animarum lucrum insigniter profuerit. Antonius etiam multas facies, declinandae persecutionis ergo, induitus, et in varios Regni tractus per plures postea annos digressus, in eadem messe Apostolica perstitit. Fiacrius autem in urbe, etiam ab haereticis expugnata, permansit, quo civibus in spiritualibus assisteret, reliquis e Clero praeterquam P. Joanne Datono, strictioris observantiae Franciscano, viro non minus sancto, vel martyrio deletis, vel peste sublatis, | vel

2035

2035

persecutionis crudelissimae metu in alios Regni angulos dilapsis. Fiacrio in eadem palaestra praefatus Fr. Joannes, Capucinus Laicus, se comitem praebuit, et ambo saecularem speciem praeseferentes miro charitatis aestu Kilkenniensibus, etiam peste laborantibus, nullam, quam corpore atque anima possent, opitulantiam denegabant. Verum Fiacrius demum hoc eodem anno 1650 mense circiter Septembri ab haereticorum in urbe post deditioinem dominantium exploratoribus ad necem indagatus, dum ad solitas functiones spirituales peragendas quadam dierum per plateam Kilkennensem pergeret, in quendam illius scelerati gregis nebulonem incidit. Qui percontaturus nunquid esset quem explorabat: salve (inquit) Reverende Pater. Fiacrius autem haud exploratoris dolum sed alicujus sinceri Catholici affectum esse cogitans, et in repentina citra deliberationem operans, eum amicabiliter resalutavit. Quare explorator in confesso posuit eum esse virum ecclesiasticum, quod *Reverendi Patris* titulum non repudiasset. Hinc Fiacrius percontatoris fraude et sua simplicitate semper sancta detectus, atque ad Kilkenniae Gubernatorem haereticum a Cromuello constitutum raptatus, interrogatur, et ingenuus qualis ipse sit, profitetur. Jussus autem ut aperiat, quibus Catholicorum toto illo tempore in urbe sacramenta administrasset? generose respondens: quae (inquit) me ipsum concernunt, ingenuus pandam. Neque enim inferendam Christi et fidei causa mortem timeo. Quod autem tibi vel alteri cuicunque in alios Catholicos saeviendi et eorum reliquias bonorum confiscandi ansam subministrare posset, nunquam revelabo. |

2036 Itaque Gubernator ubi in hac inquisitione Fiacrii constantiam expugnandam desperasset, mortem ei in patibulo crastinam comminatus, jussit ut in carcerem traheretur. Tota illa nocte Fiacrius ad Martyrium se praeparavit; sed interea Deus Gubernatoris cor ita flexit, ut mortis sententiam executioni non mandarit. Reliqua autem hujus anni parte Fiacrius in ergastulo ita squaluit, ut cives Catholici citra tantum mulctae metum, sub charitatis in eum exercendae specie, illud liberius visitarent. Quos ille in carcere salubriter instruebat, et ipsis ibidem Ecclesiae sacramenta ministrabat, ergastulario non ad Catholicam fidem aperte profitendam sed ad meliorem frugem sancta ejus conversatione eatenus converso ut ipso connivente breviarium ad officium recitandum haberet, et rem sacram in ipso ergastulo facere soleret. Quid deinde ipsi et P. Joanni Datono, suo ejusdem messis Apostolicae in ea urbe praeclarissimo

collegae, nec non Fr. Joanni Dundalkensi, Capucino Laico, successerit, suo loco ab oblivionis injuria vindicabitur.

(36) Cum praefatus P. Christophorus Cassiliensis Kilkenniae obsidionem imminere praesagiret, et rus discessurus esset, Illustrissimo Domino Davidi Roto, Episcopo Ossoriensi, proindeque Kilkenniae Antistiti ibi pro more commoranti, valedixit. Sed ea visitatio tristis et lugubris erat. In qua plus lachrymis aut gemitibus quam sermone collocuti sunt. Ossoriensis autem irruens: "Quid (inquit) Christophore | charissime ille, ad quem te accingis, discessus portendit quam Kilkenniam, imo Iberniam, jam esse perditam." Et mox animo amarissimo: "O (inquit) Christophore dilectissime Ormonius nos fascinavit." Haec ille, quae mihi postea Christophorus, testis classicus, in Gallia retulit. Porro idem infortunatus praesul, et plurimorum infortuniorum eo author quod in Nuncium insurrexisset, urbe illa sua a Cromuello capta, a militibus haereticis male tractatus, pauculis hebdomadis interjectis ibidem octogenario major expiravit multis modis miserabilis, olim Doctor Salmanticus, et per aliquot annos etiam Iberniae Viceprimas. Eum tradunt fuisse trium librorum, qui occulto vel alieno nomine in lucem prodierunt, nempe *Analectorum Iberniae, Discursus de S. Brigida, et Iberniae Resurgentis authorem*. Quo primo multa ad persecutionem Ibernicam sub Henrico 8°, Eduardo 6°, Regina Elizabetha, et Rege Jacobo spectantia memoriae produntur. 2°. De non nullis antiquis Iberniae Sanctis et sanctitatis vestigiis agitur. 3°. Dempsteri calumniae, quas in Iberniam evomuit, retunduntur. Alia quoque, praesertim de Veteribus Iberniae et vicinarum Insularum caelitibus non in lucem quidem edidisse sed compilasse et composuisse videtur. Quod vel ex Colgano et Ussero, qui sua ex parte ipsi accepta referunt, conjectare licet. Sed partam his lucubrationibus gloriam dehonestavit libellus ille Anglicanus, faetus pessimus, quem anno 1648 ejus nomine in Nuncii censuras Kilkenniae editum fuisse vidimus, et modus, quo in illa induciarum et censurarum controversia se gessit, partim tamen excusabilis quod tunc | repuerasceret, et ab initio morem in illis controversiis Nuncio gerere caeperit, et postea non nisi ab aliis, praesertim a Jesuitis Kilkenniensibus, seductus, a recto tramite aberrarit, libroque illi subscripscerit quidem, sed nunquam contexuerit. Caeterum nullibi mihi occurrit, eum, ne in mortis quidem articulo, ab illis censuris absolutum. Cujus etiam Ecclesia Kilkenniensis nunquam hactenus interdicto liberata

2036

v

2037

fuit, digna propterea quam Catholici, si quando Ibernia ob haereseos jugo respiraverit, nunquam frequentent, nisi interdicto illo specialiter amoto.

(37) Cromuellus Clonmelliam quoque semel atque iterum obsedit. Verum prima vice ab Hugone O Nello, Eugenii O Nelli ex fratre nepote (quem prae aliis Clonmellienses sibi in Gubernatorem delegerant), et ab aliquot cohortibus Ultoniensibus sub eo ibi praesidiariis magnam suorum rebellium cladem et confusionem passus, receptui cecinit. Postea vero exercitu reparato et melius instructo ad ejusdem urbis obsidionem rediit. Quam Hugo eximia animi magnitudine, fide in Patriam singulari, summoque religionis Catholicae zelo ita sustinuit, ut hac etiam vice haud mediocrem militiae Cromuellianae stragem ediderit. Verum apparatu bellico praesertim pulvere nitrato deficiente, se demum ad incitas redactum vidiit. Quamdiu tamen esset resistendo, Clonmelliam defensavit, expectans futurum ut Ormonius juxta sponzionem ab eo factam, illa quae deessent suppeditaret. Cujus spei demum irritus Hugo cum ulterius Clonmelliam tueri nequiret, nec a Cromuello semper inhumano, et hac tam generosa defensione tantopere irritato, sibi et suis | aequas conditiones expectaret, imo in se vindicandum non dubitaret, jussit ut quotquot Clonmelliensium secum pergere nollent, postridie simularent se non discessisse, et conditionibus, de quibus inter partes agebatur, quam possent optimis se dederent, ipseque cum aliquot Clonmelliae primoribus atque eorum bonis mobilibus inter noctem se et cohortum suarum reliquias Waterfordiam proripuit. Postridie autem Cromuellus conditions eo meliores oppidanis concessit quod nulla earum caveretur ut Hugoni parceretur; sed pacto deditio jam absoluto, ubi se delusum reperit, Hugonis virtutem bellicam quamlibet infensus magnis laudibus celebravit. Porro inter varia iniqui regiminis capita a Limericensibus hoc ipso anno postea Ormonio objecta: "Quid (inquiunt) dici potest de Clonmellia defectu pulveris nitrati perdita? Cur quo tempore immissum erat praesidium eodem emissus est, et aliorum asportatus pulvis nitratus? Cur qui stipulato suaे Excellentiae honore Clonmelliae infra viginti unum dies inferendus erat commeatus, post 21 septimanas non fuerat illatus? Clonmellienses illum honorem diris devovere poterunt." Sic Limericenses.

(38) Ormonius cum suis Commissariis fiduciariis Limerico, ubi eum mense Martio se de criminibus ipsi objectis se purgare

conantem vidimus, digressus, in Conaciam penetravit, et consultatione haud semel nec uno in loco habita, quid decreverit, et quis deliberationibus successus fuerit Archiepiscopus Dubliniensis, Episcopus Cluanfertensis, aliquie ex Iberniae Clero communis epistola ex oppido Galviensi 12 Februarii 1651 ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam data testati sunt his verbis: |

(39) "Ormonius amisso prius instructissimo suo exercitu apud Dubliniam, postea territoriis suis omnibus ac locis munitis exutus, in Conaciam, quae sola Provincia, licet pestifera lue pluribus in locis et Galviae maxime per annum fere integrum infecta, hostium insultus cum paucis Regni Comitatibus evasit, se contulit, apud Loghreagh et apud Castrum de Clare in Tomonia per vices sedem habens, nulla re ad bonum Regni seu gesta seu decreta, luxui, laetitiae, choreis, ac compotationibus cum Insequinnio Barone se dedit, nulloque unquam tempore in laetitiam magis effundi notabatur, quam cum victoriam hostium et Catholicorum castrorum expugnationem audiisset.

(40) "Una tamen et altera vice, ne nihil omnino agere videbatur, quotquot potuit Episcorum, Procerum, et Nobilium in oppidum de *Loghreagh* convocavit, consilii ineundi gratia, quomodo quod relictum erat Regno propugnari, quod amissum recuperari posset? Omnes in eam descenderunt sententiam, non aliter fieri seu attentari potuisse, quam si universa Provinciarum multitudo a sexto decimo ad sexagesimum annum ad arma capienda confluenter. Decretum desuper et Proregis edictum sub capitali supplicio emanavit, locusque conveniendi et exercitum recensendi Monasterium de *Kilbegan* assignatus. Verum, quia exosus fuit omnibus Ormonius, et infortunatissimus belli dux habitus, sub ipso militare detrectarunt plerique. De tanto ergo, qui expectabatur, exercitu vix duo millia in loco illo designato comparuerunt. Indignatus inde et specie tenus excandescens Ormonius domum redit; neque in absentes, quod facile poterat, | animadvertere, nec milites adunare augereque (quod etiam proclive erat) omnino curavit, omnibus opinionem illam mentibus infixam relinquens, quod parvum de salute Regni curaret. Atque seu religionis suae haereticae amore ductus, seu secreto cum hoste inito faedere in spem praemiorum erectus, multis argumentis ostendit fovere potius hostes quam enervare et impugnare voluisse." Haec Praefati, quae ex autographo citavi.

Decretum
datum
27 Apr.
1650

2038
v

(41) Inter alia quoque tunc visum fuit quibusdam etiam

Praelatis per Ormonii litteras patentes deligendorum militum, et in tanto rerum discrimine belli gerendi facere potestatem. Ex quibus Boetius Mac-Eganus, Episcopus Rossensis, eo mandato munitus, in Comitatu Kierriensi ad Killarniam, Baronatus Magunihinensis emporium, militum delectum habuit, et cum tumultuaria illa tyronum manu in hostes progressus in Vicecomitem Brohilliensem incidit. Qui anno superiori cum Momoniae praesidiis illis, quae Insequinnii nutum manserant, ad Cromuellum turpissime defecerat, et hoc anno 1650 ei nec non aliis Regicidis Anglicanis cum valida transfugarum manu militabat. Fugatis ergo Episcopi militibus, ipse captus et ab immanni illo carnifice suspensus, vitam longe piissimam gloriosissimo martyrio finivit.

2039

(42) Is ex antiquissima Mac-Eganorum familia, quae dum vetustissimum jus Ibernicum usque ad Regis Jacobi tempora floruit, multos universae Iberniae judices illam scientiam tanquam successione haereditaria profitentes, et alios plurimos Ibernice aliter doctos suppeditaverat, oriundus, et parentibus plus honestis quam opulentis Mac-Cartiorum | Duhalliensium, seu Mac-Donochi, Duhalliae Dynastae, clientibus natus, se Deo inter strictioris observantiae Franciscanos consecravit. In quo Ordine Seraphico apud exteris plagas Catholicas os suum aperuit et attraxit spiritum. Nam re ipsa bonitatem et disciplinam et scientiam docuit eum Deus. In Iberiam suam regressus, patriam insulam aliquot annos ante ortum hoc infaustum bellum verbo atque exemplo mirifice illustravit. Hominem adolescens saepius vidi et concionantem audivi, cuius vultus, gestus, gressus, verba, atque actiones virum vere apostolicum spirabant. Nec oblivisci possum in illa facie atque oculis reluxisse vivam cordis semper compuncti, contriti, et humiliati idaeam talem, ut nunquam mihi mentem usque in diem hanc subierit, quin in meam confusionem ob oculos posuerit qualis beat esse homo spiritualis. Variis in sua Iberniae Provincia Franciscana officiis functus, demum anno 1645 ad generalia Ordinis Comitia apud Hispaniam celebrata perrexit, quae eum jure merito in Generalem Religionis Diffinitorem salutarunt. Exinde in Iberiam redux, demum post multa causae Catholicae obsequia magno zelo praestita anno 1647 in Episcopum Rossensem assumptus est. Quanto autem fidei promovendae studio a Nuncii partibus ante et post steterit, passim retulimus.

(43) Ea fuit hic vir sanctus conscientia, et animi integritate

in promovenda causa Catholica, ut ejusdem causae fautores, nedum in sua Momonia, sed etiam in aliis Regni Provinciis positi arcana eo spectantia ipsi ingenue communicarent, certi nunquam futurum, ut Boetius fidem in se positam proderet. Quo | propterea Nuncius, Eugenius O Nellus, copiarum Ultoniensium inferiores Eugenio Duces, aliqui praesertim Momoniae et Ultoniae Proceres, toties usi sunt consultore, internuntio, et fidissimo consiliorum exequendorum instrumento, cui ille spei in se positae nunquam defuit. Cujus prudentiae et exquisitissimae in observandis secretis legibus diligentiae ascribo quod, licet in tractanda causa Catholica tantopere occupatus fuerit, nulla tamen ab eo scripta epistola mihi in Nuncii Scriniis occurrat praeter unam unicam. Ex quo colligo quantopere operam dederit ut sua et causae Catholicae fautorum arcana adversarios et hostes celarentur, nec litteris etiam per fidissimos bajulos transmittendis mandarentur, ne casu vel aliorum perfidia rescirentur aut interciperentur. Unicam autem illam ejus epistolam Nuncio recens ex Ibernia regresso scriptam ex autographo Latino propria ipsis Martyris manu exarato hic habe : " Illustrissime et Reverendissime Domine.

2039
v

(44) " Una cum inclusa schedula Illustrissimae Dominationis vestrae epistolam accepi, et primo intuitu videns me esse in hoc Regno destitutum patre ac patrono, dolorem vehementem sensi, sed rem melius considerans quod Dominus Deus non permitteret vestrum tam inexpectatum ex hoc infortunato Regno discessum, nisi ad majorem sui gloriam et suae sanctae Ecclesiae utilitatem, animum recuperavi, et satisfactus mansi. Quoad relatu digna ex vestro discessu Illustrissimam vestram *Gratiam* ad latoris harum, D. Doctoris Creagh, relationem remitto. Unum rogo, ut me sicut hactenus indignum servum habuit, quocumque | eat, imposterum habeat, et casu quod mea professio fidei et fidelitatis juramentum non pervenerint Romam, ut defectum suppleat, et facultates consuetas mihi remittat. Interim et semper Deum Opt. Max. deprecabor pro faelici incolumitate vestra, cujus manus deosculatur

2040

Waterfordiae

17 Martii 1649.

" Illustrissimae vestrae Dominationis
Indignus servus,

Fr. Boetius Rossensis."

(45) " Remitto etiam meam persecutionem ad relationem praedicti latoris. De predicta schedula nihil adhuc dicere

possum, quia circa eam cum persona nominata nihil aliud egi." Haec ille. Persecutionem autem, quod Nuncio adhaesisset, passus est si non aliam certe illam, quod sua diaecesis per pacem tunc contractam illis haereticis relicita sit ante et post trans fugis, a quibus Regi militans fuit suspensus. Huic Boetio Mac-Egano, Franciscano, et Episcopo Rossensi, associandus est et alias Boetius Mac-Eganus, pariter Franciscanus et Episcopus sed Elphinensis in Conacia, de quo Pater Thomas Makiernanus, fratrum Minorum strictioris observantiae in Ibernia Provincialis, ex suo Conventu de Kilconnell ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam 1^o Maii 1650 scribens : "ut (inquit) ferventissimus fidei zelator vixit, ita in Domino sanctissime obiit 19 Aprilis hujus anni." Sic ille; et ne Franciscani de Franciscano testimonium minorem apud lectores fidem obtineat, subdo etiam quae testis omni exceptione major D. Patricius Lynchaeus, Praepositus Collegii Galviensis S. Nicolai, iisdem Kalendis Maiis ad eundem Firmanum Galvia | in Italiam 2040 v scripsit: "Nuperime (inquit) piissimus senex Reverendissimus Elphinensis placide quievit in Domino in Monasterio sui Ordinis de Kilconnell." Sic ille. Forsan etiam sui Ordinis interest ut hic subjungam quae P. Franciscus O Connorus, ejusdem instituti alumnus, Galvia 26 Junii 1650 ad eundem Firmanum scripsit: "Reverendissimus (inquit) D. Boetius ante suum obitum dedit sententiam pro fratribus Conventus Elphinensis, quibus adjudicavit Castellum aedificatum ex ruinis nostri Monasterii cum particula terrae eidem adjunctae. Noluimus tamen ipsum durante sua vita inde expellere. Post vero ejus obitum Castellum occupavimus sine strepitu." Sic ille. Caeterum hunc Episcopum commendant haud pauca ad annos superiores relata, quae hic non repeto.

(46) Ultoniensis exercitus, ex quo cum Ormonio mense Octobri 1649 convenerant, et ipsi ac Catholicis ei adhaerentibus in Cromuellum suppetias venerant, in reprimenda communis hostis feritate praeclararam operam ad exeuntem annum superiorem collocarunt, deindeque exceptis aliquot cohortibus cum Hugone O Nello (sicut dixi) in Momonia relictis, in suam Ultoniam et confinia ad hybernandum recesserunt. Hoc autem anno cum movendi in hostes tempus imminaret, in eam itum est sententiam, ut in eadem sua Provincia hostem aggredierentur. Sed Eugenio O Nello fatis functo, in quaestionem venit quis ipsis inter illam expeditionem in Imperatorem praeficeretur. Nec dubitandum quin Richardus O Ferallus, earundem copiarum

ante et post Eugenii obitum Legatus Generalis, et virium Conaciensium anno 1648 Imperator, praefecturam illam | multis titulis meruerit. Quinetiam Hugo O Nellus jam dictus Eugenii O Nelli ex fratre nepos, in bellis exteris natus, et a teneris unguiculis sub Hispano castra secutus, atque in hoc demum bello Ibernico sub patruo deindeque nominatissimus, idem officium meruit. Verum cum Richardus non Ultoniensis sed ex Comitatu Longfordensi esset, haud assumptus fuit. Hugoni autem aliorum invidia praejudicavit usqueadeo ut eum a tergo in Momonia reliquerint, cupientes ut nunquam in Ultonienses dominaretur, imo ut nemo ex ejus avi paterni, *Arti filii Baronis*, et ex ipsis Baronis posteritate multis etiam ipsorum O Nellorum, praesertim haereditariae successionis competitoribus, exosa eam tractaret provinciam militarem, qua fieret ut dominatum non affectare modo, sed etiam exercere valeret. Ormonius quoque et Ormonistae experti quantopere Eugenius O Nellus suis ipsorum machinationibus obviaverit, et haud ignorantes quantam ejus patruus, Tironiae Comes, hujusque itidem patruus Joannes O Nellus cognomento Superbus, suae tribus princeps, Reginae Elizabethae atque ejus in Ibernia factioni Anglo Ibernicae molestiam exhibuerint, et quantis cervicibus alii ex eadem O Nellorum familia jugi Anglicani semper impatientes ad antiquam libertatem aspirarint, tantum abest ut Hugoni praefecturam illam decernendam duxerint, ut etiam praeumptiones validissimae ipseque rerum eventus doceant ipsos ejus depressionem cordi habuisse, metuentes ne in suae demum factionis ruinam et coronaee Anglicanae detrimentum Ultoniam in libertatem assereret, deindeque victoriis inflatus | more majorum altiora cogitaret, eo ad magna molienda longe magis idoneus, quod matre natus esset Helena Mac-Cartia, ex Mac-Cartii Desmoniensibus, eorumque nobilissimis oriunda, proindeque arctissima ipsi intercederet necessitudo cum illa familia apud Momoniam splendidissima numerosissimaque, quae prope tota a Nuncio et Clero in hoc bello generosissime studuit, et a politicis Ormonistarum dogmatibus abhorruit. Quo etiam factum ut Hugo haud invitus in Momonia pedem fixerit, eique Momonienses bonas praefecturas decreverint.

(47) In eodem exercitu Ultoniensi non desiderabantur alii viri nobilissimi, et patria Ultonienses, et belli gerendi callentes, adeoque digni qui ad praefatam praefecturam generalem asciscerentur, praesertim Philippus O Rellius, aliique. Verum partes discordabant, et tollendae invidiae causa omnes in

2041

2041

v

2042

Episcopum Clogherensem consenserunt, tanquam quem nulli, quod suum esset, praereptorum sed communi omnium bono et concordiae consulturum judicarunt. Cum autem quidam antea exercitus Ultoniensis Chilarchi et duces, Vicecomes Iveaghensis, Felix O Nellus, Eques auratus, et Maelmorrius, vel (ut alii Latine dolant) Miles seu Milesius O Relli, qui anno 1648 ad pseudo-Concilii Supremi partes transfugerant, et in Nuncii censuras haud segniter insurrexerant, in illis Ultoniae Comitii atque electione suffragrari, exercitui Ultonensi refici, et saltem praefecturas, quas ante illam defectionem obierant, in eo recuperare vellent, responderunt alii nunquam in integrum restituendos, nisi ante omnia a censuris illis anno 1648 fulminatis absolutos, ne secus Deus exercitum non prosperaret. Quem illi controversiae nodum | solverunt peracta paenitentia, quae qualis fuerit sequens actum te decebit.

“ Submissio refractoriorum Ultoniae Procerum facta Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D. Hugoni O Relli, Archiepiscopo Ardmachano et totius Iberniae Primi, in Conventu Fratrum Seraphici Ordinis D. Francisci strictioris Observantiae de Cavan coram conventu dictae Provinciae magnatum et generosorum post flagellationem DD. refractoriorum a foris ad Altare usque.

“ Illustrissime Domine.

(48) “ In caelum peccavimus et in terram. In caelum dum obedientiam Illustrissimo D. Nuncio in excommunicatione lata contra nos et alios nostros cooperatores exhibere recusavimus. In terram peccavimus, et a Jure naturali minus humaniter declinavimus, cum contra nostram Provinciam et proprium sanguinem in nociva arma prorupimus, et alios pro posse prouumpere fecimus. Pro quibus delictis nos paenitet, culpam dicimus, et paenitentiam petimus, vestramque Illustrissimam Dominationem humiliter deprecamur quatenus pro nobis peccatoribus apud Deum intercedere non gravetur, ut eum propitiu[m] in caelis habeamus, quem in terris offendimus, ac vestrae Dominationis paterno judicio nos funditus submittimus, et in excommunicatione lata a Domino Nuncio, quam incurrimus, absolutionem petimus, promittentes nos nunquam ab Ecclesiae nostrae matris obedientia recessuros. Scriptum in Conventu Fratrum Minorum de Cavan 24 Martii 1650.

Iveah. Felim O Neill. Miles Reilly.” |

"Praesentes :

2042

Fr. Carolus Reilly, Guardianus ejusdem Conventus.

v

Fr. Malachias Corcoran, Provincialis Secretarius."

(49) "Haec est copia vera concordans cum suo originali.
Ita testor :

Fr. Thomas Makiernan, Minister Provincialis."

(50) Similem etiam egit paenitentiam Maelmorrius O Rellius in Insula S. Trinitatis et submissionem ante eosdem Iveaghensis. Porro de acto illo, quo tres suam paenitentiam professi sunt, Romam misso Massarius, Sacrae Congregationis propagandae fidei Secretarius, indidem Archiepiscopo Firmano 2° Julii 1650 Firmum sribens : "Dominica (inquit Italice) praeterita mei Summo Pontifici praesentandi occasio se obtulit, et Suae Sanctitati ostendi epistolam ab amico Galvia transmissam, nec non Nobilium Ultoniensium submissionem. Ex qua maximam cepit animi oblectationem, effecitque ut eorum, quae dicti Proceres tanta humilitate et bono exemplo egerint, bis legerim descriptionem. Postea vero mihi dixit : *Transcribe ejus alterum apographum in usus nostros, et in tuae Congregationis tabulas refer alterum*, nec dubita quin ea res nobis valde arrideat ob multas rationes. Haec fuere ipsissima verba Suae Sanctitatis." Sic Massarius.

(51) Ormonio Episcopi Clogherensis in copiarum Ultoniensium Imperatorem ab ipsis Ultoniensibus cooptati electionem confirmante, et ipso Clogherensi, tanquam necessitas et utilitas publica suaderet, ratam gratamque habente, exercitus ille sub praefato Antistite in Ultoniam penetravit, et facto mox progressu non sfernendo, | magnum sui timorem hostibus incussit. In Ultonia autem duae haereticorum partes se tenebant. Angli, quorum alii anno superiori ante Cromuelli appulsum Londoneriam (sicut dixi) defensarunt, alii vero post Cromuelli appulsum in Ultoniam missi et Londoneriensibus coaliti etiam anno superiori progressum fecerunt, et Scoti, qui anno praeterito pacem cum Ormonio contractam amplexi sunt, ipsique atque Ormonistis tanquam Regis autoritatem sustinentibus in Parlamentum Anglicanum ita cohaeserunt, ut Cromuello cum suis copiis in Iberniam transvecto ab Ormonio partim anno superiore, partim hoc anno ad Parlamentum Anglicanum versatiles iterum descivisse legam in litteris ex Ibernia ante susceptam hanc ab Episcopo Clogherensi expeditionem ad

2043

Archiepiscopum Firmanum in Italiam directis. In quarum unis Galvia ultimo Aprilis 1650 datis Edmundus O Meara, rei medicae Doctor : " Circa hoc (inquit) tempus (de anni superioris hyeme loquitur) omnes Angli Momonienses ab Ormonio defecerunt, et omnes Scotti et Angli Ultonienses, excepto Monroo, qui etiam nuper Parliamentariis se adjunxit, seque excusandum scribit, quod cum alii (Ormonium et Insequinnium intelligit) cum Cromuello de salute propria egerint, ipse sibi in tempore prospectum voluerit." Sic ille. Caeterum ambabus haereticorum partibus erant Ultoniae pene omnia oppida, arces, et praesidia.

(52) Itaque ubi Clogherensis in aliquot velitationibus victoriā reportasset, non nullaque castella expugnasset, demum infausta Martis alea in Tirconallia ad manus ventum est, et commisso praelio Parliamentarii sub Carolo Cooto bellantes mense Junio exercitum Catholicum profligarunt, copiarum Ultoniensium flore deleto, et multis etiam primoribus, nominatim Henrico O Nello, O Cahana, Phelimo MacToolo, Hugone Maguirio, et Hugone MacMahonio, qui non nisi vitam pacti se Anglis dediderant, postea insigni haereticorum perfidia et fidei publicae violatione capite plexis. Quorum Henricus O Nellus, cognomento rufus, Eugenii O Nelli filius unicus fuit, relictis inter vivos ter afflictis matre, uxore, et filio pariter unico, Hugone O Nello. Ex quibus mater postea in Flandriam rediit, ubi ad annum 1661 Bruxellis pie vitam finivit. Henrici uxor Mayoae Vicecomiti deinde in Conacia nupsit. Quem etiam idem Cootus deinde (ut videbimus) in Conacia rerum potitus, ob ea quae inter hoc bellum in Anglos gesserat, morte multavit. Ex quo et illa alterum filiolum concepit, adhuc cum ipsa in Ibernia superstitem. Ad primum ejus filium, Hugonem jam dictum, inferius redibit narratio. Porro ex Parlamenti Anglicani mandato ipse demum Episcopus Clogherensis pari perfidia et fidei publicae temeratione pauculis mensibus interjectis, per quod tempus dum Parlamenti sententia ex Anglia expectaretur, post praelium commissum servatus fuit, hoc eodem anno 1650 die 17 Septembris, S. Francisci stigmatibus sacra, Iniskilliniae suspensus est, absciso deinde capite et ad illius loci valvas alligato, Emerus nomine, ex antiquissima | nobilissimaque MacMahoniorum Ultoniensium familia oriundus, qui in exteris regionibus aliquot juventutis annos exul doctrinae et pietati operam dedit. In Belgio Lovaniense Ibernorum adolescentium et sacerdotum saecularium Collegium aliquandiu rexit, et ipse sacerdos saecularis. Exinde in Iberniā regressus tot tantaque

2043

v

2044

suo consilio prudentiaque primum Episcopus Dunensis et Conerensis creatus, deindeque ad Episcopatum Clogherensem translatus, gessit, quibus hujus belli historia hactenus variegatur.

(53) Post hoc praelium Cootus cum Venablo et eorum viribus Carolomontem 10 Julii 1650 obsidere caeperunt, Catholicorum in Ultonia praesidium magni momenti unicum, quod et post aliquot hebdomas in Cooti potestatem venit, concessa ex ditionis pacto praesidiariis copia exeundi cum armis tantum et sarcinis. Caeterum hoc funestum Ultoniae atque Ultoniensium infortunium demonstrabat defuisse Eugenii O Nelli virtutem militarem, qua factum erat secundum Deum ut Ultonia, etsi Provinciarum Iberniae inter hoc bellum alias debilissima, exercitum hostibus haereticis et Ormonistis Catholicis terribilem hactenus suppeditarit, et qua jam deficiente Ultoniae vires prioribus pares in hostem non instruxit, ubi in illo praelio succubuisset.

(54) Eodem pene tempore, quo haec in Ultonia inauspicato successere, Cromuelli vires in Lagenia Tecrohaniam et Caterlachum obsidebant. Quorum | praesidiorum primum post septem circiter septimanarum obsidionem ad ditionem redegerunt, eam Ormonio jubente, et Roberto Talbotto, Equite aurato, nec non Luca Maguirio, legionis Ultoniensis antea Instructore, seu *Majore*, qui ambo una Tecrohaniam defendebant, se deinde mutuo proditionis et ignaviae accusantibus. Robertus enim a Portu-Castellano, Lageniae Gubernatore, in Tecrohaniae et praesidii ibi positi praefectum destinatus erat. Lucas autem hyeme superiore a Carrigiae, seu Petrae Suirensis praesidiariis in illius loci insultu antea tacto graviter vulneratus, et instar mortui in strage relictus, p[re]a plaga per sex septimanas curata, secutaque debilitate, cum suam legionem in Ultoniam comitari non valeret, Kilkenniam neandum ab hostibus captam se recepit, ubi p[re]aclare se gessit. Postea vero Atloniae, dum in Ultoniam concederet ab eodem Comite et quibusdam inter Commissarios fiduciarios, nec non a Luca FitzGeraldo, Tecrohaniae Domino, rogatus est ut Tecrohaniam potius peteret, et locum illum ac praesidium gubernaret. Quorum jussis ut acquievit, ibi reperit Robertum, qui cum ipso de loci praefectura contendit, Luca ignorante factam fuisse Roberto talem potestatem, quam etiam Robertus exhibere rogatus nunquam ipsi exhibituit. Demum post varias contestationes etiam inter ipsam obsidionem circa Principatum (Lucas enim Robertum initae

2045

cum hoste occultae conjurationis suspectum habuit) natas, D. Luca Plunketto, | S. Theologiae Doctore, procurante concordiam ea lege redintegrarunt, ut neuter absque alterius consensu quidquam concluderet aut praescriberet, amboque tanquam duumviri Tecrohaniam ac praesidium moderarentur. Hinc Lucas postea Roberto gravissimos articulos proditionem occultaque cum hostibus locum obsidentibus mixta consilia spirantes objecit, quibus etiam tanquam verissimis praefatus D. Lucas Plunkettus et Christophorus Maddinus, tragediae testes, una subscriperunt, et Robertum reum egerunt. His tamen non obstantibus, video Lucam Maguirum, quem Robertus vicissim accusaverat, a Comite Portu-Castellano in Robertum, secum Ormonii semper studiosissimum, propenso si non morte multatum certe morti fuisse adjudicatum, ita ut postea in carcere squalens et tabescens graviter conquestus sit se nunquam fuisse auditum, et institerit ut audiretur ac Robertus praefatarum criminationum, quas brevitatis ergo non insero, reus perageretur; in quo operam lusit. Nec aliud expectandum erat Ormonio, Portu Castellano, aliisque Ormonistis ad regiminis clavum sedentibus.

(55) Caterlaghi obsidionem resumo. Qui locus in Cromuel-listarum fidem venit his conditionibus:

(56) " 1°. Ut castrum Caterlaghense cum machinis bellicis, annona militari, armis, et apparatu bellico intra 24 horas tradatur honorabili admodum viro, *Majori generali*, Hardredo Wallero, Census equestris.

(57) " 2°. Ut omnes ibi officiales et milites cum equis, armis, &c., moveant, profecturi ad Castellum Leanse et inde Atloniam. |

2045

v

(58) " 3°. Ut balistarii habeant singulas pulveris nitrati libras, glandes plombeas, et fomites.

(59) " 4°. Ut oppidanis integrum sit permanere, bonisque frui, ea lege ut solvant tributa militaria vel *contributionem*.

(60) " 5°. Ut omnibus nunc in Castello Caterlaghensi se tenentibus sint sartae tectae vitae et facultates.

(61) " 6°. Ut per mensem solidum omnibus sit transferendorum, quo voluerint, bonorum et se eodem conferendi copia.

(62) " 7°. Ut Georgio, Praefecti generalis, Prestoni, famulo, duo sint menses ad peragenda Praefecti generalis negotia, eique detur fides publica, qua bona debita et pecuniae ad Praefectum generalem, Prestonum, pertinentia vel nunc in Castello extantia Waterfordiam transvehantur.

(63) "8°. Ut praefatis officialibus et militibus, quamdui in Castello permanserint, annona et victus necessarius non de-
negetur.

(64) "9°. Ut nec personae nec res jam in Castro existentes per decendium sub quovis praetextu praehendantur. Datum
25 Julii 1650.

Joannes Dunganus.

Georgius Darsius.

Joannes Wortuerstonus."

(65) Interea (ut multa alia castella et minoris momenti praesidia brevitatis ergo silentio praeteream) Waterfordia et Duncanania commercio et commeatu | intercludebantur, et praefatis aliis locis jam captis arctiore obsidione pressa fuere. Cujus exitum, ut non hic sed inferius dicam, rerum et temporis ordo postulat. Antea vero memoriae prodendum est hoc malorum subitorum diluvium Ibernos maxima animorum consternatione perculisse. Quare multi antea censurarum a Nuncio fulminatarum contemptores caeperunt serio sed nimis sero cogitare supremi numinis iram et justam Nationis coercionem ex hoc praesertim fonte descendisse. Hinc plurimi peneque omnes Ormonistae vel molitionum quomodocumque consciit ad absolutionem a censuris in ipsa Ibernia per Nuncii delegatos concessam, alii prius, alii posterius recurrerunt. Ex quibus illi, qui inter strictioris observantiae Franciscanos in suae Religionis Provincialem ipsamque Ecclesiam rebellaverant, specialem mentionem merentur.

2046

(66) Vidimus autem ad annum superiorem illos Franciscanos, qui Nuncio et partibus ab ipso stantibus adversarentur, brachio saeculari nixos aliis suis fratribus Nuncio atque Ecclesiae fidelissime obtemperantibus magnum negotium exhibuisse, duce P. Raymundo Carrono in Visitatorem Generalem destinato Ormonio et Ormonistis procurantibus, quibus ille studeret, Dillonorum, praesertim Lucae Dillon, Equitis aurati, impii pseudo-Consiliarii, totus aere et libra. Verum hac Fratrum refractariorum dementia Romae cognita de P. Petro Marchantio, Franciscano natione Belga, | diversarum Provinciarum Ultramontanarum ac inter alias Iberniae Commissario Generali, a quo Carronus eo missus erat, ita in urbe male sentiri caepit, ut ille querelis in se motis exacerbatus cuidam Franciscano, a quo per litteras monitus erat, quemque ex suo, Carroni, et Ormonistarum fermento compactum fuisse colligo, scripserit his verbis plus aequo in causa mala confidentibus injuriosis.

2046

v

" Admodum Venerande Pater.

(67) " Binas vestras recepi, alteram die 27 Decembris, alteram die 24 Januarii. Quid dicam? Multi rumores Roma veniunt, pauci boni et veri. Certum est quod a Patribus Ibernis Romae proscriptor tanquam suspectus de fide, haereticorum et nebulonum fautor, bonorum inimicus et subditorum tyrannus. Haec, Deo propitio, promerui ab una natione, cui p[re]al[ia] aliis bene feci. Sit Deus benedictus. Si mea fama et innocentia apud Patres generales et universo Ordine et extra non fuisset a Deo servata, forte vivum me boni Iberni deglutivissent. Non cessant tamen mordere cane et angue pejores. Quid de Patre Carrono blasphemant, potestis cogitare. Caeterum revelabit aliquando Deus pudenda istorum hominum coram toto Ordine et mundo (utinam et innocentes cum aliis non includantur), cogar enim semel omnia manifestare ne iniquitas et falsitas pessimorum hominum immunis transeat. Quod scribit vestra Paternitas de Reverendo Patre Waddingo, credo quod illum pudeat audire, et videre quae audivit. Ego scribo Reverendo Patri Carrono ut advertat ad omnia, et quia necessarium erit in iudicio procedere contra calumniatores et falsarios, ut omnia disponat. Erit enim necessarium ut aliquando regrediantur ad sui defensionem. Fatigor ad bestias pugnare. Deus det meliora.

Gandavi

5 Februarii 1650.

Servus P. Marchant,

Commissarius Generalis."

(68) Audacem hanc epistolam et plus nimio insolentem Philopater Irenaeus, refractoriorum fratrum et Ormonistarum omnium apologista, tacito ejus ad quem scripta fuerat nomine, in lucem edidit. Quam tamen si suppressisset, Marchantii, Carroni, et Carronistarum fame melius prospexisset, cum hae litterae intolerabilem arrogantiam spirent, et haec controversia ante editum Parisiis hoc ipso anno Philopatri libellum famosum direpta fuerit in Marchantii, Carroni, et Carronistarum confusionem, pridieque quam Marchantius praefatam epistolam scripsit, datum sit Madriti sequens actum, quod quantum probet, ipse lector judex esto.

(69) " Fr. Petrus Manero, Vice-Commissarius Generalis et servus familiae Cismontanae Regularis observantiae sancti Patris nostri Francisci, universis Patribus ac Fratribus, tam subditis quam Praelatis nostrae Provinciae Iberniae, salutem in Domino sempiternam.

(70) "Perversus hominum inimicus ac infernalis hostis eo superbius insultat ac gloriatur, quo fortiora quatit, pulchriora invadit, ac solidiora depopulatur fundamenta virtutum. Noveramus in nostra Provincia Iberniae reformationis castra, litterarum praesidia ac virtutum inexpugnabiles arces. Et ecce in unico momento (O quanto cum dolore dicimus) omnia fraude | Daemonis miserrime prostrata deplorantur. Nam quae viribus expugnari nequibant, litibus ac domesticis Fratrum dissidiis subjiciuntur fere voluntaria captivitate. Cum igitur ad nostram pervenerit notitiam quod adventus intempestivus, et irregularis stylus R.P. Fr. Raymundi Carron, S. Theologiae Lectoris, Commissarii et Visitatoris, in dictam nostram Provinciam destinati Commissione admodum Reverendi Patris Fr. Petri Marchant, Commissarii Generalis inferioris Germaniae, Provinciae pacem turbaverit tanta strage religionis quod unitissimam Provinciam scindat in duas factiones, quarum una pro norma religionis militat, et (quod horrendum est dicere) altera (ut dicitur) contra authoritatem Sedis Apostolicae insurgit. Quare ut haec mala radicibus avellantur, ac possimus certificare de scandalis, quae rumoribus succrescunt, tenore praesentium praefatam Commissionem visitationis revocamus, annullamus, et suspendimus, praecipientes sub paena excommunicationis majoris latae sententiae praefato P. Fr. Raymundo Carron, ut Provinciam Iberniae linquat, et ad Collegium Lovaniense Belgii illico revertatur. Deinde quicquid praefatus Commissarius in dicta Provincia ex vi suaee Commissionis egerit, aut ordinaverit, tanquam attentatum et nullius valoris declaramus et revocamus. Interim R. P. Fr. Thomas Makiernan Ministri Provincialis officium continuet cum omnibus praerogativis ministerii seu officii juxta statuta Religionis. Siquea tamen sananda aut decidenda supersint, legitimis procuratoribus pro utraque parte praesentiam Reverendissimi Vicarii Generalis aut Sedem Apostolicam liceat adire ut ibidem lites tanta authoritate finiantur. Datum Madriti die 4 Februarii 1650.

Fr. Petrus Manero,

Vice-Commissarius Generalis. |

"De mandato Reverendissimi P. nostri Vice-Commissarii 2048
Generalis :

Fr. Franciscus Serra,

Secretarius Generalis."

(71) Invenio praeterea R. P. Eugenium Fieldaeum destin-

2047
v

2048

atum fuisse in Commissarium et Visitatorem, qui primo Iberniae Conventus Franciscanorum visitavit, deindeque auditis atque examinatis omnium querelis Capitulum Provinciale mense Augusto in Conventu de Kil-Conell celebravit. In illis Provinciae Franciscanae Comitiis, Provincialatu P. Thomae Makiernan jam finito, electi sunt, in Provinciale P. Franciscus O Sullevanus, Desmoniensis, in Custodem P. Patricius O Brenanus anno 1648 ab Ormonistis Kilkenniae, quod Nuncio et Ecclesiae constanter militaret, male multatus, in Diffinitores P. Malachias O Corcoran, P. Daniel O Kealla, P. Jeremias Herbertus, et P. Jacobus Tirellus. Cumque illi Provinciae Franciscanae praeter Conventum S. Isidori Romae, tres essent alii Conventus inter exteras nationes, nempe in Belgio Lovaniensis, in Polonia Velunensis, et in Bohemia Pragensis, Lovaniensi P. Bonaventura O Mihanus, Pragensi P. Philippus O Rellijs, et Velunensi P. Bernardus O Nellus in Guardianos praefecti sunt, P. Joanne Colgano in eorundem trium Conventuum ultramarinorum Commissarium Generalem cooptato. De quibus P. Paulus King Roma Firmum ad Archiepiscopum Firmanum hoc anno scribens : *Omnes (inquit) sunt probi, boni, et secundum cor nostrum.* Ipse quoque Paulus, quem anno superiori ex Ibernia Romam transmigrasse vidimus, si non illo, certe hoc anno 1650 in praefati Conventus S. Isidori apud Urbem Guardianum assumptus est, licet Ormonistae nihil non tentarint ut etiam Romae male tractaretur, | ipsaque Reginae Angliae binis litteris Reverendo admodum P. Danieli a Dongo, Ordinis Vicario Generali, scriptis, querelas in eum moverit, ob ea, quae eum apud Iberniam in Nuncii atque Ecclesiae favorem gessisse vidimus. Porro in praefato Franciscanorum Capitulo Provinciali rei acti peractique illi Fratres, qui Carrono adhaeserant, competenti numero praesentes, iisque potiores ibi paenitentiam egerunt, sicut hic vides :

(72) " Nos infrascripti nostras agnoscimus culpas, et coram Deo dolemus quod inobedienter et injuste restiterimus Provinciae, admittendo P. Raymundum Carronum in Judicem et Commissarium nostrae Provinciae, et injuriose damnaverimus admodum R. Patrem Ministrum Provinciale, Thomam Makiernan et Diffinitiorum Kilkenniae 11 Junii 1649, judicando eos perturbatores pacis, Regni, et Provinciae, et resistentes reformationi Religionis, firmiter proponentes satisfacere parti laesae secundum judicium R. admodum P. Commissarii, Visitatoris, et Diffinitori, et imposterum nos obedientes et

filios fideles exhibituros Provinciae. In cujus rei fidem his propria manu subscrisimus in Conventu nostro de Kilconell hac die expeditionis Capituli Provincialis 18 Augusti 1650.

Fr. Jacobus Fitz-Simons. Fr. Bonaventura Fonth.

Fr. Antonius Gearnon. Fr. Christophorus Plunkettus. Fr. Patricius Plunkettus. Fr. Franciscus French. Fr. Valentinus Broune. Fr. Antonius Geraldinus. Fr. Franciscus Stafford. Fr. Stephanus Lench. Fr. Bonaventura de Burgo. Fr. Franciscus Dillon.

" Haec copia concordat cum originali. Ita testor :

Fr. Joannes Connus Provinciae Secretarius." |

(73) Postridie ejusdem diei ipse Carronus, quem Capitulo interfuisse video, instrumento publico suam paenitentiam testatam voluit sicut hic vides :

2049

" Ego Fr. Raymundus Carronus missus in Provinciam Iberniae Fratrum Minorum strictioris observantiae Commissarius auctoritate Reverendissimi Commissarii Generalis, P. Fr. Petri Marchant, paratus ad omnem unionem et Provinciae honorem et conservationem, cuius me membrum agnosco, sicut et sum, protestor me bona fide hactenus processisse in executione officii mihi injuncti, prout Deus et conscientia mihi dictavit, licet exitus probavit me in multis errasse, quibus honor et tranquillitas Provinciae laesa est. De quo multum doleo et culpam agnosco, promittens omnem satisfactionem juxta arbitrium et determinationem admodum R.P. Eugenii Fildei, Commissarii et Visitatoris. Datum Kil-Conell, 19 Augusti 1650.

Fr. Raymundus Carronus."

(74) In eodem Capitulo decreta lata sunt Romam missa, et apud Urbem procurante Massario typis mandata, quibus errata a Patribus et Fratribus, tam Nuncio adversatis quam Carroni antea fautoribus patrata, dum sub gravibus paenis in futurum prohibentur, jam patrata damnantur, quae deprecandae prolixitatis studio in medium non afferro. Porro novus Provincialis et Exprovincialis 24 ejusdem mensis communem Archiepiscopo Firmano in Italiam scripserunt epistolam, quam ex autographo subjungo.

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(75) " Nos filii vestri Ordinis S. Francisci tanquam orphani praesentia | et auxilio tanti Patris et Patroni destituti, a discessu vestro tanta sumus passi in causa Dei et Ecclesiae, donec ad ultimum quasi deducti singulari Dei providentia Superiores

2049

v

2050

nostri pio nos contuentes aspectu et innocentiae nostrae commiserantes subreptitias illas ac minus consideratas R. admodum Petri Marchant Commissiones ad P. Raymundum Carronum missas revocarent, et ad R. admodum P. Eugenium Fieldaeum, virum omni exceptione majorem de Provincia bene meritum, et in rebus Religionis ab antiquo bene versatum alias destinarent, quibus singulari omnipotens Dei providentia effectum est ut res nostrae summa cum pace et concordia componerentur, et plerique a matris gremio hactenus misere aberrantes summa cum humilitate ad miserantis matris gremium supplices redirent. Inter quos ipse P. Raymundus Carronus et P. Valentinus Broune, qui aberrantibus patrocinari maxime videbantur, erroris sui testimonium et in publico Capitulo paenitentis animi signa dederunt. Nos vero taliter alias res nostras pro futuro ordinavimus, ut speremus occlusam esse viam, quibusvis nostris in posterum unquam Sedem Apostolicam aut ejus delegatos offendendi, sicut per P. Paulum King melius intelligetis. P. Petrus Valesius necdum ad ovile rediit, sed humilem ejus submissionem et condignam ejus satisfactionem in brevi expectamus. Quod ad Regni Praelatos attinet, ex iis advertimus eos, qui ad partem adversam defecerunt, aut eidem tenacius inhaerere videbantur, meliori rerum consideratione ac infaelici negotiorum successu prudentiores effectos in vestram opinionem et communem Praelatorum | resolutionem, ut decuit, rediisse. De publico Regni statu id tantum significare possumus, quod videamus res eo angustiae adductas, ut nisi praepotentis Dei auxilio cito nobis succurratur, de toto actum judicemus. Deus Opt. Max. nostri misereatur, et Illustrissimam vestram Dominationem, cuius manus devote osculamur, ad utilitatem et defensionem nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae diu incolument conservet. Ita orant

In expeditione nostri Capituli Kilconell celebrati 24 Augusti 1650.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Humillimi et devoti clientes

Fr. Franciscus Sullevanus, Minister Provincialis.

Fr. Thomas Makiernan, Exprovincialis."

(76) Quod hic affirmant, nempe Praelatos Nuncio in Ibernia adversatos resipuisse, de declaratione ab ambarum partium Praelatis eodem mense, sed paulo ante scriptam illam epistolam condita, qua Ormonium exauthorandum decreverant, intellegendum esse puto. De qua re inferius agetur. Porro ex eodem

Ordine Franciscano et Ordinis Provincia P. Antonius O Dalachan ab Eugenio O Nello et exercitu Ultonensi mox ac anno superiori cum Ormonio concordiam inierant, missus est, qui Suae Sanctitati, aulae Romanae, et Archiepiscopo Firmano rationes diceret, ob quas Eugenius cum Ormonio concordarit. Sexta post concordiam initam die Sancto Lucae Evangelistae sacra, anno 1649 Antonius Limerici navim conscendit, et 8° navigationis die oris Gallicanis jam vicinum adversi turbines ita in mare Ibericum repulsarunt, | ut post multas oceani quassationes navis ipso die Novembris 6° 1649, quo Eugenius O Nellus decessit, ad medium noctem secus Waterfordiam naufragio perierit, sed omnes, uno excepto, natatione evaserint. Quibus mox a quadam Cromuelli turma equestri captis, sed postea charo dimissis, Antonius litteris et mandatis salo perditis ad suos remeavit. Eugenio ergo jam mortuo, Clogherensis in exercitus Ultoniensis Imperatorem ascitus ei denuo eandem legationem decrevit, datis Atlonia 12 Aprilis 1650 cum ipso ad Archiepiscopum Firmanum litteris, quibus rogavit ut Antonio, cuius pectori omnia crediderat, et quem virum fidelissimum esse testatus est, *plena fides* haberetur. Appulus in Galliam Antonius haud ita diu post audivit exercitum Ultonensem haereticis in praelio hac aestate (sicut perstrinximus) succubuisse. Et sic legatio illa ad nihilum recidit, jam extinctis, captis, vel dissipatis qui eum legaverant.

(77) Invenio aliam decretam fuisse legationem D. Roberto Fitz-Mauritio, nobilissimi et ter Catholici Lixnaviae Baronis Thomae Fitz-Mauritii filio, de quo Pater Joannes Poncius ad Archiepiscopum Firmanum 8 Martii hoc anno Parisiis in Italiam scribens : " Venit (inquit Italice) in hanc urbem ex Ibernia Chiliarchus Fitz-Mauritius, qui ut in Reipublicae Venetae obsequium milites conscriberet, in Ibernam missus, Illustrissimae Dominationi vestrae commendatus et Kilkenniae in carcerem conjectus fuerat ; unde ad D. Eugenium fugit. Cum quo usque ad ejus mortem remansit. Eum | ego non vidi, sed Marchio Vigorniensis, cui dixit se venisse ut Regem adiret cum litteris in Ormonium datis a multis primoribus, et potissimum a legato generali, O Ferallo, nec non a Purcello antea semper Ormonista. Verum certus sum nihil effecturas." Haec Poncius. Qui hic mentitus non est. Nam et haec legatio frustra fuit, Rege pene neminem in Ormonium audiente.

2050
v

2051

(78) Diximus Scotos anno praeterito missis litteris et legatis

egisse cum Rege Carolo 2º de certis conditionibus, quibus, nec aliter, ei se plene submitterent. Quarum una fuit ut pacem cum Iberniae Catholicis initam rescinderet, ipsosque tanquam perduelles proscriveret. Ille vero toto anno praeterito legem illam a Scotis petitam repudiavit. Quinimo hoc anno ex Jersia Insula, in quam ex Gallia anno superiori se receperat, dedit ad Ormonium in Iberniam litteras Anglicanas, quas sicut mihi traditae sunt Latine verto, ut ipsum etiam hoc anno in eadem sententia aliquandiu perstisset liqueat.

"Fidelissime.

(79) "Mature perpendentes praesentem rerum nostrarum in Ibernia statum, judicamus ad servandam istic authoritatem nostram necessarium esse, non modo ut ad te oportunas suppeditias transmittamus, &c., sed etiam ut nullum non moveamus lapidem, quo perduellum Angliae vires ab aggrediendo Regno isto divertamus. In quem finem decrevimus, moti quorundam ad nos legatione eodem spectante in pacem cum nostris Scotiae subditis consentire, et nationem illam omnibus justis et honorabilibus | conditionibus impertire, quibus judicatur jure gratitudinis ad suam nobis fidem astringendam fore, ut hoc vere cum haud mediocri exercitu in Angliam moveat. Quod consilium si ad exitum perduxerimus, eo medio et remedio, amicorumque apud Angliam accretione (sicut speramus) fiet, ut rebellibus apud se satis superque laborem exhibeamus, unaque isti Regno se muniendi et praesidiorum hactenus perditorum non nulla recuperandi opportunitatem excitemus. Quia vero causarum, quibus ad pacem et concordiam cum dictis nostris subditis ineundam impellimur, haud ultima est Iberniae atque omnium nostrorum istic subditorum praeservatio, hinc est quod aequum ducamus te certiorum reddere, volumusque pariter ut nostro nomine omnes nostros in isto Regno Catholicos Romanos de eadem re securos efficias, nos scilicet neque in pangenda cum Scotis concordia jam dicta, neque ulla alia occasione, quaecumque demum illa sit, in rem ullam consensuros, quae paci cum ipsis contractae detrimentum pariat, quinimo nobis esse decretum adimplere atque executioni mandare omnem gratiam et favorem ipsis a nobis vel factum vel promissum, idque juxta plenam extensionem benevolentiae, qua semper prosecuti sumus nationem istam, cuius in nos fidem et cordis propensionem, ut novis experimentis compertam videmus, ita operam dabimus ut eorum immunitates potius ampliemus, quam ut in minimo eas gradu diminuamus aut

revocemus. Et sic tibi salutem plurimam dicimus etc." Haec Rex 13 Januarii 1650. |

(80) Ormonius habita cum aliquot Regni Praelatis et Commissariis fiduciariis ad mensem Aprilim consultatione, Vicecomitem Taaffum ad Regem ex Ibernia allegavit. Taaffus autem ut in Galliam trajecit, Regem jam in Scotiam transmisso reperit. Quo viso quid egerit, et quid in mandatis habuerit, ex sua ad Regem epistola sequente, quam Parisiis Anglice scripsit, melius didiceris :

"Placeat tuae Majestati.

(81) "Junii praeteriti 29 die ex Ibernia solvi, allegatus a D. Prorege ad tuam Majestatem, ut tibi referrem tam praesentem ejusdem Regni conditionem, quam pactas a conclusa pace transactiones. In quem finem amplis monitis atque aliis chartis munitus fui. Verum S. Maclovii, ubi terra potitus sum, auditio Majestatem tuam in Scotiam trajecisse, in Jerseam Insulam me recepi, sperans fore ut reperirem Ducem Eboracensem munitum potestate faciendi aliquod responsum ad ea, quae in mandatis habui. Illa autem deficiente, huc veni facturus quicquid Regina (Angliae) juberet. Quae reseratis, quas habui, litteris, haud aliter meis votis respondere potest quam modum, quo D. Prorex se gesserat, approbando, et cupiendo ut sibi suppeteret unde magnas rei numariae, armorum et apparatus bellici suppleret indigentias, quibus fit ut ille ad bellum viriliter prosequendum idoneus non sit, et quae nisi tempestive succurratur, suam Excellentiam omnesque alias a tua Majestate stantes ad summum discrimen redigent, cum desit unde exercitum sustentemus, aut urbes nostras defendamus. Antequam ex Ibernia navigavi, vires, quas Episcopus Clogherensis ducebant, profligatae fuerant, et tunc D. Prorex cum civitate Limericensi de admittendo praesidio agebat. Quod quorundam civium perversitate tunc recusatum fuit. Si autem exinde acquieverint, ille decreverat non declinare, sed operam dare ut tuae Majestatis causam secundaret, donec a te audiisset. Porro tuae Majestati constanter affirmo modo, quae expectat, auxilia paria atque opportuna reciperet, multa ex iis, quae perdita sunt, recuperanda, cum penes ipsum sit tota Conaciae Provincia. In Momonia bini Clarae et Kierriae Comitatus, Waterfordiae et Limerici civitates, aliaque multa Castella praesidiis munita. In Lagenia Duncaniae propugnaculum, Cartuca, Athia, Wicloae et Wexfordiae Comitatuum pars magna, oppidum Atloniae, Baltimora, Finaha, totus Midiae Occidentalis

2052

2052

v

Comitatus, et pars Comitatus Louthiensis. In Ultonia praesidium Carolomontanum, et diversa alia Castella non spernenda. Quod ad homines spectat, non desunt, idque numeris ad debellandam majorem nationem idoneis. Hoc totum parvi refert, nisi cum festinatione subveniatur. Haec status Iberniae valde imperfecta est relatio, quam chartae committere nolle, nisi omnes litterae et acta typis mandata me docerent, eosque, qui antea tuae Majestati, quo ego modo, obsequium praesterant, a Scotis esse proscriptos, et ita accessu interclusos ut suam tibi fidelitatem more solito exprimere nequeant. Quod ab assistendo personaliter tuae Majestati me deterret, ne id, 2053 praestando tibi | obsequio praejudicaret, cujus progressum meis semper maximis quibusque commodis praetuli. Porro super ea re assumo mihi libertatem proferendi meam opinionem, nempe futurum ut si Scotti in ea sententia persistant, omnes Iberniae Catholici vel se Independentibus submittant, vel sibi provideant transeundo ad externi Principis obsequium, ad quod sollicitati fuere et sollicitantur. Cujus admissionem praesumo a tua Majestate haud aegre ferendam, si consenseris ut reddantur inhabiles ad exhibendum tibi famulatum, imo ad vivendum sub tua protectione. Haec inexpectata nuncia me in Hollandia sistent, donec eo honore dignatus fvero ut tuae Majestatis jussa recipiam. Caeterum, si ego et alii ex mea religione omnes accessu ad tuam Majestatem prohibeamur, cupio, et ex animo Deum rogo, ut te Scotti absque ope nostra in tua dominia restituant. Licet chartae meae multa ad tuae Majestatis notitiam necessaria contineant, eas tamen nemini credere audeo, donec quae tua voluntas sit, didicerit
Parisiis,

16 Augusti 1650.

Tuae Majestatis obsequentissimus et fidelissimus
subditus

Taaffus."

(82) Taaffus Iberniae statum, qualem tunc absens esse credebat, non qualis re ipsa erat, depinxit, ignorans haereticos, ex quo trajecerat, in Ibernia ulteriore fecisse progressum, quem post scriptam hanc didicit, et nos partim retulimus, partim referemus. Nemo autem | inficias iverit quin hic nedum 2053 v Ormonii, fidei Catholicae, patriae, et patriotarum causam juxta spem in se positam ita apud Regem generose egerit, ut tamen debitum Principi nec morem nec amorem violaverit, sed eum sui officii humiliter, prudenter et viriliter monuerit. Dedit etiam

Taaffus ad Archiducem Leopoldum Austriacum tunc sub Rege Catholico, Philippo 4, Belgii Gubernatorem, epistolam Anglicam, quam Latine verto.

"Suae Celsitudini Archiduci Leopoldo.

"Tuae Celsitudini placeat.

(83) " Me Iberniae Prorex et Catholici ad Dominum meum, Magnae Britanniae Regem, allegarunt, ut non solum ejusdem Regni statum ei referrem, sed etiam ea subsidia, quae suo apud amicos et necessarios interventu procurare posset, obtinerem. Verum illo ante meum appulsum in Scotiam profecto, in hoc summo discrimine, quo patria nostra et in ea religio Catholica naufragatur, nescio ad quem cum tanta subsidiorum expectatione potius recurrere debeam, quam ad tuam Celsitudinem, cujus piae et generosae inclinationes toti mundo satis notae me invitant ad destinandum hunc virum nobilem, Briminghamum, legionis *Majorem* ad tuam Celsitudinem cum epistola ab Eminentissimo Iberniae Clero, et non nullis, quae ipse propono. Humillime rogo tuam Celsitudinem ut a latore proponenda tuo favore et vera assistentia prosequaris, cum negotium tuo zelo et | animi magnitudine dignum sit, quo aliarum rerum a te praeclare gestarum splendori addes religionis Catholicae in Regno, in quo a mille ducentisque annis absque intermissione floruit, conservandae gloriam, qua sinceram tibi conciliabis affectionem et fiduciam universae illius nationis, quae tibi hoc nomine aeternum devinciat et nominatim
Parisiis 19 Septembbris 1650.

Tuae Celsitudinis humillimus et fidelissimus servus.

Taaffus."

(84) Epistolam a non nullis Iberniae Praelatis Archiduci scriptam, cuius hic mentionem fieri vides, non insero, quia mihi non traditam. Addam autem aliam ab eodem Clero ad D. Patricium O Muledum, natione Ibernum, Archiducis Cubicularium, Latine exaratam.

*"Illustrissimo Domino D. Patricio O Muledy Serenissimi
Belgarum Principis Cubiculario.*

"Illustrissime Domine.

(85) " Singularis ac naturalis vester in Catholicam nostram causam et patriam affectus plurimis occasionibus abunde nobis perspectus est et probatus. Jam vero, si unquam, omnem industriam et laborem adhibere debet Illustrissima Dominatio vestra, ut religione Catholicae ac Dei Ecclesiae in Ibernia perclitanti succurrit ac subveniat. Non ignorat quantum pro

Ecclesia Dei egerint ac passi sint Iberniae Catholici, quantum sanguinis profuderint, quae damna et jacturas sustinuerint? Sed nunc tentatis omnibus pro Regni incolumitate remediis ac viis, in extremum res adducta est discrimen. Quippe Parliamentarii ex Anglia advecti collectis omnibus viribus |
 2054 v Catholicos aggrediuntur, incolas in ore gladii trucidant, tempa, altaria, sacra omnia indignissime profanant ac destruunt, et ecclesiasticas personas ad exilia, supplicia, mortem appetunt ac persequuntur. Miserrimum esset omnia speciatim exponere, quomodo ecclesiastici rebus omnibus ad vitae sustentationem necessariis destituti, ut vitae consulant, sylvas, paludes, solitudines oberrare coguntur. Potens tamen est Deus haec mala impedire ac sistere, et speramus nos cum divino auxilio Sanctorum Insulam, fidei Catholicae tenacissimam, ab illis vindicandam, si a Principibus Christianis opportuna subministrantur subsidia. Quibus in rebus promovendis non dubitamus de Illustrissimae Dominationis vestrae affectu et assistentia. Rogamus itaque Illustrissimam Dominationem vestram et obtestamur ut omnem lapidem moveat, omnem conatum et media adhibeat, tam in Germania apud Caesaream Majestatem, et Principes, viros, ac imperii electores, quam in Hispania ac Belgio, ut tempestivissimo nobis adsint subsidio, nec permittant fidem Catholicam, quae nunquam hactenus in Ibernia extincta est, ipsorum temporibus aboleri. Com mendamus praeterea Illustrissimae Dominationi vestrae, ut nostrates tam saeculares quam ecclesiasticos in illis Regnis socios unanimes faciat, sibique adjungat, et ad hoc pium opus excitet. Quod si fiat, speramus haec mala impedienda ac avertenda, et fore ut Ibernia his angustiis libera valeat gratitudinem suam rependere, ac beneficia compensare. Harum lator, Illustrissimus Dominus Theobaldus Taaffe, Vicecomes, nomine Regni ad publica illius negotia tractanda in Germanicas et Belgicas provincias mittitur. Rogamus Illustrissimam Dominationem vestram ut in nostris negotiis indubitatam adhibeat illi fidem, et suam in omnibus exhibeat assistentiam.

Atloniae 26 Aprilis 1650.

Fr. Thomas Dubliniensis. Thomas Cassiliensis.
 Joannes Archiepiscopus Tuamensis. Emerus
 Clogherensis Episcopus. Edmundus Limeri-
 censis Episcopus." |

2055 (86) Ex his Praelatorum litteris liquet Taaffum ad exteris quoque nationes fuisse allegatum ut subsidia procuraret. Porro

annexa quoque fuit alia epistola ab Episcopo Clogherensi eidem D. Patricio O Muledio scripta, quam non vidi, ipseque Taaffus ad Patricium dedit litteras non alio spectantes, quam ut praefatum Briminghamum et commissum illi negotium sua apud Archiducem fide secundaret. Verum Briminghamus cum his omnibus litteris ex Gallia in Flandriam transiens incidit in praedones, vel certe in alios rerum suarum exploratores, qui, calente tunc inter Franciam et Flandriam bello, eum forsan crediderunt esse exploratorem Archiduci, Flandriae Gubernatori, obsequentem in Galli perniciem. Nec dubitandum quin litterae Anglicanae, quas (credo) non intelligebant, suspicionem auxerint. Utut fuerit, litteras reservarunt quas postea nescio quo facto in eo amborum hostium confinio Carolopolim missas Capucinorum Ibernorum, qui in urbe illa secus Mosam, fluvium, sita Conventum habent, Guardianus, P. David Kildariensis ex Geraldinorum familia ad Reginam Angliae Parisios fideliter transmisit. Quis autem deinde fuerit negotii exitus me latet. Ex Taaffi tamen epistola ad Regem Angliae scripta collendum est ipsi decretum fuisse Parisiis in Hollandiam transire, ibique ex Scotia Regis mandatum expectare. Quod quale fuerit me latet. Id certum est Taaffo haud a Rege Ibernus suppetias fuisse expectandas, tum quod ipse Rex subsidiis suppeditandis non abundaret, et in Angliae rebelles tunc ex Scotia bellum adornaret, tum quod Scotiae Calvinistis persuadentibus pacem cum Ibernis initam edicto publico rescidisset decima die post praefatas litteras ad eum a Taaffo Lutetia Parisiorum exaratas, sicut suo loco fusius videbimus. |

(87) In Iberniam pedem refebo, ubi Catholicorum rebus 2055
infausto omni succendentibus Ormonius a multis in occultae
prodictionis suspicionem et a plerisque in Reipublicae pessime
administratae crimen quotidie magis magisque vocabatur.
Hinc multa in eum accusationis capita ex variis Regni partibus
congerebantur, peneque *unusquisque ad proximum suum stupebat*
dicens, merito haec patimur, quia in Nuncium peccavimus,
ipseque Episcopus Fernensis (sicut litterae a P. Joanne Poncio
hoc anno 10 Julii Parisiis scriptae habent) "*confessus est, imo
publice pro suggestu Limerici praedicavit se fuisse deceptum in
iis, quae contra Nuncii voluntatem egerit. Agnoscit quoque se
hanc ob causam ante alios suam ecclesiam perdidisse.*" Quinetiam
Episcopus Limericensis, licet, quoad ea quae in censorum
controversia gesta essent, semper in Nuncium perfracte steterit,
alia tamen in ejus autoritatem patrata improbavit, et hac

v

Is. 13.

aestate D. Joanni Creagho, S. Theologiae Doctori Iberno Limericensi Romam Anglice scribens: "Timeo (inquit) ne nostra perjuria et juramenta falsa, nec non detestabilis machinatio ad procurandam Illustrissimi D. Nuncii ex Regno discessionem adhibita nostris infortuniis magna ex parte originem praebuerint, factumque optimum esset ut Sua Sanctitatis benedictio obtineretur. Perjuria enim fuere generalia; nec dubitandum quin inter resiliendum a faedere, si non ambae partes, certe alterutra peccaverit, et licet non nisi pauci Illustrissimi D. Nuncii ejectionem machinati fuerint, nihilominus totius Regni autoritatem facinori praetenderunt. Quare cum jam omnes uniti sint, suosque defectus agnoscant, maxime necessarium est ut Sua Sanctitas ad eos remissionis Breve transmittat, speroque exinde fore ut Dei indignatio post | tam magnam et gravem paenam cesseret." Haec ille Limerico 9 Junii 1650.

2056

(88) Circa quod ejus epistolium non ulla notanda sunt. 1°. Eum fateri quod perjuria fuere generalia, nec dubitare quin inter resiliendum a faedere Catholico, si non ambae partes, certe alterutra peccaverit. Atqui mihi certum videtur Limericensem aliosque Ormonistas faedus Catholicum dissuisse, et ad haereticos turpissime descivisse, Nuncium vero atque ejus partes constantissime, generosissime, et prudentissime operam dedisse ut ad faederis Catholici et normam et juramentum omnia eaque suapte natura aliunde sancta et justa fierent.

(89) 2°. Eum timere ne ea perjuria et *detestabilis machinatio ad procurandam Illustrissimi D. Nuncii ex Regno discessionem adhibita* Iberniae infortuniis originem praebuerint. Atqui mihi certissimum videtur *detestabilem illam machinationem* adhibitam fuisse, non solum ab illis paucis, nempe a Richardo Blako, qui per epistolam acatholicam 19 Octobris 1648 pseudo-Comitorum nomine Nuncio scriptam praescripsit ut discederet, aliquis aliquot Ormonistis una cum Richardo calumniarum Nuncio objectarum, et tunc ipsi ex parte significatarum architectis, sed ab universa Ormonistarum factione, et ante omnes (horresco referens) a Limericensi aliquis Praelatis et ecclesiasticis Nuncio adversatis. Nam sive nefaria illa epistola solummodo ab illis paucis (quod Limericensis atque alii Praelati Ormonici, ut tantum crimen a se amolirentur, et illos paucos refunderent, testati sunt) sive ab ipsis Ormonistarum pseudo-Comitiis (quod pseudo-Comitia Loghreaghensis hoc anno 1650 exeunte celebrata affirmasse videbimus) | missa fuerit, non

2056

v

illae tantum chartae, quas Nuncius sprevisset, nec soli illi pauci, qui ne uni quidem copiarum a Nuncio stantium legioni praevaluissent, sed universa Ormonistarum factio haereticis coalita aperto Marte ea anno 1648 et ad ineuntem annum 1649 multifariam multisque modis egerat, quae patrasse, Nuncium deturbasse erat. Laicorum autem Ormonistarum factio nunquam praevaluisset, nisi Limericensis, aliquie Nuncio adversati Praelati et ecclesiastici multititudinem facti et juris quaestionum rudem seducentes eorum machinationes tanquam regimen aequum et sincerum approbassent, et magnis lateribus sustinuissent, licet postea tragaedia finita, et ipso rerum eventu Nuncium prudentissime se gessisse clamante, operam dederint ut *detestabilis illa machinatio ad procurandam Nuncii ex Regno discessionem adhibita* non sibi nec universae factioni Ormonicae, sed paucis jam dictis imputaretur. 3°. Hoc epistolium ostendere Limericensis perplexitatem atque animi turbationem multipliciter intricatam et artificiosam. Nam agnoscit malorum Iberniae causam, nempe eorum, qui a faedere Catholico desciverant, *perjuria et detestabilem illam machinationem ad procurandam Nuncii ex Regno discessionem adhibitam*, nec tamen culpam agnoscit, nisi modo idoneo *ad excusandas excusationes in peccatis*, et tamen a Sua Sanctitate remissionis Breve procurandum suadet. *Vult et non vult piger*. Quam melius suaे saluti aeternae Limericensis et horum tum peste, fame | gladioque tanquam Dei sententia in ipsos lata consternatorum ac titubantium alii consoluissent, si vel tunc in cinere et cilicio paenitentiam egissent, et culpas ingenue ac sincere agnovissent, instar illorum, de quibus altera lugubri tragaedia finita resipiscitibus Evangelista: “Videns (inquit) Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.” 4°. Limericensem hac epistola loquentem non spirare quidem usquequa paenitentem, sed ita redolere anxiū, ancipitem, et a Regno Dei, perfecta paenitentia, non longe distantem, ut sapiat Limericensem humiliorem se ipso ad annum 1648 et ad ineuntem annum 1649 in Nuncium actis et actionibus debacchato intolerabili arrogantia et temeritate litteris ejus 18 Septembris 1648 Limerico ad Nuncium datis testata his verbis: “Quod ad me (inquit) licet receperim epistolam Dominationis vestrae Illustrissimae prohibentem meum accessum ad Assembleam hac vice, quia scio certo plus

2057

Luc. 23.

me boni efficere posse praesentia quam absentia, si alii Episcopi futuri sint, non deero, quantum in me erit, praeservationi Regni et religionis. Et si quid saeculares in contrarium moliantur, faciam publicam declarationem contra ipsorum facta." Haec ille. Qui tamen fidem suam non liberavit. Nam (ut alia plurima taceam, et solo *argumento ad hominem utar*) nonne illi *pauci*, in quos solos totam culpam refundere contatur, mense | proxime sequenti praefatam epistolam 19 Octobris

2057

v

1648 datam, annexaque calumniarum capita, quibus ipse *detestabilem machinationem ad procurandam Nuncii ex Regno discessionem adhibitam* fuisse vult, Comitiorum imo Regni nomine Nuncio ita missa fuere, ut tamen Limericensis non fecerit *publicam declarationem contra ipsorum facta*, ita Regno tunc nota ut dubitandum non sit quin ea intervenisse Limericensis, aliique Praelati Ormonio studentes, saltem paulo postquam missa essent, probe sciverint. 5°. Ipsum Limericensem hac sua epistola ingenue fateri *machinationem ad procurandam Nuncii ex Regno discessionem adhibitam* fuisse *detestabilem*, idque non solum ab ipso, sed etiam pluribus aliis ambarum partium Praelatis per communem epistolam ex Congregatione Clonmacnosiensi 12 Decembris 1649 Innocentio X^{mo} scriptam in confessu poni. *Detestabilem* autem illam *machinationem*, non in solis illis nefariis actis mense Octobri 1648 Nuncio missis, sed longe plus induciarum cum Insequinnio antea eodem anno contractarum conjuratione positam fuisse constat. Quare ex ipsius Limericensis atque aliorum Praelatorum etiam Nuncio adversatorum verbis et actis sequitur illas inducias fuisse *detestabilem machinationem ad procurandam Nuncii ex Regno discessionem adhibitam*. Et haec quidem sunt, quae circa illud Limericensis epistolium notanda habui.

2058

(90) Itaque querimoniis et suspicionibus in Ormonium et conscientiae stimulis ob ea, quae in Nuncium protracta erant, Regnique aerumnis citra finem stagnantibus, Clerus demum 29 Julii 1650 Ormonio litteris significarunt se ex quatuor Archiepiscoporum consensu Jacobopoli, | Anglice *Jamestowne*, in Conacia Congregationem Ecclesiasticam celebraturos, ut statuerent quicquid ad bonum publicum expedire judicarent, eique proposuerunt ut, si vellet, unum vel plures ad Congregationem destinaret, qui ejus nomine in Regni conservationem postulata interponerent. 6° autem Augusti sedere caeperunt, et innumeris, quae ex Regni parte Ormonio objiciebantur, mature perpensis, Congregatio 12 Augusti in

Ormonium decrevit, quae et alii Praelati tunc absentes septima deinde die Galviae confirmarunt, sedentes ibidem cum aliquot Praelatis a Congregatione Jacobopolitana tunc soluta electis in Commissarios ad eandem causam prosequendam. Acta illa hic sequuntur.

"Declaratio Archiepiscoporum, Episcoporum, et aliorum Praelatorum et Dignitariorum Saecularis et Regularis Cleri Regni Iberniae contra continuationem Regiae authoritatis in persona Marchionis Ormoniae, Proregis Regni Iberniae, ob malum subditorum gubernium, infortunatum Regii exercitus ductum, et violationem articulorum pacis; facta in oppido Jacobopolitano in Conventu FF. Minorum 12 Augusti 1650.

(91) "Catholicus Iberniae populus anno salutis 1641 omnino adductus est ad arma suscipienda pro Catholicæ religionis, vitae, et justae libertatis suae defensione. | Parlamentum enim Angliae statuerat et decreverat Catholicæ tunc in Ibernia religionem penitus extinguere, et gentem ipsam funditus everttere, conscripto ad crudelis sui illius decreti et intentionis executionem potenti et numero ex exercitu. Postea idem Catholicus Iberniae populus die 17 Januarii anno 1649 invit et sancivit pacem cum Excellentissimo D. Jacobo, Marchione Ormoniae, Serenissimi Regis, vel certe Reginae et Serenissimi Principis Walliae, qui nunc est Carolus 2^{us} Rex, Commissario; quo facto Catholicæ Iberniae universo orbi notam et abunde manifestam fecerunt sinceram suam erga Regiam autoritatem fidelitatem.

2058

v

(92) "Hanc porro pacem seu pacificationem tunc temporis inierunt et amplexi sunt Confaederati Catholicæ, cum Serenissimus Rex ab Angliae Parliamentariis carcere clausus teneretur; cum nec ille, nec Regina, nec Serenissimus Walliae Princeps illius esset conditionis aut potestatis, ut in Confaederatos quidquam subsidii aut auxilii conferre aut suppeditare possent; cumque praeterea iidem Catholicæ facile convenire et transigere possent cum Parlamento Angliae aequæ bonis vel melioribus ac pinguioribus conventionibus pro religione, vita, libertate, bonis ac terris suis, quam per dictam pacem fuerint obtentæ vel concessæ; et ita se ab omni periculo belli et potentiae Anglicanæ invasione facile liberare: cum adhuc tamen, non obstante sua illa cum Serenissimo Rege pace facta, pugnandum illis esset

contra suos et Regis in tribus Regnis hostes. Quod utrum non sit evidens et clarum illorum in Regem fidelitatis argumentum, judicet orbis universus? |

2059 (93) " Pace hunc in modum contracta, Confæderati Catholici sincere et alacriter submiserunt se Regiae authoritati in persona dicti Marchionis Ormoniae, Iberniae Proregis, et subministrarunt illi summam pecuniae vim (nimirum pene medium millionem librarum Anglicarum), et variam atque amplam frumenti, tormentorum bellicorum, pulveris nitrati, fomitis, reliquie commeatus bellici, et rerum omnium ad bellum spectantium pluribus in locis ac praesidiis copiam et numerum. Postea tamen idem Prorex spe et expectatione, quam de illius fidelitate, generositate, et egregiis ad regendum dotibus Regnum conceperat, omnes fecellit, et author factus est perdendi pene totius Regni Deo, Regi, et incolis. Cui rei initium dedit pacem in multis partibus violando, uti clare demonstrari, et toti orbi probari potest.

(94) " 1. Imprimis postquam Catholici subministrassent suae Excellentiae praedictam pecuniae vim, quae sufficeret ad cogendum et sustentandum Catholicum exercitum (qui ex articulis pacis constare debuit quindecim millibus peditum et bis mille quingentisque equitibus, et institutus fuit pro Catholicæ religionis, regionum jurium, et incolarum conservatione) sua Excellentia ultra et praeter illam exercitus partem, quae suberat imperio Baronis Insequinniae, contulit in Protestantes, Colonellorum et aliorum in exercitu imperiorum patentes litteras, et Regni substantiam ac opes effudit in illos, qui plerique postea vel nos perdidérunt, vel prodiderunt, vel certe turpiter a nobis defecerunt.

2059 (95) " 2°. Praesidia, arces, et civitates, et Momoniae maritimi portus, nimirum Corcagia, Yeoghellia, Kinsalia, &c., fuerunt v commissa et tradita viris perfidis, et illis de exercitu Insequinni, quibus minime fidendum esset, utpote qui illa loca hosti prodiderunt. Unde Regia potestas et jus toto Regno in summum discrimen adductum est. Hoc scilicet præclarum obsequium Regiae Majestati præstiterunt illi, postquam opes et substantiam subditorum Catholicorum in Momonia omnino absumpsissent et secum abstulissent. Et hic notandum est, Excellentissimum D. Proregem in pacis conclusione noluisse fidelibus Catholicis subditis Corcagiae, Yeoghelliae, Kinsaliae, aliorumque locorum civibus ac incolis facere viam et facultatem redeundi ad suas mansiones et domicilia.

(96) " 3°. Catholici duces juxta pacis articulos a Commissariis, quibus Confaederati Catholici pacis exequendae fidem et curam crediderant, praesentati et commendati, et hac de causa per suae Excellentiae mandatum in exercitu imperium gerentes (uti Colonellus Patricius Purcell, qui in exercitu fuit Major Generalis, et Colonellus Petrus FitzGerald, alias MacThomas, qui equitum Commissarius) fuerunt potestate et imperio amoti sine consensu Commissariorum, nulla data per ipsos causa, nulla eorum culpa. Et loca illa, nimirum *Majoris* Generalis in Danielem O Nellum, armigerum *Protestantem*, et Commissarii equitum in Guillelum Vaghan, Equitem auratum, similiter *Protestantem*, collata sunt. Occiso vero dicto Guillelmo, idem locus Thomae Armstrong, Equiti aurato *Protestanti*, concessus est. |

(97) " 4°. Judicatura, seu legalis ministranda justitiae via ac tribunal in ipsis pacis articulis promissum, nequaquam praestitum aut concessum est, sed omnes processus et causarum actiones tantum per petitiones (ut vocant) chartaceas terminabantur. Unde privati scribae, secretarii, aliqui corrupti ministri subito ditabantur. Subditi vastabantur et absumentabantur, nulla justitia servata aut exhibita.

(98) " 5°. Navigatio, quae maximum Regni fulcrum et adminiculum fuerat, omnino est suppressa. Siquidem sua Excellentia exanimabat illos omnes, qui se suaque ultiro ad navigandum exponebant, navigationem sustentabant, et navium essent domini, qualis fuit Capitaneus Antonius aliique; et justo plus favebat Hollandis et aliis exteris, in quorum gratiam revocabat judicia legaliter prius lata, et sententias ante suam in Regno autoritatem definitive datas. Qua maritimorum negotiorum pressura, ac neglectu providendi et stabiendi justi et recti tribunalis *Admiralli* factum est ut vix jam sit ulla reliqua in Ibernia navis, quae vel litteras a nobis ad suam Majestatem aut quemvis Christianum Principem ferre posset.

(99) " 6°. Cathedralis Ecclesia Cluanensis, quam possidebamus cum pax concluderetur, per Baronem de Insequin violenter nobis sublata est contra pacis articulos. Et quamvis querela ac expostulatio hac de re fuerit facta, nulla tamen justitia aut satisfactio est praestita.

(100) " 7°. Oblationes, sepulturae, et libri (ut vocant) pecuniae seu stipendia, aliaeque obventiones ad Clerum Catholicum | in Comitatibus Corcagiae, Waterfordiae, et Kierriae spectantes, per ministros haereticos fuerunt usurpatae et detentae, ne

2060

2060

v

venirent in manus Catholicorum sacerdotum et parochorum, idque nulla hujus rei restitutione aut remedio dato.

(101) "8°. Catholici subditi in Momonia vivebant quasi in servitute sub Praeside, Barone Insequinniae, cum iidem illi essent eorum judices, qui nuper hostes; nec ullus Catholicus, quamvis nobilis ac generosus, ad tribunal ac jus dicendum admissus fuerit.

(102) "9°. Regimen exercitus fuit improvidum, incircumspectum, et infaeliciter ominosum. Nihil toto orbe Christiano accidere visum magis pudendum, quam infortunium illud nostri exercitus apud Rathminiam prope Dubliniam. Ibi sua Excellentia (sicut viris magnae experientiae et in exterarum regionum militia probatis, qui omnia lustrarunt, visum) tenebat potius quasi nundinas mercimoniorum et causarum tribunal, ludorum, compotationum et voluptatum tabernam, quam vere ordinata militum castra aut aciem. Vadipontum vi, impetu, et irruptione captum est, copioso inibi nobilium et veteranorum militum, qui revera fuérunt Lageniensis militiae flos, sanguine crudeliter fuso. Wexfordia perdita maxime ob imperitiam Gubernatoris, cui illa commissa fuit, juvenis quidem vani, et male consulti militis. Rossipontum suae Excellentiae mandato, nulla facta hosti resistantia, traditum fuit per Colonellum Lucam Taaffum, cum tamen in oppido secum haberet pro praesidio pene bis mille quingentos milites ad pugnam et certamen ardentes. Postea hostis instravit pontem magno illi, quod | Rossipontum alluit, flumini superstructum (res omnibus miraculi loco habita, nulli, quare id factum vel permisum, prorsus intellecta) nulla data resistantia aut oppositione; cum interim noster exercitus resideret et staret intra septem aut octo ad illum locum milliaria, et ducenti sclopetarii in Rosperkim ad alteram fluminis ripam tempestive collocati impediissent stupendi illius pontis structuram, ac hostes loco et oppido ejecissent. Carrigiam prodiderunt, qui inibi erant, praesidiarii Protestantes. Nostro vero exercitu ad expugnandum hoc oppidum postea ducto, jussi sunt milites pugnare contra muros et armatos homines, ipsi sine tormentis, scalis, ligonibus, aliisque instrumentis ad expugnandum oppidum necessariis. Unde ex illis supra quingentos strenue dum pugnarent occubuerunt, cum tamen prope Thomapolim pedites nostri, duo ad unum ex hostibus, veterani ac probati milites pugnae omnino avidi, favente illis multum contra hostem loci situ, a pugnando fuerint prohibiti. Unde miles et populus multum fuit exanim-

atus. Postea hostis quasi inundatione facta invasit et occupavit Callaniam, Fidardiam, Cassiliam, Killociam, et alias *Corporationes* et oppida intra Provincias Lageniae et Momoniae sita, et patriam circa illa loca totam fecit sibi tributariam. Capta deinde Laghlinia et Kilkennia, postea Clonmellia, non tamen sine oppositione et hostium ad duo amplius millia clade, facta saepius ad hoc a generoso, qui in praesidio erat, ac strenuo Catholico milite excursione. Tecrohania et Catherlagum, | duo fortissima Lageniae propugnacula, expugnata sunt et dedita, et Arx, Tecrohania (ut de aliis in praesenti nihil dicatur) ex Proregis jussione tradita est. Waterfordia undique obsessa in misera stat conditione. Arx Duncania, Regni clavis, nihil subsidii accepit jam inde a primo die superioris Decembris, unde quasi derelicta est, ut hosti tradatur.

2061
v

(103) "10°. Praelati, post numerosam illam Congregationem celebratam apud Clonmacnosiam (ubi emiserunt amplam suam declarationem postea typis mandatam pro servitio Regis promovendo), et post plurimos alios labores, conventus et consultationes, in quibus suam abunde expresserunt integritatem et sedulitatem, nequaquam tamen a sua Excellentia judicati sunt suam, ut par erat, impendisse operam in promovendo Regis servitio, sed potius in suspicionem et culpam vocati, ut constat ex litteris suae Excellentiae ad Praelatos in oppido Jacobopolitano congregatos secunda die Augusti datis, et audita sunt, quae excederunt illi, verba quoad quorundam Praelatorum personas periculosa.

(104) "11°. Sua Excellentia exposuit Regi quasdam hujus Regni partes (quae tamen omnino id a se commissum negant) debitam minime praestare obedientiam, et hoc modo obtinuit a Rege litteras, quibus expressum fuit ut, si talis inobedientia ulterius augeretur, suam ipse Prorex personam et Regiam autoritatem subtraheret, et populum beneficio pacis vacuum ac destitutum relinqueret. Hoc scilicet praemium | ex invidia erga Catholicam et fidissimam nationem a sua Excellentia repensum fuit pro nostra fidelitate et obedientia, quam bonorum jactura satis probavimus, et sanguinis profusione signavimus.

2062

(105) "12°. Sua Excellentia et Baro Insequinniae, dum Catholicorum essent hostes, fuerunt valde excitati, et multa adversum nos nimis inhumaniter patrarunt, ac innocentium et miserorum sacerdotum atque aliorum ecclesiasticorum sanguinem fuderunt. Verum hac pace conclusa, minime fuere seduli ac nervosi. Siquidem plurimorum mensium spatio

vixerunt in Conacia et Momonia in locis, quibus nullum periculum immineret, nullusque erat hostis. Ubi dies suos ducebant (prout a pluribus notatum) in Iudis, voluptatibus, jocis, et epulis; dum alias Regni partes crudeliter et sedulo invaderet et opprimeret hostis, quo factum ut vulgo existimatuerit ipsos non multum curasse aut doluisse, quod Regnum sua Majestati eriperetur et perderetur.

(106) "13°. Sua Excellentia, rebus prospere succedentibus, oppida et praesidia capta Gubernatoribus Protestantibus, non vero Catholicis, commisit et credidit, nimirum Vadipontum, Dundalkam, Trimmiam, et alia loca. Qua illius de Catholicis diffidentia, aliisque actionibus ac indiciis factum est, ut exercitus Catholicus animum ad pugnandum abjecerit, et ab illius imperio aversus fuerit. Praeterea multum timebant Catholici milites ne futurum esset ut Catholicci subditi et religio Orthodoxa in pristinam redigeretur servitutem, | si hostibus ille praevaluisset, idque ipsum Commissarii, vel certe maxima illorum pars, aliquie in Regno plurimi metuebant.

(107) "14°. Nihil hic dicimus de multis corruptelis et injuriis Regno illatis, quales sunt traditiones Custodiarum (ut vocant) et locorum, in quibus Abbatiam de Tristernagh quadringentas circiter libras annuas pro censu afferentem tradidit secretario, *Lano*, pro quadraginta plus minus libris annuis; et Danieli O Nello aliisque multa talia loca simili concessit conditione in aerarii publici praejudicium.

(108) "15°. Declaramus Catholicis Regni incolis plerasque, de quibus hactenus actum est, pressuras et pacis violationes fuisse oblatas et praesentatas pacis Commissariis ultimo mense Februario, ut tam Clerus quam populus illarum reformationem et emendationem a sua Excellentia obtineret, et subditorum displicentia removeretur; nullam tamen satisfactionem aut emendationis signum post octo jam menses* apparuisse; et mala illa, quae ruinae ansam Regno dederunt, semper stare et manere. Et protestamur universo orbi nos omnem opem ac operam adhibuisse, ut populi timorem et diffidentiam averteremus, nec tamen praevaluissime.

(109) "16°. Praeter allegatas jam injurias et violationem articulorum pacis contra religionem, regium jus, et nationem, nihil apparet nisi desolatio, vastatio, deflagratio, et Regni,

* Gravamina enim mense Decembri 1649 Congregationi Cluanmacnosiensi porrecta fuere.

cujus tres partes nunc hosti factae sunt tributariae, destructio. Civitates, oppida, | et loca munitiora in hostium devenerunt potestatem. Altaria diruta, templa perdita, sacerdotes caesi ac proscripti, sacramenta, sacrificia, ac sacra omnia prophanata sunt et suppressa. Exercitus et magnus militum numerus a Catholicis fuit liberaliter sustentatus, nulla tamen facta hosti resistantia. Qui in hostem pugnarent, examinati sunt, qui Catholicos proderent, animati et promoti. Nullus denique apparet exercitus aut defensio. Unde eo deventum ut desperent incolae recuperare quod est perditum, aut tenere quod necdum perdiderunt, et pro vitae et fortunarum suarum conservatione proni sint ad transigendum cum Parlamento, sibi persuadentes nullam salutem aut incolumentem posse esse ipsis, qui vivunt sub Excellentissimi D. Proregis gubernio, cuius comites sunt sinistrum fatum et infortunium. Quibus malis ut occurratur, et ut Regnum Regiae Majestati et Catholicis suis subditis penitus non perdatur, Nos Archiepiscopi, Episcopi, et alii Praelati et Dignitarii utriusque Cleri in hoc Regno, praemissa matura deliberatione, judicavimus nos in conscientia teneri ad declarandum contra continuationem Regiae autoritatis in persona Marchionis Ormoniae, praemissa prius universo orbi hac protestatione, quod, nisi nos et Regni populus pene universus desperassemus de Regno recuperando sub illius gubernio, nunquam deveniremus ad hanc declarationem.

2063

(110) " Itaque tam nostro quam aliorum Catholicorum Regni nomine, declaramus contra dictum Marchionem | Ormoniae, quippe qui malo suo Regni gubernio, infausto regii exercitus ductu, violatione publicae fidei erga populum, specialiter in multis articulis pacis, reddidit et exhibuit se incapacem continuandi illius magni depositi, quarum omnium injuriarum et mali gubernii reus, tenetur respondere coram sua Majestate. In quem effectum nos cum aliis Regni membris contra illum agemus, sua illi crimina coram sua Majestate objiciendo, et justas illorum paenas exposcendo. Et hisce notum ac manifestum facimus universo populo, illos minime teneri ad obedientiam dicti Marchionis mandatis aut decretis praestandam, sed debere illos, donec Generalia Regni Comitia commode convocari possint, unanimes stare contra comunem hostem pro defensione Catholicae religionis, regiis juribus, libertate, vita, et fortunis suis juxta juramentum associationis; et interim observare atque obedire formae gubernii a Congregatione

2063
v

praescribendae, donec aliter a Comitiis Generalibus statuatur, vel sua Majestas super hoc consulta aliud praescribat.

(111) "Et nos adjunctam excommunicationem eadem, qua haec declaratio, die datam fulminamus in omnes, qui huic nostrae declarationi adversabuntur, aut sese opponent.

(112) "Vos vero, O Christiani et Catholici, luctuosam hanc declarationem, quam afflictæ Iberniae calamitates et infortunia nobis elicuerunt et extorserunt, | lecturi, persuadete vobis et credite nobis bene cognitum esse et perspectum, quod praesens hujus Nationis conditio inclinet magis et vergat ad ruinam et desperationem, quam ad restaurationem et recuperationem.

Nihilominus nitimur magna Dei misericordia, qui potest auferre et a nobis removere gravia irae suae, belli et pestis, indicia, si iniquitatibus abjectis vitam emendaverimus, et tanquam parvuli in sinum divinae misericordiae confugerimus. Itaque sicut clamamus ad caelum, et inde misericordiam rogamus, ita identidem fateamur cum lachrymis et agnoscamus delicta nostra, et cum Isaia propheta ingemiscamus : *cecidimus quasi flos universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum Domine. Non est qui consurgat et teneat te. Abscondisti faciem tuam a nobis, allisisti nos in manu iniquitatis nostrae.* Haec oratio ex corde prolatâ nos caelo et nobis caelum reconciliabit, *et quiescat ira Dei, et erit placabilis super malitia populi sui.* Quamvis vir hic nobilis aliud nihil nobis reliquerit nisi infirmitatem, inopiam, et desolationem. Quamvis hostis sit dives, fortis, et potens, fortior tamen et potentior est Deus. Ille adjuvare nos potest, et *pro sui nominis gloria liberabit nos Deus Eliae.* Mirabilem et miraculorum Deus erit nunc etiam apud Iberos, si fides nostra firma sit, et actiones rectae ac sincerae. Concludemus cum S. Paulo, illo sapientiae oceano et gentium Doctore : *Si Deus pro nobis quis contra nos? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet? Quis ergo non separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an famæ? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Nihil nos separat ab immensa Christi charitate : et vos proteget, salvabit, benedicit Deus.

Hugo Ardmachanus. Joannes Archiepiscopus Tuamensis. Joannes Rapotensis. Eugenius Kilmorensis. Franciscus Aladensis. Nicolaus Fernensis et Procurator Dubliniensis. Fr.

Antonius Cluanmacnosiensis. Walterus Cluanfertensis et Procurator Legliniensis. Jacobus Abbas de Conga et Commissarius Generalis Canonicorum Regularium S. Augustini. Fr. Guillelmus de Burgo, Provincialis Iberniae Ordinis Praedicatorum. Fr. Thomas Kieran Abbas de Buellio. Fr. Bernardus Egan Procurator R. admodum P. Provincialis Fratrum Minorum. Carolus Kelly S. Theologiae Doctor, et Decanus Tuamensis. Fr. Richardus O Kelly Procurator Vicarii Generalis Kildariensis, et Prior Rathbranensis Ordinis Praedicatorum. Joannes Doulaeus J.P.D. Abbas de Kilmanagh et unus ex Procuratoribus Capituli et Cleri Tuamensis. Walterus Enos, S. Theologiae Doctor, Protonotarius Apostolicus, Thesaurarius Fernensis, et Procurator Praepositi Ecclesiae Collegiatae Galviensis. Thadaeus Egan S. Theologiae Doctor, Praepositus Tuamensis. Lucas Plunkett, S. Theologiae Doctor, Protonotarius Apostolicus, Rector Collegii de Killecu, exercitus Lageniae Capellanus major." |

(113) "Et nos infrascripti nominati sedentes Galviae cum Commissariis authoritatem habentibus a Congregatione habita apud Jacobopolim 6° die praesentis Augusti, consentimus in eandem declarationem cum supradictis Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Praelatis et Dignitariis; et eandem esse actum nostrum manifestamus, et manuum nostrarum subscriptione confirmamus die 23 Augusti 1650.

2065

Thomas Cassiliensis. Joannes Laonensis Episcopus. Edmundus Limericensis. Fr. Terentius Immolacensis. Robertus Corcagiensis et Cluanensis. Jacobus Fallon, Vicarius Apostolicus Achadensis."

(114) Invenio etiam Doctorem Oliverum Dessaum, Vicarium Generalem Midiensem his actis Galviae subscrississe.

"*Excommunicatio de qua in declaratione facta est mentio.*

(115) " Nos infrascripti Archiepiscopi, Episcopi, aliquie Prae-

lati et dignitarii sedentes in nostra Congregatione apud Jacobopolim, cum consensu et approbatione aliorum, qui ob temporum injurias et pericula adesse non possunt, et considerantes luctuosam et deplorandam conditionem Regni, jam ad extrema prorsus redacti, praemissa seria et matura de rebus illius desperatis consideratione, cum videamus nullam aliam humanitus superesse viam revocandi quasi ad vitam Regnum jam agens animam, nisi per nostra consilia, industriam, et cooperationem; qui est sensus gregum nostrorum respicientium ad nos, quasi ad unicum suum sanctuarium, et subsidium inter pericula ipsis imminentia, et ruinam | toti Regno minitantia:

v judicantes nosmetipsos ad hoc teneri ex Dei et naturae lege, munere nostro pastorali, et virtute solemnis juramenti suscepti ab omnibus Praelatis, Nobilibus, et Generosis, qui fuerunt ex magna Commissione in sanctione pacis, nempe quo casu articuli pacis non praestarentur, quod deberemus continuare associationem vel unionem Confaederatorum Catholicorum, et facere omnia ad illius unionis conservationem spectantia. Cujus juramenti virtute Praelati sic jurati autoritatem habent renovandi et fovendi illam unionem et associationem, et ad hoc tenentur. Ideo conati sumus adhibere, quae nobis visa sunt optima, remedia adversus haec extrema mala, ideoque emisimus nostram declarationem. Ne tamen (quod Deus avertat) perversi aut seducti aliqui se opponant, aut obedientiam denegent dictae nostrae declarationi, unanimes in hoc consensimus et assensimus, ut tremendum et formidandum excommunicationis gladium educeremus et vibraremus, quod per praesentes facimus contra omnes ejusmodi Sathanae ministros in hanc formam et modum.

(116) "Ex virtute potestatis a Salvatore nostro Iesus Christo, ejus Ecclesia Catholica Romana, et Sede Apostolica traditae nobis, tanquam pastoribus et patribus animarum vestrarum, invocata ad hoc prius Spiritus Sancti gratia, et Dei timore nobis ob oculos posito, ita ut aliud nihil spectemus nisi Dei honorem et gloriam, verae fidei exaltationem, et conservationem Regni una cum regiis in eo juribus pene perdi, praemissa matura deliberatione, et simul considentes, | anathematizamus et excommunicamus per praesentes majori excommunicatione ipso facto incurrienda absque ullius ulterioris sententiae expectatione, et hisce separamus a fidelium corpore et communicatione et tradimus potestati Sathanae quamcumque personam vel personas cujuscumque qualitatis aut praeminentiae, quae

praesument verbo, scripto, vel vi armorum, privatim vel publice, per se vel per alios, se opponere, aut obedientiam denegare praesenti declarationi, aut ulli illius parti.

(117) " Similiter (ut supra) excommunicamus omnes consulentes, sententiantes, promoventes, opitulantes, et faventes illis, qui directe vel indirecte infringent, violabunt, aut contraventient praesenti nostrae sententiae aut declarationi. Praeterea excommunicamus et anathematizamus omnes spurious populares nostros, et alios quosvis ex gregibus nostris, qui adhaerebunt communi hosti Dei, Regis, et patriae; vel qui ullo modo adjuvabunt, assistent, promovebunt, aut favebunt illi, gerendo pro illo arma, aut alia ulla via illi contribuendo sine urgente necessitate.

(118) " Ulterius insistendo dictae nostrae declarationi, excommunicamus (ut supra) omnes illos, qui adhaerebunt et se adjungent Marchioni Ormoniae contra dictam nostram declarationem, arma gerendo pro illo vel illius parte, dando illi subsidia, contributiones, pecunias, aut notitiam; aut ullo modo robur, auxilium, subsidium, consilium, aut opem illi praestando, vel obediendo ejus mandatis, contra nos et nostras in hac rectas intentiones. |

(119) " Similiter suspendimus respective ab officio et beneficio, voce activa et passiva, gratiis, indulgentiis, et privilegiis quibuscumque, omnes et singulas ecclesiasticas personas, dignitarios, Pastores, sacerdotes, capellanos exercitus, et domesticos tam Regulares quam saeculares, et omnes alias ecclesiasticas personas quascumque, quae contraibunt consilio, et impedimentum aut oppositionem dabunt dictae nostrae sententiae aut declarationi. Et pro ulteriori robore hujus nostri acti et actorum, sententiae et determinationis, hisce reservamus Nobis ipsis, et aliis speciatim per nos authorizandis absolutionem a supradicta excommunicatione et censuris.

(120) " Denique sub iisdem paenis et censuris mandamus respective (ut supra) omnibus nostris subpastoribus, pastoribus, Religiosis conventibus, et communitatibus, ut inter missarum solemnia, vel in publicis locis et concionibus divulgant aut publicent praesentem hanc nostram declarationem et excommunicationem ac suspensionis sententiam, loco et tempore, quo id ita ab illis requiretur. Datum Jacobopoli sub manibus nostris die 12 Augusti 1650.

" Hugo Ardmachanus cum omnibus aliis
Praelatis et dignitariis, qui subscriperunt

supradictae declarationi. Utrique etiam acto subscrispsit Hugo Episcopus Duacensis et Arturus Dunensis et Coner., Procurator Dromorensis."

(121) " Nos infrascripti, Galviae cum Commissariis a Congregatione in oppido Jacobopolitano die 6° currentis Augusti habita autoritatem habentibus sedentes, consentimus et concurrimus in supradictam sententiam | excommunicationis et censurae ac eandem illam esse actum nostrum manifestamus, et manuum nostrarum subscriptione confirmamus die 23 Augusti 1650.

Thomas Cassiliensis. Joannes Laonensis Episcopus. Edmundus Limericensis. Robertus Corcagiensis et Cluanensis. Fr. Terentius Immolacensis. Jacobus Fallonus, Vicarius Apostolicus Achadensis. Fr. Petrus Tiernanus, Procurator Ministri Provincialis Fratrum Minorum."

(122) His etiam actis Galviae subscrispsisse invenio Vicarium Generalem Midiensem, Oliverum Dessaenum, ante Nuncii adversarium.

(123) Ex his actis aliundeque colligo Praelatos illos, qui non Jacobopoli 12 Augusti, sed Galviae postea 23 Augusti subscrysere, Congregationi Jacobopolitanae ob temporum injuriam, locorum distantiam, et itinerum pericula interesse et tempori accedere non potuisse, sed postea Galviam appulisse, et acta illa rata habuisse. Porro ex Praelatis, qui induciis cum Insequinno contractis anno 1648 adhaeserant, et censuras propterea latas spreverant, fuere Tuamensis, Aladensis, Limericensis, et Dromorensis, nec non Vicarius Generalis Midensis. Quorum primi quatuor si non 5^{us}, nec non Cassiliensis, Fernensis, et Ardaghadensis (qui an iisdem induciis anno 1648 adhaeserit alibi discussum est) in pace ad anni 1648 finem et anni 1649 initium cum Ormonio contrahenda et acceleranda haud segnem operam collocarunt. Duacensis etiam illo anno 1649 Kilkenniam ex Hispania appulsus eidem paci mox subscrispsit, eamque in ejus adversarios promovit. Qui tamen omnes nedum Praelati Nuncii partibus semper adhaerentes his Congregationis Jacobopolitanae actis ad Ormonium exauthorandum hoc anno latis tunc vel postea scripto vel opere subscriperunt. Denique ex omnibus Regni | tunc Praelatis, qui praesens vel absens haec acta haud rata habuerit, reperio

neminem, excepto solo Episcopo Finiborensi, qui postea Galviae rogatus ut ea suo calculo muniret, excusationes ita praetexuit, ut tamen non videam eum illa positive et palam improbasse. Porro aliorum duorum Episcoporum Nuncio anno 1648 in censoriarum controversia adversatorum unus, nempe Ossoriensis, ante celebratam hanc Congregationem expiravit, et alter, nempe Midensis, decrepita aetate pene repuerascebat, alias in causam Catholicam ita antea male affectus, ut tamen fidem habeat eum his actis subscripturum, si vegeto fuissest animo et corpore, cum ejus nepos et Vicarius Generalis subscrisperit. Caeterum quanto satius fuissest his Praelatis ab initio in induciarum, censoriarum, ac pacis ad ineuntem annum 1649 promulgatae controversia Nuncio atque aliis Regni Antistitibus et eorum fautoribus adhaerere tempore magis opportuno, quo casu laici Ormonio studentes Ormonium in Proregem nunquam intrusissent, nec illam pacem iniquissimam contraxissent. Cleri enim apud populum illum ea semper fuit authoritas, ut inter totum hoc bellum ejus concordia concordem discordia discordem efficerit, vel certe ita discordem animarit, ut populi discordia secus parum vel nihil obfuissest. De reliquo plurima hic apud eosdem Praelatos nedum apud alios Antistites in confesso sunt, quae controversias circa armorum cessationem cum Insequinno anno 1648 pactam et circa excommunicationem eapropter tunc fulminatam, nec non circa pacem hanc cum Ormonio celebratam ortas haud mediocriter enucleant. Nam 1°, cum Catholicos pene quinquies | centena librarum Anglicarum millia in numerato, praeter alia magna et multa hic addita, Ormonio (cui totum pene hunc vastum belli nervum a mense Januario 1649 usque ad Januarium anni 1650 subministratum fuisse reperio) supeditasse fateantur, hoc conductit ad probandum Ormonistas anno 1648 induciis cum Insequinno contrahendis necessitatem non adeo sincere praetendisse, fidemque habet illam summam, annonam, et apparatus bellicum, eaque quae Insequinno atque ejus latronibus ex induciarum pacto concessa fuerant, et rursus ea quae in bello civili adversus Nuncium, Iberniae Clerum, Eugenium O Nellum, eorumque partes prosequendo collata, nec non subsidia Pontificia a Nuncio tunc oblata, et haereticorum possessiones vastissimas antea bello ipsis eruptas, sed ex illarum induciarum pactione restitutas, ac denique preventus ecclesiasticos intra districtum iisdem praedonibus saginandis ex induciarum pacto relictum ab iisdem exinde, etiam ante Cromuelli appulsum usurpatos, ad haereticos anno

1648 et anno 1649 tota Insula deturbandos fuisse plusquam suffectura, praesertim cum Nuncius ante natas illas contestationes inter suadendum ut Magnus Etruriae Dux vel ejus frater, Princeps Matthias, Regni protectionem ex Comitiorum Generalium decreto alicui Principi extero offerendam amplecteretur, quadringenta scutorum millia toti Regno in plenam libertatem vindicando paria fore significarit, et interea Anglia praesertim toto anno 1648, ipsaque Scotia bellis intestinis ita flagrarint, ut haereticis suis in Ibernia | belli sociis nullam prorsus opem ferre valuerint. Quibus omnibus accedit, maxima subsidia conditionibus in legatorum anno 1648 peregre prosectorum instructiones ab universo Regno approbatas, et suo loco positas, insertis facile ad prosequendum in haereticos bellum fuisse procuranda. Quae omnia, et tempus opportunissimum ex Ormonistarum machinationibus ad nihilum recederunt. Quibus factum ut Ormonius in Proregem redierit, et Deus Ibernorum causam deseruerit, aliaque mala infinita ex eadem Ormonistarum et Ormonii fraudibus, iniquissimo regimine, ignavia, et perfidia promanarint.

(124) 2°. Quod hic numero 6°, 7°, et 8° de tyrannide ab Insequinno atque ejus copiis post contractas inducias, antequa illorum latronum ad Cromuellum defectionem, in Momoniae Clerum populumque Catholicum exercita (quam ipse Bellingus, dum Ormonium de aliis criminibus hic illi objectis purgare conatur, silentio praeterire quam abluendam suspicere mavult, proindeque loquacissima taciturnitate in confessu ponit) habetur, manifestum est a Nuncio et partibus ipsi e Clero populoque adhaerentibus anno 1648 fuisse praevisum, praenunciatum, et objectum, adeo ut in procinctu ad illas inducias, quae Insequinno atque ejus sicariis viam ad hanc crudelitatem excercendam straverant, contrahendas, vel ex hoc solo capite eas, velut ex quibus illa mala nascitura essent, tuta conscientia non amplectendas judicarint, sicut ex controversiae actis suo loco positis liquet.

(125) 3°. Quod ad ipsam pacem cum Ormonio post illas inducias pactam spectat, satis superque notum est, Nuncium et Cleri partes | ipsi adhaerentes ab induciis illis abhorruisse, non solum ob alias rationes gravissimas, sed etiam ante alias omnes, quod prudentissime futura praesagientes metuerent ne paci iniquae intrudendae, et iniquius ab haeretico et infensissimo magistratu exequendae, atque Ormonio in Proregem cooptando viam munirent, et ne is ad Regni clavum sessurus fidem

*Annot. in
P. Pontium.
pag. 187.
188. 189.
etc.*

Catholicam atque ipsos Catholicos, praesertim eos qui Clero plus studerent, cuniculis subterraneis everteret, et ejusmodi cum haereticis societas, non modo nulla securitate subniteretur, omnique discrimini causam Catholicam exponeret, sed etiam divinum adjutorium everteret, et Catholicis supremi numinis indignationem conciliaret. Quae, multaeque aliae horum actorum cum induciis et pace jam dicta comparationes, ac praesens totius tragaediae exitus proficiunt ad probandum et Nuncium, et Praelatos Nuncio obsecutos, et Eugenium O Nellum, horumque toto Regno partes omnes prudentissime operam dedisse, ut induciis contrahendis et contractis, horum utique malorum fonti obviarent, et Ormonistas eorumque fautores contrarium studentes prorsus insaniisse.

(126) Fatendum tamen est Congregationis Jacobopolitanae actis haud expresse damnari inducias cum Insequinnio contractas, nec pacem anno 1649 cum Ormonio conclusam, nec induciarum pacis authores, sed ipsum Ormonium velut pacis transgressor, et Reipublicae inique tractatae reum. Quare qui induciis, paci, atque his actis subscriperant, si non recte respondere, | saltem cavillari possent se inducias et pacem bona fide et fine non pejore ductos maturasse, seque eventu votis non respondentे, atque Ormonio spem in ipso positam fallente, pactisque non stante, eum consimili zelo Proregis provincia abdicandum censuisse; nec insolens esse nec rarum ut viri optimi et prudentissimi multa faciant, quae postea non ob conscientiae ab initio malae morsus, sed ob eventus praeposteros se fecisse doleant. Verum has eorum cavillationes omnino futiles esse docent, quae de induciis, pace, et funestissimo utriusque eventu retulimus.

2069
v

(127) Post hunc annum Episcopus Fernensis et P. Joannes Poncius ex una parte, et Richardus Bellingus ex altera Lutetiae Parisiorum calamis digladiati sunt, Fernensi et Poncio Ormonium atro carbone notantibus, et Bellingo Ormonio, sibi et aliis Ormonistis multifariam sed ubique pene pessime patrocinante. Qui cum Congregationis Jacobopolitanae acta, quibus Praelati tantum belli nervum Ormonio a Catholicis suppeditatum fuisse testantur, a Poncio in medium producta esse non ignorasset, et simile accusationis caput a Fernensi et Poncio repetitum legisset, respondit his verbis, quibus tanquam proprio gladio se et suum Ormonium incautus jugulat, et Praelatis ambobusque suis adversariis praeter mentem accinit: “ De pecuniis (inquit) ergo, quae merito belli nervi dicuntur, quam non illis non modo

*Annotationes in
P. Poncius.
p. 157.*

abundaverit (Ormonius), sed ex omni parte destitueretur, patiis accipe. Cum Dublinium obsidione premere statuisset Ormonius, atque omnis rei bene gerendae spes in celeritate posita esset,
 2070 quia et auxilia ex Angliamittenda p[ro]aevenire se posse credidit, et quorundam apud hostem militantium propensis in Regem studiis favere, eosque tuto recipere sibi proposuit; copias Carlovacum prope, Barroum versus flumen coire jussit. His tanta fuit pecuniarum indigentia ut, nisi Marchio Ormoniae octingentas libras Anglicanas privata fide mutuo comparasset, inde exercitus nequaquam progredi potuisset, et cum jam ad Dublinium castra posuisset, ea aeris penuria laboravit, ut saepius coactus fuerit a praefectis, a ducibus, a nobilibus, qui eum officii gratia stipabant, pecunias mutuo exigere, quibus inopiam militum extremam sublevaret. Denique ut quivis cordatus agnoscat quam haec sit injusta calumnia, satis compertum habeo ex thesaurarii libris et computatione, ab inita pace usque ad diem, quo ex Ibernia Prorex solverat, nunquam uno eodemque tempore quinque mille libras Anglicanas in aerario fuisse." Haec Bellingus, qui suo more et astutia ipsi familiarissima punctum acu tangere non audet, sed regyrans, et tergiversans, ingenium torquet, ut aliquid excogitet, quo Ormonii nuditatem tegat. Sed quid tot maeandris et flexuosis ambagibus ac diverticulis opus est, nisi quod palam et aperte negare non audeat liquidam et constantissimam veritatem a Congregatione Jacobopolitana in Ibernia, deindeque a Fernensi et Poncio Parisiis Ormonio objectam affirmantibus belli nervum, cuius in declaratione Jacobopolitana fuit mentio, Ormonio ab Iberniae Catholicis fuisse suppeditatum. Quod Bellingus constantissime pernegasset, si perneggandum esset. Cum autem non perneget, in confessu ponit, caeteraque quae addit, in Ormonium magis militant. Nam cum tantum belli nervum acceperit, et tamen aerarium semper indigum habuerit, et in ipsa sua prima expeditione saepius ab ipsis praefectis, ducibus, et nobilibus, qui eum officii gratia stipabant, pecunias mutuo exegerit, quibus inopiam militum extremam sublevaret, quid aliud hoc quam Ormonium magis aeruscasse, et majorem pecuniae vim undique malis artibus corrasisse, nec in militum stipendia impendisse demonstrat. Quid ergo mirum quod Ibernia istius modi aeruscationibus exhausta bellum tamen infaelicissime successerit, populo belli sumptibus imperiose exactis obruto, et militibus stipendiiorum inopia partim castra deserentibus, partim reliquum indigenarum succum et substantiam ita licentiose depeculantibus ut Catholicorum plerique
 2070 v

anterioris peculatus, si non etiam repetundarum, pertaes, omnem sub Ormonio asserendae libertatis animum desponderint, praesertim cum ille in Cromuellum nihil nisi ignave et enerviter tentarit. Porro Praelatos in Congregatione Jacobopolitana sobrie Ormonium peculatus accusasse constat ex vectigalium publicorum calculo in Ibernia subducto, ut Ormonius rationem redderet eorum, quae a Januario anni 1649, quo pax publicata fuerat, usque ad Januarium anni vertentis 1650 exegisset. Calculum illum in Ibernia Anglice subductum Latine verto ex ipso folio Anglo :

(128) “ *Vectigalium a Commissariis Provinciae Momoniae impositorum ratio.* ”

	lib.	solid.	d.
“ 1. Sumptus menstrui 3040 peditibus et 887 equitibus, eorumque Ducibus susten- dandis numerandi ex Commissariorum mandato dato mense Februario anno 1649	6985	14	6
“ 2. Magnae summae sexaginta millium librarum Regno ex eorundem Commis- soriorum mandato eodem tempore impositae pars ad eandem Provinciam spectans ..	22500	0	0
“ 3. Praefati Commissarii suo mandato 4 Martii 1649 dato octingentis libris per hebdo- madam ad Insequinnii vires sustendas solvendis tres Comitatus Corcagiensem, Kierriensem, et Waterfordiensem onerarunt, eandem summam usque ad 20 ^m Maii con- tinuarunt, quae conficit	8800	0	0
“ 4. Summa hebdomadaria eidem Pro- vinciae a dictis Commissariis 6 Maii 1649 imposita, et usque in diem Januarii unde- vigesimal anni 1650 per triginta septem septimanas protracta juxta 2245 libras per conficit	83065	0	0
“ 5. Pecuniae Principi Roberto decretae pars ab eadem Provincia soluta, nempe 1600 librae ex summa hebdomadaria jam dicta juxta promissionem factam com- pensandae, sed nunquam compensatae ..	1600	0	0
“ 6. Eadem summa hebdomadaria ex Commissariorum mandato 22 Augusti anno 1649 dato in sex septimanas duplicata fuit,			

	et iterato mandato 12 Novembris anno 1649 dato iterum sex septimanas reduplicata, quae per duodecim hebdomadas protracta conficit	26940	0	0
	" 7. Eadem Provincia ex mandato 24 Octobris 1649 dato onerata fuit duobus boum millibus in annonam militarem tribuendis, qui singulis librarum paribus aestimati ..	4000	0	0
	" 8. Praebuit supplementum 4280 peditum, qui viritim Provinciae quinquaginta solidis steterunt	10700	0	0
	" 9. Totum	164590	14	6
	" 10. Juxta aequae distributionis regulam Provincia Lageniae tanta pependerit vecti- galia, quanta Provincia Momoniae ..	164590	14	6
	" 11. Conacia autem medium summae partem juxta eandem regulam	82295	7	3
	" 12. Tres summae	411476	16	3
	" 13. Praeter illam magnam summam 164590 librarum, 14 solidorum et sex de- nariorum Momoniae impositam, pecuniae ab eadem Provincia mutuo acceptae sunt, videlicet	6030	0	0
2071	" 14. Praeter 14 dierum sumptus ab eadem Provincia pro sua parte ad exercitum, qui in ea inter ultimam hyemem militabat, sustendandum solutos	3492	17	2
v	" 15. Praeter mille quingentos boves pingues ab eadem Provincia exactos, qui juxta sponsonem factam compensandi erant ex summa hebdomadaria et pendendi sin- gulis librarum paribus	3000	0	0
	" 16. Praeter 10000 tritici cados juxta pollicitationem factam ex summa hebdoma- daria compensandos, et libris singulis aesti- matos	10000	0	0
	" 17. Praeter equos sarcinarios ab eadem Provincia generaliter exactos numero ..			
	" 18. Praeter supplementum equorum ad dimicandum exactorum numero ..			
	" 19. Praeter absentium redditus, medium partem redditum ad subditos spectantium,			

duos promoventium ecclesiasticorum trientes, accisas, *Gabellas*, praedarum maritimarum decimas, censum Regium, hypernantium copiarum sumptus, eosque non nunquam pro militum licentia et imperio extortos, et multas iis impositas, qui numerare distulissent.

" 20. Et praeter magnas alias summas ab indigenis mutui titulo exaratas, de quarum calculo nobis nondum constat.

" 21. Quae pecuniae mutuo acceptae, 14 dierum sumptus, boves et triticum, de quibus numero 13, 14, 15, et 16 agitur, in unam summam congesta conficiunt ..

22512 17 2

" 22. Qualia vectigalia juxta praefatam aequalitatis et proportionis regulam Lageniae et Conaciae Provinciis imposta fuerint, et conficiunt in toto

56281 2 II

" 23. Quae ultima summa, et praefata magna summa 411476 librarum, 16 solidorum et trium assium, si in unam congerantur, conficiunt

467757 19 2 |

2072

" 24. Quae summa (praeter alias jam exceptas) exercitum sexaginta militum milibus constantem in unius anni expeditiones abundantiter sustentare potuit, licet suae Majestatis exercitus inter anni superioris expeditiones nunquam vicena militum millia continuerit, nec illi ipsi media temporis parte stipendia receperint, sed coacti fuerint ita languida tenere castra ut hostem profligare non valerent." Haec ibi.

(129) Observandum est hic non subduci calculum eorum, quae numero 17, 18, 19 et 20 continentur, et numero 24 excipiuntur. Quibus detractis summam longe minorem hic expressam vides. Limericenses autem vectigalium publicorum rationem diligentius subduxerunt, ubi in suis quaestionibus suo Episcopo hoc ipso mense Augusto propositis, et mense Octobri Londini in lucem editis, numero 11 asseverant exacta a mense Januario anni 1649 usque ad mensem Januarium 1650 confecisse 533564 libras, decem solidos, et undecim denarios vel asses, praeter farinam,

boves ad cultrum suppeditatos, rem frumentariam, hybernaculorum impensas, mulctas militares, portoria, accisas, et praediorum hostibus antea ereptorum redditus, quae additamenta praefatam summam ita excedere affirmant ut subdant nunquam interea exercitui numerata fuisse nisi viginti octo librarum millia, idque ita ut haeretici in exercitu militantes, antea et postea Ibernorum carnifices, librarum millia sedecim, Catholici vero millia duodecim receperint praeter, nescio quot, boves, rem farinariam, et hybernacula ambabus militum partibus assignata. Ex quo collendum est belli nervum illo anno Ormonio suppeditatum partim pecunia numerata, partim rebus aequa necessariis, imo utilioribus, librarum sterlingarum millionem, sexaginta septem millia, centum et viginti octo excessisse,

2072

v

praeter | ea, quae Catholici postea a mense Januario vel saltem Februario anni 1650 usque ad conditam mense Augusto a Congregatione Jacobopolitana praefatam declarationem, imo usque ad Ormonii discessum, qui in mensem Decembrim 1650 incidit, suppeditarunt. Quare sequitur Clerum in praefata sua declaratione calculum sobrie subduxisse, et jure merito Ormonium peculatus et tot tantorumque Iberniae malorum illo peculatu, aliisque ejus machinationibus natorum reum egisse.

(130) Eodem pene tempore quo Congregatio Jacobopolitana in Conacia celebraatur, Archiepiscopus Cassiliensis aliquique aliquot Momoniae Praelati Limerici sedebat, et deliberabant, quibus Limericenses et viciniae indigenae Catholici libellum supplicem Anglice porrexerunt, quem Latine legas :

“ Reverendissimis et Illustrissimis Dominis, Thomae Archiepiscopo Cassiliensi, et aliis Praelatis nunc Limerici congregatis.

(131) “ Humillime exponit eos qui vobis supplicant, magno doloris sensu perpendentes praesentia hujus afficti Regni infortunia, calamitates, et deplorandas miserias, quibus praeципitorum Gubernatorum infaelicitas, crassa negligentia vel perfidia, per quae totum usque ad ipsorum portas hostibus unius hyemis intervallo sine resistentia proditum est, occasionem praebuit, magnopere vereri ne si se ejusmodi ministrorum status potentiae permiserint, eodem, quo reliquae civitates et municipia tradita sunt, modo hostibus tradantur, et sic totum Regnum deperdatur, universa natio excidatur, extirpetur, et instar servorum | Turcis, infidelibus, ac haereticis venundentur, fides Catholica hic a mille trecentis circiter annis conservata,

2073

et invitis omnibus haereticorum persecutionibus professa, prorsus aboleatur, et Regis praerogativae pene a quingentis annis vasta facultatum et cruoris nativorum profusione defensae usquequaque supprimantur. Quare nullam tot malorum declinandorum spem censem esse reliquam, nisi in praesens Regimen infaustum et perfidos ejus Ministros confestim declaratio edatur, eaque ratione militia et civile gubernium in bonos Catholicos et fideles subditos transferatur, quo Dei, Caesaris, et nationis jus in hoc miserando Regno a rebellibus Parliamentariis, compertis nostrae religionis, Regis et Patriae hostibus asseratur. Porro ut Dominationes vestras Illustrissimas ad concurrendum nobiscum in edenda illa declaratione inducamus, et vobis efficacius persuadeamus quantopere praesentes rerum angustiae illam postulent, quantaque pericula immineant si negligatur aut differatur, rationes his annexas gravibus et piis Illustrissimarum Dominationum vestrarum judiciis ponderandas offerimus, humilianter obsecrantes ut fixis in caelum mentibus, Deoque et ejus justitia ob oculos positis, privatos quoscumque fines et humanos respectus seponatis, et sanguinatem cum totius Regni tum gregum vestrorum conditionem perpendentes, vestrarum oratoribus in edenda praefata declaratione coalescatis. Secus compellentur cum Parlamento pacisci, vel subire periculum insurgendi | in Illustrissimas Dominationes vestras omnesque alios vestrum, fatale Regimen Religioni, Regi, et Patriae exitiales secuturos. His si acquereritis, afflicti vestri Oratores Deum praecabuntur," &c.

2073
v

*"Rationes, quarum in hoc libello supplici mentio fit,
tunc Limerici Congregationi Ecclesiasticae ab iis
oblatae, quibus ostenditur oportere ut in praesens
Regimen declaratio edatur."*

(132) "Totius Regni ad hunc usque exiguum angulum expugnatio unius hyemis intervallo ab hoste tam despicibili citra ullam omnino resistentiam esse non potest ex communi hominum judicio, nisi manifesta proditio eorum, qui ad Regiminis clavum sedent. Quis adeo hebes vel judicio nudus esse potest, ut pudendam exercitus in obsidione Dublinensi caedem, neglectum succurrendi Vadiponto et Wexfordiae, Rossiponti ditionem, pontis ad Rossipontum constructi erectionem absque oppositione, Carrigiae mancipationem, nec non Corcagiae, Yeogheliae, Kinsaliae, Bandiponti, et Dungarvaniae rebellionem

2074

2074

v

perfidia caruisse sentiat? Quid dici potest de casu legati generalis O Feralli periculo objecti ad *Trajectum*, quid de Clonmellia perdita defectu pulveris tormentarii, praesidio jam ingresso, alio transportati? Vel quorsum Clonmelliae pulvis nitratus 21 hebdomadarum spatio suppeditatus non fuit, quem sua Excellentia intra dies 21 suppeditandum promiserat, idque fide sua esse jusserat? Tota Clonmellia fidem illam diris devoveat. Quid responderi potest de Castro Cahiriensi, atque aliis apud Comitatus Tiperariensem, Limericensem, et Kilkenniensem, ad paucorum equitum p^{ro}c^{ess}pectum | perinde deditis, ac si hujusmodi munita bene loca sclopulorum ictibus pervia essent. Quis ob has proditorias deditiones ultimo affectus suppicio? Imo quis vel in judicium vocatus fuit? Quinimo potius qui majore, quam horum facinorum authores, apud suam Excellentiam pollent autoritate, et qui majorem ejus contraxerunt indignationem, quam qui ardenter animi studio causam publicam promoverunt. In quae unquam hostium stativa irruptum est, et quando ipsis vel classicum cecinit ulla pars nostri equitatus aut peditatus, qui respondent se id non audere, morte utique puniendos, si id attentarent sine mandato, quod expectant ad Kalendas Graecas. Nonne hostes tam quiete ac pacis tempore in ipsorum regionibus recens bello partis viverent, nisi non a nostro exercitu sed a *pueris otiosis* molestiam paterentur? Utinam universus noster exercitus se in *pueros otiosos* induisset, et excommunicationis nuperae aleam subiisset. Quo facto haud eo hostes processissent audentiae ut hac Provincia omnes suas vires deducerent, et integrum Comitatuum centum militibus, magnique momenti munitionem quadraginta praesidiariis crederet. Quam praeclare nunc in Momonia hostibus absentibus bellari posset, nisi praecipui nostri praefecti hostes securos fecissent futurum ut eorum regionibus, dum abessent, negotium non facesserent, et nisi similis pollicitatio intervenisset, nonne id ipsum praestare poteramus, dum Clonmellia, Waterfordia, Caterlaghum, et Tecrohania obsidebantur. Per quos nisi per eos, quibus Ormonius maxime studet, stat quominus in universo Regno res praeclare gerantur? Quis Ultoniae expeditionem impedivit, praeterquam | qui magna apud eum gratia valet, Monrous Iniskilliniae ditione? Quis in Conacia nisi Clancardius, quis in Lagenia praeterquam Portu-Castellanus, Costelaghus, et Jacobus Dillonus, Eques auratus, quis in Momonia expeditiones successu frustravit, praeter Pursellum, Wallum, et alios? Quinimo potius nullus pene totius Regni est

Comitatus, in quo ipsi non suppetat aliquod sceleratum instrumentum, quo ad impediendum ejusdem Comitatus progressum utatur, neminemque in causa publica promovenda strenuum mandato munit specie et coram populo, quin clancularia molitione alium adhibeat, quo ejusmodi viri gnavi consilia frustetur. Sic Muscrius adhibitus fuit ut Davidis Rochaei, Monrous ut Episcopi Clogherensis, Portu-Castellanus ut Comitis Mediae Occidentalis, et Pursellus ut Baronis Castri-Conaldi conatus ad nihilum reciderent." Haec Limericenses.

(133) Praeter unam hanc rationem multas in se rationes continentem, quinque alias proposuerunt Limericenses, ut Praelatos ad edicendum in Ormonium tanquam ob sua demerita exauthorandum adducerent. Quasdam etiam quaestiones suo Episcopo Limericensi Anglice proposuerunt, postea ab hostibus, ad quorum manus pervenerunt, in Angliam transmissas, et Londini cum praefato eorum libello supplici 24 Octobris 1650 typis mandatas, quas etiam Latine verto :

"Quaestiones circa praesens Gubernium Reverendissimo Domino Edmundo, Episcopo Limericensi, &c., propositae.

(134) " 1°. Utrum Illustrissimae Dominationis vestrae conscientiae plene | satisfecerint rationes Illustrissimae Dominationi vestrae praesentatae, ut induciis cum Insequinnio initis, et aliis, quae ad introducendam pacem et Regimen modernum viam sternebant, contra Illustrissimi D. Nuncii et Congregationis censuras adhaereret, quo factum ut juratam Sedi Apostolicae obedientiam abjurarat. Vel an id fecerit conscientia reluctante ut tempori serviret, vel ob alios fines, et quinam illi sunt ?

2075

(135) " 2°. Posito quod rationes, quibus Illustrissima Dominatione vestra ad id inducta erat, tunc tuae conscientiae satisfecerint, nonne ab illo tempore Illustrissimam Dominationem vestram experientia docuit rationes illas effectus non quales promittebant, nec eos, in quos Illustrissima Dominatione vestra tunc animum intendebat, qualesque sperabat, sed Illustrissimae Dominationis vestrae expectationi ex diametro oppositos procreasse, eodem plane modo, quo Illustrissimus D. Nuncius fore praesagierat et praedixerat, et consequenter nonne impraesentiarum experiris te fuisse deceptum.

(136) " 3°. Si modo jam dicto te deceptum fuisse comparis, potesne illaesca conscientia id tuum gregem celare, qui tuo exemplo deceptus fuit, et continuo decipitur.

(137) " 4°. Si tuum errorem agnoscis, sicut in privatis colloquiis agnoscere videris, quorsum semper in eodem errore persistis? Quorsum perniciosa eorum, qui tibi fucum fecerant, conventionem clam et palam sustines? Cur ipsis in omnibus eorum molitionibus adhaeres? Cur denique resistis illis ex tuo grege, qui se illis opponere vellent in suae Religionis defensionem, et in vitarum, facultatum, ac fortunarum, in quas quotidie involatur, quaeque hujus intrusae pacis et Regiminis ratione vix non perdentur, praeservationem. Porro si grex tuus ad tuum | exemplum huic perniciosa paci et Regimini adhaerendo excommunicationem ab Illustrissimo D. Nuncio fulminatam incurrit, eaque ratione Dei indignationem contraxerit, seque praesentibus miseriis sub Dei flagello implicuerit, nonne Illustrissima Dominatio vestra coram Deo et hominibus illarum calamitatum author haberi meretur?

2075 v
(138) " 6°.* Cum tuo gregi te tuum caput, Sedem Apostolicam, deseruisse, et haereticis adhaerere constet, nonne ex conscientiae regulis te, tuumque caput haereticum, Ormonium, deserere, et a Supremo Ecclesiae Capite stare tenentur? An non illis magis licet tibi haereticis faventi non obedire, quam tibi Suae Sanctitati, ejusque Nuncio Apostolico refragari.

(139) " 7°. Quo pacto grex tuus sibi persuadeat te praeteritarum tuarum machinationum paenitere, cum videant nullos a te pluris fieri, nullos domo mensaque tua libentius excipi, nullos tecum in privatis congressibus esse frequentiores illis, qui notorie censemur nefaria Ormonii instrumenta et emissarii, quorum opera ad excidendam religionem juxta ac ad Regem et nationem prodendam utitur.

(140) " 8°. Quid causae Catholicae prospere successurum expectes, quamdiu ab Ormonio et Insequinnio, juratis religionis Orthodoxae hostibus, tractabitur et administrabitur? Quod Regi in novercante ejus fortuna obsequium ab illis expectes, qui florentissima laetantem prodiderant? Quid commodi accessurum putes nationi sub eorum imperio, qui eam igne et gladio persecuti erant, tanta tyrannide, sacrilegio, et profanatione, quantam ethnici in Christianos nunquam exercuerant. Nonne eadem securitate Iretonum in praefectum cooptare

(* Num. 5 in codice omittitur.)

poterimus, qua Ormonium et Insequinnium in praefectos adversus Jonium ascivimus? Nonne omnes sunt ejusdem farinae? Quam tutelam ab eorum uno magis quam ab altero nobis spondeamus.

(141) " 9°. Quare in id incumbis, ut hujus populi Catholici, gregis | tui, vitae et fortunae ejus arbitrio committantur, qui libenti animo, absque resistantia, omnia sua praetoria, domos, et patrimonium, nec non clientum, sequacium, amicorum, et necessitudine sibi conjunctorum omnium vitas fortunasque Regis hostibus tradidit. Putasne futurum ut aliorum aedes, agros, bona, et patrimonia defendat servetque majori cura et sollicitudine quam sua? Quam speciali sedulitate hunc locum tueretur, qui non invitus permisit ut hostes in sua ipsius territoria invaderent et incurrerent, omnesque Butlerorum tractus devastarent penitus ac destruerent? Nonne id totum praecavere potuit impediendo pontis ad Rossipontum erectionem, et intercludendo hostem Surii, Neorii, et Barroui fluminum trajectione, impensis et difficultatibus millies minoribus quam, quibus hanc civitatem defenderet, considerato statu, in quo tunc Regnum erat, et nunc est. Hujus enim Provinciae opes, quae ad prohibendos illis trajectibus hostes penes ipsum erant, nunc hostibus praesto sunt ad hunc locum occupandum.

2076

(142) " 10°. Nonne arbitraris hos cives rebus suis prudentius consulturos, si ad extremas angustias redacti conditiones cum Parlamentariis circa rem ecclesiasticam et politicam in suam securitatem pacti fuerint, potius quam se hostis domestici imperio credant, primo omnium ab ipso facultatibus spoliandi, deindeque ipsorum hostibus perinde venundandi ac aliis civibus contingit? Potesne nominare ullos Catholicos cives aut oppidanos, qui se ejus potestati submiserant, quin sic transacti fuerint? Certe non potes. Quod testantur Dublinia, Vadipontum, Neurium, Dundalcum, Carlingfordia, Trimmia, Navania, Atboya, Wicloa, Archloa, Rossipontum, Waterfordia, Wexfordia, Kilkennia, Carrigia, Fiardia, et Cassilia. Quas autem sub tyrannico ejus imperio et proditoriis strategematis pertulerint miserias, nec lingua exprimere, nec calamus scribere valet. Nonne omnia illa loca atque universum Regnum, | excepta Dublinia et Londoneria, ultimo Augusto possidebat, omniaque hyeme unica sine resistantia hostibus tradidit? Exercitum adeo spernendum in Regnum tantopere vallatum tales una hyeme fecisse progressus bellicos a saeculo non est

2076

v

nec memoriae proditum, nec auditum, nec Alexandro Magno, nec Julio Caesari, nec Guillelmo *Conquestori* res unquam adeo successerant. Successissent tamen dubio procul, si Parlamenti Anglicani membra ita valuisserent ingenio, ut delectum a se imperatorem copiis hostilibus praeficerent, vel si bellassent in hostes adeo stupidos, ut instar nationis nostrae talem prefectum generalem ab ipsis delectum admitterent. Porro cum jam universum Regnum excepta hac civitate et Galvia hostibus traditum sit, nonne censes totius Regni opibus Dubliniam et Londonderiam faciliori negotio expugnari potuisse, quam nunc tenui hujus civitatis et Galviae, nec non indigi Comitatus Clarensis substantia totum Regnum recuperari. Reverendissime Domine, intellectus tui oculos aperi, et perpende nunquid ulla ratione possibile aut probabile sit, eum, qui suapte sponte universum Regnum hostibus tradidit, Limericum aut Galviam diutius defensurum quam donec conditions, quibus reliquas Regni partes tradidit, usquequaque praestitas viderit: quanto minus possibile aut probabile est ut ex Limerici et Galviae civitatibus reliquas Regni partes ab ipso voluntarie proditas recuperet, praesertim cum populus et milites ab ejus molitionibus abhorreant. |

2077

(143) " 11°. Utrum nos gregem tuum illaesca conscientia monere potes ut vitas ac fortunas nostras illius, qui civitates, oppida, et populum Catholicum, a quibus hactenus ejus authoritati obtemperatum est, hostibus cessit, arbitrio credamus, cum consideramus exinde secuturam non solum ruinam nostram, sed etiam fatalem totius nationis extirpationem, Catholicae religionis in his tribus Regnis excidium, et casum Coronae atque authoritatis suae Majestatis. Praeterea nunquid tuta conscientia potes te tuo gregi non associare, addendo declarationem in hoc proditorum Regimen et in perfidos ejus ministros, nec non exigendo ab ipsis rationem vectigalis publici, quod a mense Januario anni 1649 usque ad Januarium anni 1650 exactum conficit 533564 libras sterlingas, solidos decem, et denarios undecim, praeter farinam, boves ad cultrum subministratos, triticum, mulcas militares, hybernantium militum sumptus, portoria, accisas, et possessionum hostibus antea bello ereptarum redditus, quae praefatam summam excedunt. Ex quo toto belli nervo nihil exercitu numeratum fuit, praeter viginti octo librarum millia, videlicet copiis haereticis sedecim librarum millia, et viribus Catholicis duodecim librarum millia, et utrique parti aliquot boves, farinam, et hybernaculorum impensas.

De reliquo cogendi etiam sunt praefati ministri ad respondendum de aliis eorum sceleribus.

(144) " 12°. Si Illustrissima Dominatio vestra nobis in hac re adhaerere detrectaverit, nonne nobis ad nostras vitas, libertates, religionem, et fortunas in tuto ponendas, licet in Illustrissimam Dominationem vestram et in ipsos edicere et protestari, tuaque et ipsorum facinora toti mundo patefacere ? " Hactenus illi. |

(145) Praelatorum Momoniensium Congregatio, etiam ipse Limericensis, his atque aliis hujusmodi querelis aurem prebuit. Porro quod hic numero penultimo habetur, nempe unius anni spatio vectigalia publica confecisse 533564 libras, solidos decem, et denarios undecim, praeter alia ibi subjuncta, et *praefatam summam excedentia*, intelligi potest quoad hanc ultimam clausulam duobus modis. 1°. ut sensus sit subjuncta additamenta in priori summa non contineri. 2°. Ut intelligatur subjuncta additamenta tantundem, seu alterum tantum et quod excurrit conficere. Qui naturalis et genuinus verborum sensus est, quae et alias ante me expressisse video. Caeterum mihi nusquam occurrit publica an potius privata Limericensium atque aliorum illius viciniae Momoniensium authoritate haec omnia apud Clerum Ormonio Limerici objecta fuerint, meque fugit qui subscipserint. Quare nihil in eum magis militare video, quam Congregationis Jacobopolitanae acta, quibus Clerus post maturrimam deliberationem et diuturnam querelae discussionem manus apposuerunt. Porro illi Cleri Momoniensis Congregationi, quam Limerici celebratam fuisse diximus, nec Episcopum Ardfeartensem senio, podagra, et itinerum ab haereticis interclusorum periculis detentum, nec Waterfordensem, quem suae civitatis illis diebus obcessae et captae obsidione similibus viae difficultatibus impeditum fuisse crediderim, nec Finiborensem qui natu Conaciensis, sed in Momonia Episcopatum adeptus inter hanc controversiam partim Limerici, partim Jacobopoli, partim Galviae agitatam se ubique negotiis callide subducebat et neutralem agebat, sed Archiepiscopum Cassiliensem et alias ejus suffraganeos interfuisse reperio, quibuscum etiam alias complures ex utroque et saeculari et Regulari Momoniae Clero in eodem consessu deliberasse non dubito, nec quid, vel nunquid ab ea Congregatione Limericensi diffinitum fuerit invenio ? Sessionem autem si non ad 9 Augusti caepisse, certe illis diebus continuatam fuisse aliunde colligo.

2077
v

2078

Porro Praelati Momonienses etiam ipse Limericensis inde Galviam se receperunt, ubi (sicut vidimus) Congregationis Jacobopolitanae, quae 6 Augusti sedere caepit et 12 Augusti sententiam tulit, acta 23 Augusti rata habuerunt, eadem quoque illo ipso die rata habentibus Jacobo O Fallono, Vicario Apostolico Achadensi, et P. Petro Tiernano procuratore Ministri Provincialis Franciscanorum strictioris observantiae, quem Congregationibus illis abfuisse video, quod iisdem diebus Franciscani suum Capitulum Provinciale celebrarent, et spinosissimas controversias a fratribus illis suis, qui Ormonio et Ormonistis adhaeserant, in Ordine concitatas extricarent. Reperio etiam illa acta Galviae fuisse confirmata ab Olivero Decio, Vicario Generali Midensi.

(146) Interea Congregatio Jacobopolitana excommunicationis in eos, qui spreta ipsorum declaratione superius posita Ormonio adhaesuri essent, latae publicationem differendam censuerunt, donec Ormonius certis conditionibus ipsi propositis respondisset. Quem in finem duos, nempe Episcopum Dromoreensem, et Carolum O Kellaeum, Decanum Tuamensem, quem tanquam generis nobilitate, doctrina, virtutibus, praesertim causae Catholicae zelo conspicuum multi magnique per litteras ex Ibernia scriptas in Episcopum Elphinensem hoc anno postulaverant, allegarunt. Cumque molestum | esset ut omnes semper ad diffinienda controversiae capita sessionem continuarent, totam suam prosequendae controversiae autoritatem transtulerunt in certos Praelatos, quos propterea Congregationis Commissarios vocitari video. Porro hos, vel saltem ex his Rapotensem, Fernensem, Cluanfertensem, Cluanmacnosensem, et Dunensem fuisse colligendum videtur ex actorum postea conditorum subscriptionibus. Quis autem controversiae progressus atque exitus fuerit mox dicam.

(147) Medio tempore postulat rerum ordo ut (quod Jacobopoli Praelatis 12 Augusti non innotuisse colligitur ex ipsorum actis eodem die latis et superius positis) Waterfordiam biduo circiter ante acta illa apud Jacobopolim condita, et Duncaniam biduo post eadem lata hostibus deditam fuisse, et deditio rationem recenseamus. Itaque Kalendis Junii Cromuellici gener, et Cromuellici in Angliam acciti sub Parlamento Anglicano in Ibernia Deputatus, Clonmellia Waterfordiam scripsit, offerens quasdam conditiones ea lege ut civitas sibi dederetur. Ad quas Praefectus Generalis, Prestonus, Waterfordiae (nam Richardus O Ferallus, copiarum Ultoniensium legatus generalis,

qui civitatem illam hyeme superiori in Cromuellum praeclare defensaverat, eundem exercitum in Ultoniam secutus, praelio, quo vires illae hac aestate profligatae sunt, ita interfuit ut vix evaserit) tunc Gubernator, respondit se, licet veteranum militem nunquam fuisse rogatum, ut praesidium, cui praeesset, dederet absque obsidione, nec conditiones sibi quamlibet | obpresso fuisse oblitas antequam eas postularet. Cui respondit Iretonus, eum, quo magis veteranum militem eo fuisse infaciorem. Copias Parliamentarias et præsertim se non militiam tanquam vivendi artem profiteri, bellumque non protrahere sed finire velle, et Prestono atque aliis, nisi tractare mallent, nihil expectandum quam ut ad justam paenam subeundam se præparent. Porro 5° Junii triginta ex urbis primoribus, quibus Praetores et Vicecomites urbanos accenserent, Prestono libellum supplicem præsentarunt, rogantes ut de bonis et honorificis conditionibus cum hoste ageret. Idque ipsum eodem die Episcopus et e Clero urbano circiter octo Prestonum rogitarunt. Quod etiam novem ex primis præsidii ducibus, quibus Hugo O Nellus paulo ante Clonmellia (sicut vidimus) pridie quam hosti dederetur, Waterfordiam dilapsus annumeratur, expedire judicarunt, desperantes futurum ut Ormonius opem ferret. Verum inter ipsos et Iretonum de conditionibus non convenit illis optimas potentibus, et illo non nisi malas offerente. Itaque civitas aliquandiu ab Iretono commeatu interclusa, deindeque capto Caterlagho, et viribus, quae Waterfordiam eo modo intercludebant, copiarum, quae ex Caterlaghi obsidione jam absoluta advenerant, accessione firmatis, demum ita obsessa fuit ut Ormonio, qui Waterfordiensibus tanquam sibi minus quam vellet obtemperantibus succensebat, consulto monenteque inter ambas partes 6° Augusti de civitatis deditione conventum sit his conditionibus: |

(148) " 1° Ut tres abhinc dies, die Veneris proxima ad horam duodecimam civitas Waterfordensis cum omnibus navigiis, tormentis bellicis, armis, apparatu militari, armamentariis, et re annonaria, quae ad promptuaria publica pertinet, absque ulla subtractione dedatur sua*e* Excellentiae, D. Deputato.

(149) " 2°. Ut Gubernator, omnesque officiales bellici, eorumque famuli et milites cujuscumque qualitatis et conditionis, nemine excepto, tuni discedant cum omnibus equis, bobus, aliisque bestiis sarcinariis, armis, et impedimentis, quisque suis, tympanistis pulsantibus, vexillis explicatis, fomiti-

2079

2079

v

bus utroque extremo ardentibus, glande plombea in unius-cujusque ore, pixidulis pulvere tormentario plenis, eodem ordine ac ritu, quo movere solent, idque ita ut omnia ipsis sint sarta tecta, donec Atloniam pervenerint confiendo per diem octo milliaria.

(150) "3°. Ut omnes duces equestres abscedant cum suis turmis, equis, insigniis erectis, buccinis sonantibus, sclopis et bombardis oneratis, donec Atloniam se receperint.

(151) "4°. Ut omnes cujuscumque status advenae atque incolae, qui equestres vel pedestres migrare voluerint, hos articulos participant.

(152) "5°. Ut omnes duces et milites nunc in civitate aegrotantes ibi sanitatis recuperandae causa remaneant, nullaque ipsis violentia inferatur, deindeque cum sarcinis et armis fide publica in eas, quas ipsi voluerint, Ibernorum partes concedant, exceptis locis obsessis.

2080 (153) "6°. Ut ducibus et militibus, qui in partes ultramarinas (excepta Anglia et Scotia) trajicere | desideraverint, fides publica concedatur, et in eum finem protegantur.

(154) "7°. Ut omnibus, qui in civitate se tenent, per tres menses integrum sit residuas bonorum partes transportare intra vel extra Regnum quo libuerit, et eorundem, qui cupierint atque idonei judicati fuerint, in civitate, modo instar aliorum tributa solvant, cum suis facultatibus permaneant, et ipsis cum discedere vel voluerint, vel jussi fuerint, trimestre spatium ad id concedatur.

Jacobus Prestonus. Turloghus O Nellus. Joannes
Walshaeus. Terentius Bagnallus. Zepherinus
Barronus. Paulus Waddingus."

(155) Huic exemplari obsessi sed alteri obsidentes vicissim subscriperunt. Urbe autem dedita, Praefectus generalis, Prestonus, aegrotans et claudicans, in civitate aliquandiu pedem fixit. Sed filius Jacobus Prestonus, Census equestris, cum septingentis (sic tunc Iretonus litteras in Angliam scribens calculum subduxit) militibus bene armatis abscessit. Porro idem Iretenus indidem 12 Augusti Londinum scripsit se reperisse Waterfordiam ita bene vallatam, et tanto civium numero, ac re cibaria saltem ad privatos homines pertinente instructam, ut miraretur quo pacto tam celarem facilemque fecissent dedicationem. Verum Episcopus | Waterfordiensis, testis *sua nova Excellentia* non modo locupletior sed etiam locupletissimus, qui paulo post captam urbem in Galliam exulavit, Nannetis P.

Lucae Waddingo, populari et concivi Waterfordiensi, Romam 3 Julii 1651 scripsit cives propriis expensis et praesidiarios milites per octo menses integros urbem defensasse, intereaque quina civium millia peste obiisse, nec residuos fuisse nisi centum quinquaginta praeter milites circiter trecentos vel quadrungentos, hosque ipsos et Prestonum ad Ormonium saepius scripsisse rogantes ut subveniret, diuque bonis pollicitationibus sed frustra lactatos, demum eo consulto et monente, non nisi ea necessitate coactos ut duodecim tantum pulveris nitrati dolia residua haberent, modo jam dicto hostibus succubuisse. 14 autem ejusdem mensis Augusti 1650 dedita fuit iisdem hostibus post longam obsidionem Duncania pene similibus conditionibus, mortuo aliquot retro mensibus Thoma Rochaeo propugnaculi Gubernatore. In cuius locum Episcopus Fernensis (sicut ipse nepoti Romam scripsit) cum praesidium illud ab ejus nutu penderet, Gelasium Smithaeum, propugnaculi antea Capellanum, substituerat, quem etiam conditionibus cum hoste circa dditionem pactis velut Gubernatorem subscrispsisse video, mera necessitate coactum ad dditionem, et ipsa peste in praesidiarios grassante.

(156) Jam ad Cleri et Ormonii contestationes redeo. Vidimus autem ad Ormonium a Congregatione Jacobopolitana allegatos fuisse Episcopum Dromorensim, | et Carolum O Kellaeum, Decanum Tuamensem. Quibus Clerus, Waterfordiae dditione nondum audita, et Duncania necdum dedita, sequentes instructiones Anglice dederunt, circa quas tollendae confusionis ergo lectorem praemoneo ea, quae numero 4° habentur, esse verborum formulam a praefatis duobus Ormonio dicendam.

2081

"Monita data Illustrissimo Domino Episcopo Dromorensi et R.P. Carolo O Kellaeo, Sac. Theologiae Doctori nec non Decano Tuamensi, ab Ecclesiastica Congregatione apud Jacobopolim celebrata ad Excellentissimum D. Proregem allegatis.

(157) " 1°. Suae Excellentiae repraesentabitis vastam Regni destructionem et desolationem, urbes quoque, loca et propugnacula, quae paucorum mensium spatio perdidimus, specialiter Vadipontum, Waterfordiam, Rossipontum, Killenniam, Clonmelliam, Carrigiam, Tecrohaniae, Caterlaghi, et Legliniae praesidia, et pene totas Lageniae ac Momoniae Provincias cum earum ecclesiis, urbemque Waterfordensem, et

Duncaniae propugnaculum, cum ab hoste obsideantur, nullaeque vires aut exercitus appareant, qui ipsis opem ferant, esse in statu desperato, et verisimiliter perdenda, peneque ex quatuor hujus Nationis partibus tres ad pendenda hosti tributa esse redactas, et ea ratione Regno (ut verisimiliter est) excidium imminere.

(158) " 2°. Populum, cum nullum quod defendatur exercitum videat, eo devenisse, ut recuperandi quicquid perditum est, vel defendendi quod possidemus spem abjecerit, et in vitarum ac bonorum securitatem ad paciscendum cum Parlamento propendeat. Hac conventione religio Catholica citra dubium extinguetur, Regis authoritas excutietur, et Natio primum ad servitutem redigetur, demumque divulsis ramis et radicibus extirpabitur.

(159) " 3°. Ex hujus Congregationis parte ejusque nomine coram Deo, Angelis, et hominibus protestabimini hujus Regni Praelatos totis nervis ac viribus in id animos intendisse, ut populi timores ac suspiciones, quibus non nulli praesentes calamitates ascriebant, tollerent, et hos timores auferre non posse, cum reperiant universalem esse populi opinionem quod id infortunii modernum Regimen concomitatur.

(160) " 4°. Quare ex conscientiae legibus procedentes, et viam ac remedium, quo haec Natio et in ea suae Majestatis jus praeservetur, nullum invenientes aliud quam ut Excellentia vestra, quo plena ruina et excidium evitetur, quantocvus ad suam Majeſtatem se conferat, et Regis autoritatem talibus viris deleget qui suaे Majestati fideles sint, et in quibus natio spem ponat, iisque quos populi studium et confidentia sequatur adeo ut exinde hostis rabies et furor reprimatur; hoc arduum negotium, in quo istius Nationis et Regiae authoritatis vel tutela vel ruina vertitur, tuae prudentiae considerandum humiliter offerunt, sperantes futurum ut (modo tua Excellentia suae Majestati assistat, et ratione jam dicta aliis Regis autoritatem tuto committat) Regnum, Deo auspice, se defendat, donec sua Majestas opem ferat. Interea Praelati quicquid poterunt, praestabunt, quo illos, quibus gubernandi potestas credita fuerit, secundent.

(161) " 5°. Decernitur ut Episcopus Dromorensis et Doctor Kellaeus ad proferenda ipsa verba numero 4° concepta teneantur.

(162) " 6°. Rogabitis suam Excellentiam ut vobis intra . . . dies respondere dignetur, cum sic illi, a quibus mittimini, vos jusserint, quod in eo sint rerum statu ut diu una esse nequeant.

(163) " 7°. Si sua Excellentia iis, de quibus instructiones

2081
v

Concepia
verborum
formula
Ormonio
dicenda.

2082

vestrae mentionem non faciunt, authoritatem a se credendam dixerit, ingenue dicite Regnum ab afflictionum et discordiarum periculo non liberandum, si illi ad gubernandum fuerint delegati.

(164) "8°. Si sua Excellentia interrogaverit quos idoneos fore judicetis, eos, quorum vestrae instructiones mentionem faciunt, praesentate. Si autem illos autoritate munire detrectaverit, aperite ipsi quantopere timetis, ne Regnum aliis ad Regiminis clavum sessuris, in praeceps deferatur. Porro hac ingenua et sincera sensorum expressione conscientiis vestris satisfacietis. Si sua Excellentia se Regno abscessurum responderit, praesertim si de tempore locuta fuerit, ea occasione suam Excellentiam interrogetis, quando se paratum iri existimet ad navigandum et transmigrandum ad suam Majestatem. Observate bene ejus verba et sermonis circumstantiam. Scilicet nunquid sincere | loquatur, vel ea mente ut vos deludat, et postulationi moras nectat? Ubi in vestrum cubiculum secesseritis, eo spectantia ejus verba, vel saltem eorum summam, quam poteritis exactissime, scriptis mandabitis et mox ac responsum receperitis omni conveniente festinatione ad nos, vel ad constitutos a nobis Commissarios tunc Galviae commoraturos redibitis.

(165) "9°. Commissarii, quibus sua Excellentia humiliter rogatur ut Regiam suae Majestatis autoritatem deleget, sunt ex Provinciis bini, nominatim ex Lagenia Nicolaus Plunkettus, ordinis equestris, et Terentius Mac-Coghlanus, armiger, ex Ultonia Philippus O Rellius, et Turloghus O Boillus, armigeri. Ex Conacia Marchio Clanricardiae et Dermitius O Seaghnsius. Ex Momonia Vicecomes Rochaeus et Zepherinus Barronus. Ex quibus octo sua Excellentia quatuor, nempe ex Provinciis singulos diligere dignabitur, quibus relinquat regiam autoritatem, qua afflicti hujus Regni negotia tractent. Inter multa media ad praeservandum quicquid possidemus, et ad recuperandum quod perdidimus, a nobis excogitata hoc arbitramur esse optimum et tutissimum, tam ad ponendum in seguro suae Majestatis jus, quam ad populi arma et animos nobis conciliandos. Tunc enim nulla Provinciarum in administranda justitia aequalitatem | non expectabit, proindeque suspiciones omnes et diffidentiae evanescunt, et mutuuus amor ac confidentia neminem non occupabit. Verum si sua Excellentia ad tantam provinciam facilius obeundam magis convenire duxerit, ut omnes octo potius eligat, id huic Congregationi gratum erit, quae propterea id relinquit judiciae optioni suae Excellentiae.

2082
v

2083

(166) "10°. Utendum vobis erit eloquentia, et Apologia vestra quam possitis efficacissima in Nicolai Plunketti, Equitis, favorem ut, si sua Excellentia quatuor tantum delegerit, Nicolaus nullo modo illis non accenseatur, tum ob magnam spem a sua Majestate et Regio ejus patre in ipsius integritate ac fidelitate collocatam, tum etiam quod adeo sit Nationi universaliter acceptus, et in Regni rebus tam bene versatus, ut ipso excluso caeteri forsan errare possent.

(167) "11°. Suae Excellentiae exponetis jam esse Praelatorum sententiam atque humilem opinionem ut ii, quibus Regni authoritas credita fuerit, mox sedeant, et negotia omnia ad ejusdem defensionem conducentia tractent absque ulla suorum mandatorum vel actionum alteratione. Praeterea ipsi representabitis eam esse Praelatorum mentem, ut omni animi studio ac diligentia ejusmodi Commissariis adsint. Caeterum exactam facienda vobis responsionis notitiam capietis et eandem (sicut superius dictum est) referetis." Hactenus illa monita.

(168) Dromoriensis atque ejus collega Loghreaghum ex Clanricardii palatiis alterum, ubi tunc Ormonius se teneret, | 2083 12 Augusti pervenerunt, et sua apud eum legatione incassum functi Galviam concesserunt, ubi 14° Augusti eandem ad Praelatos a Synodo in Commissarios cooptatos retulerunt.

v
(169) Inter haec circa censuras a Nuncio anno 1648 ob armorum cessationem cum Insequinno contractam fulminatas novam video ortam fuisse tempestatem. Nam Episcopus Chancertensis, cui Nuncius a censuris illis absolvendi potestatem delegaverat, ad exercitum Conaciensem sub Clanricardio militarem litteras zelo vere Catholico plenas dedit, exhortans ut praefatis Nuncii censuris absolvi vellent a P. Daniele O Kellaeo, Ordinis Franciscani Diffinitore Provinciali, earundem litterarum latore, cui ipse absolvendi potestatem fecerat. Monuit etiam ut instrumento a se per eundem missio subscriberent, deinde ad suam Sanctitatem in Urbem transmittendo, quo ei ipsorum paenitentia et submissio innotesceret. Cumque sciret Nuncium sibi a praefatis censuris absolvendi autoritatem delegasse non ad induciarum jam dictarum authores et praeципuos promotores quomodocumque, sed certis conditionibus extendendam, P. Danieli commisit ut hos absolveret ad cautelam, transmissurus praefatum instrumentum, quo fieret ut Pontifex suam omnibus etiam his benedictionem impertiret.

Inculcabat quoque timendum ne Deus ob contractas et spretas eas censuras tanto malorum diluvio Nationem inundarit, et indies inundaturus esset, donec resipiscerent, addebatque | licet ii, ad quos scribebat, se forsan in ea controversia haud peccasse existimarent, in dubiis tamen tutiorem partem esse eligendam. Verum me latet quorsum Cluanfertensis ad cautelam absolvendos voluerit eos, ad quos facultas ipsi 19 Februarii 1649 a Nuncii delegata, et suo loco posita se non extenderit nisi certis conditionibus et limitationibus, quae non conditionatam nec dubiam, sed absolutam culpae confessionem, paenitentiam perfectam, et plenam et praeviam satisfactionem redolent. Nec video quid hic responderetur, nisi forsan et ipsos ad expeditionem militarem se accingentes fuisse absolvendos sub conditione secuturae tunc eorum mortis, in cuius articulo nulla censura reservetur. Clanricardius autem, copiarum illarum Imperator, hanc operam in reconciliandis Deo atque Ecclesiae illis viribus a Cluanfertensi et P. Daniele O Kellaeo collocatam odoratus, litteris Loghreagho 4° Septembris 1650 ad Cluanfertensem datis animum omnino exacerbatum spirantibus significavit se tunc in reprimendis hostibus occupatum illo tempore, quo Regnum pene animam ageret, non expectasse ut Cluanfertensis illas discordias in apertam Catholicorum ruinam resuscitaret, sed potius militibus suas concordiam, qua velut virtute unita fortiores evaderent, praedicaret, et eos ad pietatem ac probitatem Christianam exhortaretur, rogavitque ut caeptis desisteret, et subjunxit se ex officio et boni publici studio suis copiis sub paena mortis preecepisse, necui citra suum consensum instrumento publico manus apponenterent. Quod etiam preecepit, datis Anglice ad sua castra his litteris, praeter alia | (credo) mandata, quae ad meas manus non pervenerunt.

2084

“ Majori Dudlaeo Costellogho vel cuicunque alii
Officiali Principali in castris ad Cellapolim sitis se
tenenti ducum reliquis communicanda.

2084

v

“ Domine.

(170) “ Cognito P. Daniele O Kellaeum, habita in tuis castris apud Cellapolim concione, publice dixisse se habere instrumentum tuis calculis roborandum, quo tuam submissionem circa fulminatam ab Illustrissimo Domino Nuncio excommunicationem significares, et tibi preescripsisse ut illi instrumento subscripturus Cluanfertam ad se die Dominica proxime futura venias; ne decipiari aut praejudicio, quod ex ea re sequi posset, non perpenso, illi instrumento subscribere velis,

te hisce monendum duxi, praecipiens tibi sub paena mortis non solum ut a subscribendo illi acto abstineas, sed etiam nulli imposterum instrumento publico manum apponas, nisi me super ea re prius consulto, et obtenta mea approbatione, nulloque praetextu te Cluanfertam conferas, sicut te idem P. Daniel O Kellaeus sollicitavit. Sic finem facio.

Portumnae 7 Septembris 1650.

Tuus benevolentissimus amicus.

Clanricardius."

(171) Ex his colligo Cluanfertensem et alios, quibus ille (credo) in eo negotio se instrumentum praebuit, ex piae et timoratae conscientiae regulis et pastorali sollicitudine cupisse ut cum circa illas censuras Pontifex nullam | sententiam solemni et forensi ritu judicariam tulisset, nec Nuncii adversarios nisi culpa agnita absolvendos duxisset, lis per humilem eorum paenitentiam dirimeretur, sed Clanricardium et Catholicorum partes adversus saltem illos ex Nuncii adversariis, qui paenitentiam eatenus non egerint, eo (nisi fallor) velut instrumento utentes, praxim illam praesertim acti subscriptionem duxisse sibi ipsis injuriosam. Ex quibus lector colligat hi Ormonistae in sua sententia citra dubium perversa quam perfracte perstiterint.

(172) Regressis ab Ormonio (sicut vidimus) duobus Congregationis Jacobopolitanae legatis, Praelati ab eo Cleri conventu in Commissarios antea cooptati, cum Ormonium Congregationis votis haud acquievisse vidissent, declarationem a praefata Synodo in Ormonium conditam atque annexam excommunicationem in eos, qui ei tanquam Proregi obtemperaturi essent, latam, sed in legationis jam dictae exitum hactenus suspensam, censuerunt promulgandam. Verum ut nullam antea viam suavem non tentarent, duos Episcopos, Corcagiensem et Cluanfertensem, ad Commissarios fiduciarios Ormonio in Regimine assistentes destinarunt, ut quae a Congregatione Jacobopolitana circa abdicandum magistratu Ormonium, et Regni gubernandi autoritatem in alios transferendam decreta essent, prudentius exequerentur. Quis autem hujus secundae legationis fructus fuerit, et quid Commissarii fiduciarii ad Congregationis Commissarios, et rursus hi deinde ad illoss cripserint, haud brevius discas, quam ex sequenti epistola | a Congregationis Commissariis ad Commissarios fiduciarios 6 Septembris 1650 Anglice exarata.

" Illustrissimi Domini.

(173) " Dum (sicut Illustrissimis DD. Episcopis Cluanfertensi

et Corcagiensi, cum istic legatione a nobis decreta fungerentur, proposuistis) vestrum consilium et remedia, quibus religio Catholica et Natio ab impendente ruina et excidio praeservaretur, expectaremus, epistolam vestram 2° hujus mensis datam recepimus, nihil eo spectans continentem, cujus summa hic sequitur.

(174) " 1°. Continet D. Proregem in eam ivisse sententiam, ut in Regno persistat.

(175) " 2°. Vestram super illo magni momenti negotio opinionem et judicium, nempe vos evidenter videre futurum ut Praelatorum omissio concurrendi ad debitam atque integrum obedientiam sua Majestatis authoritati exigendam inevitabili ruinae Regnum exponat. Quare ut fidei in vobis positae non desitis, nos monetis, fore ut (praesentibus Regis victoriis in Scotia atque Anglia perpensis) nisi censuris atque aliis modis inobedientiam tam civitatis Limericensis quam aliorum amolendam procuraverimus, nos et e Clero reliqui censendi simus non solum promovendae causae sua Majestatis manus auxiliares subtraxisse, sed etiam in totius Nationis ruinam cooperatos fuisse, idque in aversionem Regiminis sua Majestatis super nos. Inde etiam fore ut Regnum universum ejusdem criminis reum habeatur ob nos, velut qui majore in eorum animos autoritate valeamus et tamen nostram ostendamus renitentiam in promovendo obsequio, via unica, qua fiat ut contractae pacis conditiones participemus. |

(176) " 3°. Rogatis serio ut omnes ad absolutam obedientiam sua Majestatis authoritati praestandam, velut unicam rationem qua praesentibus hostium viribus occurratur, censuris compellamus. Nobis etiam asseveratis, haud mediocrem modo a D. Prorege cogi exercitum, ut maligna hostium dissipet consilia extirpandi nostram religionem et Nationem, et ad haec omnia postulatis nostram responsionem: quam et mittimus.

(177) " Quod ad primum attinet, Deum precabimur ut sua Excellentiae nobiscum continuatio religioni Catholicae, rebus Regiis, et populo Ibernico magis fausta sit, quam fuerint hactenus ejus actiones.

(178) " Ad secundum dicimus vestram nostri et actionum nostrarum opinionem esse nullam conscientiis nostris regulam, nec nos ejusmodi judicio evasuros magis santes aut insontes. Illi, qui nationem ad inevitabilem ruinam adduxerunt, Deo et Regi eo de crimine respondeant. Haud ignoratis nos, ex quo pax contracta erat, nullatenus tractasse nec exercitus nec

2086

v

Regni facultates, proindeque nec horum a nobis exigendam esse rationem. Jacobopoli a nobis Episcopo Dromorensi et Doctore Carolo O Kellaeo, Decano Tuamensi, ad suam Excellentiam, nec non Episcopis Cluanfertensi et Corcagiensi ad vos allegatis, per ea quae nunciarunt, sincere protestati sumus, nos totis viribus contendisse sed non potuisse cohibere timores et suspiciones populi, qui cum per vias vestras nihil reperiant, nisi preparationem ad ipsorum ruinam, haud possunt adduci ut in ejusmodi personis et actionibus spem ponant. Quare si sincerae protestationi nostrae in eo negotio fidem habuistis, nobis injuriam irrogatis prementes ut praestemus, quod nobis est impossibile. Si autem nobis non credidistis, nostram dignitatem et paternam in animas vestras autoritatem vilipendistis. Porro per praesentes universo mundo protestamur nihil nos invenire generaliter in hominum cordibus praeterquam desperationem eo pertingendi, ut vestra opera vel moderno regime (sicut res nunc geruntur) unquam natio restituatur, aut quod perditum est recuperetur. Quam luctuosam Regni conditionem ex nostro officio, et bona in religionem, Regis autoritatem, atque hanc gentem affectione sua Excellentiae omnium humilitate repraesentavimus, eam suae prudentiae relinquentes considerandam. Cum autem instetis, ut excommunicationem in civitatem Limericensem fulminemus, scire dignemini tradere civitatem et cives Sathanae, rem esse magni ponderis, nec fieri debere absque validis probationibus malitiosae eorum contumaciae, quam civitas evenisse inficiatur, nullamque in illos cives vidimus querelam nostris tribunalibus spiritualibus oblatam ad obtinendam ejusmodi excommunicationem. Ut est, Limericum ob sui praeservandi curam plus vobis debet quam Waterfordia, Duncania, aut quaecumque alia loca perdita, quae opem ita quaeritaverant, ut a vestra potentia atque affectione nihil obtinuerint.

2087

(179) "Pro Regis prosperitate et victoriis quotidianas preces fundimus, et semper fundemus, sperantes aliquam exinde faelicitatem et incolumentem ad nos derivandam, cum domi nihil boni vel certe parum expectemus. Lineis vestris operam datis ut nos carbone notetis, velut authoritati Regiae adversantes, et destruendae Nationis authores, quod nequeamus operari miracula in concilianda illis, quibus sui excidium ascribunt, populi affectione et obedientia. Hoc vestrum imputandae nobis culpae studium haud vos purgabit, et vos et nos aequa cito Aethiopem nigrum lavando dealbabimus, ac

populo persuadebimus, nos eorum ruinae reos esse, vel futurum ut vestris viis atque actionibus aut conserventur aut nitantur jure, quo articulorum pacis beneficium assequantur.

(180) "Magnopere gauderemus, si videremus D. Proregem haud mediocres (ut suggeretis) copias ducentem, et suam Excellentiam ac vos publicae salutis ergo, hosti et discrimini vicinos, quales a multis mensibus non fuistis. Verum in charta quidem et militum albo tantas, in castris autem tam paucas copias vidimus, ut de hac expeditione multum dubitemus. Ut finem faciamus, in lineis vestris (nam multi ex vobis ad nos ita tractandos adhibentur) parum reperimus affectionis et reverentiae filiorum patribus et spiritualibus directoribus obedientium, et arbitramur vobis (postquam populi substantiam inutiliter consumpsistis) decretum esse, ut patratum a vobis peccatum, omnium ruinam, in nos refundatis, sed conatu irrito, nam innocentia demum triumphum reportabit. Nec est cur desperemus tantum nobis in exteris nationibus esse autoritatis in defendendis nostris conscientiis et fama, quantum quibusvis, qui nos proscindere tentaverint, et si nulla alia ratione ad servandum populum concurrere nequiverimus, certe cum ipsis nosmet purgabimus, eosque | adhortabimur ut se ad alteram vitam praeparent, parum sperantes ut quae passi sunt, dispensia opera vestra resarciant. Quod ad nos ipsos spectat, certi sumus obtinendis ab hoste conditionibus haud melioribus morte in ordinis nostri odium. Quare Deum orabimus ut fortitudine et constantia christiana nos donet. Vos vero (sicut vestrum non nulli jam id cupiendi suspicionem subiistis) aliquando hostium favore digni evadere, et ejus imperio ac Regimini colla subjecere potestis, idque agendo magna fidelitate Regis autoritatem sustinebitis. Hoc est responsum nostrum a vobis desideratum, cui addimus nos orare ut tandem aliquando ad terribilem mensuram non respondeatis Deo de ecclesiis perditis, altarium demolitione, rerum sacrarum prophanatione, et magna Catholicae Iberniae sanguinis effusione. Sic remaneamus

Galviae,

6 Septembris 1650.

Vestrum studiosissimi amici

Joannes Rapotensis. Franciscus Aladensis.

Nicolaus Fernensis. Fr. Arthurus Dunensis et Connerensis."

(181) Itaque post controversiam litteris et legationibus

2087
v

magna opinionum et studiorum discrepantia incassum agitatum, demum Praelati, Congregationis Jacobopolitanae Commissarii, nullum aliud remedium superesse judicantes, et populi ejulatibus plus solito | pressi, declarationem et excommunicationem
 2088 12 Augusti Jacobopoli a Clero conceptam, sed rerum suaviter componendarum spe hactenus suspensam, censuerunt toto Regno 14 Septembris, die Exaltationi Sanctae Crucis sacra, promulgandam. Qua mente Episcopus Cluanfertensis et Carolus O Kellaeus, Decanus Tuamensis, a Cleri Commissariis missi, ad castra Conaciensia perrexerunt, ibique ex injuncto mandato ea acta promulgarunt. Qua publicatione in aliis pariter locis, praesertim a Parochis et Religiosis facta, quidam, qui eidem promulgationi apud Loghreagh in Episcopi Cluanfertensis diaecesi intererant, mox Ormonio rem retulit. Ille autem submissis, quos ad obsequium haberet, militibus Anglicis, Episcopum Laonensem haud longe distantem prehendi jussit, inque ejus pecuniam, mille et quadringentas libras sterlingas (quas Episcopus pro turma equitum contra hostes adornanda asservarat), nec non in ejus supellectilem, arma, equos, atque utensilia involavit, quod Laonensis actis illis Jacobopolitanis subscrisisset, et Congregationis seu ejus Commissariorum autoritate milites conscriberet. Praelatum quoque ipsum in custodiam dedit. Quae aliis Episcopis novam Ormonio succensendi causam ter legitimam pepererunt, adeo ut (sicut videbimus) suam interposuerint autoritatem, quo libertate donaretur, atque in integrum restitueretur.

2088 v (182) Inter haec aliae supervenerunt difficultates. Nam | copiarum hostilium Imperator, et Parlamenti Anglicani in Ibernia *Deputatus*, Iretonus, Waterfordia ac Duncania ante medium Augustum expugnatis, copias divisit. Quarum partem sub Harderso Wallero, Equite aurato, in Comitatum Limericensem destinavit, ut Limericum commeatu ac re annonaria intercluderent, et viam sibi ad urbem obsidendum muniret. Cum altera parte per Comitatum Wickloensem, aliasque Lageniae regiones movit, ut Catholicorum ibi vires dissiparet, suum exercitum eorum armentis reficeret, et Tecrohaniae annonam atque apparatus bellicum suppeditaret. Verum in illa expeditione haud multum profecit, exercitu ejus jam obsidionibus et laboribus attrito, et ultra modum macerato. Captio autem in Ultonia (sicut vidimus) praesidio Carolumontano, Carolus Cootus cum suis viribus ex ea Provincia eodem tempore processit, Iretoni copiis coalitus, ut Atloniam, quam

sibi Ormonistarum in ea arce dominantium proditione permittendam expectabant, in potestatem reciperent, deindeque illius propugnaculi ponte in Conaciae Provinciam et Tomoniam, regiones hactenus ab hoste intactas et ibi atque alibi longo Sineni fluminis ambitu atque interpositu ex una parte, et Oceano ex altera inaccessibles, in quibus Congregationis Commissarii et Ormonius cum suis Commissariis fiduciariis se tenebant, irrumperent. Eodem ergo mense Septembris, quo declaratio et excommunicatio Jacobopolitana demum promulgata fuit, hostes modo jam dicto in Conaciā et Tomoniam penetrare moliebantur. Quare iisdem actis 14° Septembris publicatis Clanricardius, qui ad Atloniam hostes reprimere satagebat, 20 Septembris minaces indidem litteras dedit, significans quam ipse moleste ferret, eum et Decanum Tuamensem, quo dixi, modo se gessisse. Addiditque illius excommunicationis promulgatione efficiendum ut excusso Ormonii jugo natio in propriam ruinam pacis cum eodem Prorege conditiones prior violaret, atque adeo omni ejusdem pacis beneficio frustrari mereretur. Subjunxit etiam se potius quam id permitteret, post illam expeditionem conaturum ut ambos prehenderet, in Regni et Regis obsequium singulare, idque ne secus cum ipsis connivendo dignus evaderet qui capite lueret. Eodem etiam die ex iisdem castris Atloniensibus D. Terentio MacCaghlan plenum querimoniis eodem spectantibus epistolium scripsit, quibus inter alia duos Episcopos Cluanmacnosiensem et Laghlenensem exleges silvestres, pro solita in Ecclesiam et ecclesiasticos irreverentia appellavit, excandescens quod acta Jacobopolitana magno zelo ad Congregationis Ecclesiasticae mentem executioni mandare satagerent, et milites in novi Regiminis defensionem, proindeque in Ormonii exauthorationem scribendos curarent. Declaratione autem illa et annexa excommunicatione promulgata, Commissarii fiduciarii Athuniae Baronem et Zepherinum Brounum ad Cleri Commissarios Galviam allegarunt, quo eorum nomine non nulla proponerent, quibus controversiam sopirent, quatenus unitis viribus hostes in Conaciā irrupturos repulsarent. Quae autem ambo proposuerint, et Congregationis Commissarii quid responderint, ex ambarum partium actis Anglicis Latine verto :

2089

2089

v

"Athunrii et Brouni propositiones ex parte Commissariorum fiduciariorum.

(183) "Cum heri Illustrissimis Dominationibus vestris

rationes et causas, ob quas a Commissariis fiduciariis missi eramus, nec non ea, quae ad praesentes discordias componendas proponunt, exposuerimus, et Illustrissimarum Dominationum vestrarum responsiones ad ea audiverimus, aequum duximus earundem propositionum summam scripto mandare, et Illustrissimas Dominationes vestras humiliter rogamus ut ad easdem scripto pariter respondeant.

(184) "1°. Ante omnia postulavimus ut excommunicatio in omnibus Regni partibus generaliter suspenderetur, quatenus praesentibus hostium consiliis et omnibus eorum viribus ad ea exequenda congregatis resistatur.

(185) "2°. Illustrissimis Dominationibus vestris expressimus quantopere Commissarii opus esse duxerint ut operam daretis, quatenus aliquam excogitaretis viam, qua D. Prorex in sua persona Regis autoritatem inter nos continuaret, quo omnibus suspicionibus, quas sua Majestas de aliis in suam Excellentiam patratis concipere et fovere posset, obviaretur. |

2090 (186) "3°. Ostendimus articulorum pacis beneficium, nationis quoque honorem, fidelitatem, et securitatem a servanda super se Majestatis suae autoritate dependere, et Commissarios sperare D. Proregem nihil non effecturum ut Patriae incolitati consultant (quod nisi omnes unitis viribus concurrant, praestari nequit), et eosdem expectare ut eo fine ad Regis autoritatem D. Marchioni Clanricardiae relinquendam adducatur, modo id omnibus acceptum foret, et plena ipsi obedientia exhiberetur. Quare Commissarii cupiunt ut Illustrissimae Dominationes vestrae cooperentur, et eidem rei peragendae conatus adhibeant, persuadendo suae Excellentiae (Clanricardio) ut idem munus acceptet. Galviae 28 Septembbris, 1650.

Athunrius. Zepherinus Brounus."

"Commissariorum Cleri responsiones ad praefatas propositiones."

(187) "Ad 1^m consentimus ut, habita praesentis discriminis ratione, et considerata communibus hostibus occurrendi necessitate, excommunicatio, donec aliter decreverimus, in omnibus Regni partibus generaliter suspendatur. Episcopis tamen et ordinariis in remotis partibus respective, et specialiter in Lageniae Provincia, integrum sit, habita notitia, in ea re se gerere sicut suis gregibus et sedibus expedire judicaverint. Civitas etiam Limericensis sui Episcopi prudentiae relinquitur.

Generali autem suspensione concessa, Episcopi | et alii ex Clero, illique omnes, qui ipsis adhaerent, vel excommunicationi morem gesserunt, tam milites quam alii a quacumque imputatione et paena immunes sint, et absque ulla suarum personarum, libertatum, ac fortunarum discrimine, perinde atque alii quicunque, modis omnibus, eorum quibus Regimen creditum est vel fuerit, favore et protectione nitantur, et Episcopus Laonensis omnesque alii ob quacumque causam, ex eo quod Cleri censuris adhaeserint, natam in custodiam dati vel praejudicium passi, libertate donentur, suaque ipsis pecunia et bona restituantur.

(188) "Quoad secundum non reperimus in potestate nostra positum ut efficiamus quod desideratis.

(189) "Quod ad 3^m semper desideravimus ut suae Majestatis authoritas super populum et nos servaretur, et juxta Congregationis Jacobopolitanae mentem cupimus ut eadem Excellentissimo D. Marchioni Clanricardiae relinquatur. In eum etiam scopum nosmetipsos apud D. Proregem intercessores praeberemus, siquo apud eum favore vel gratia polleremus. Marchioni Clanricardiae, modo Regis authoritas ipsi delegetur, plenam obedientiam praestandam esse censemus. Saltem nos totis viribus contendemus ut id fiat, et suae Excellentiae persuadeamus quatenus eam provinciam obeundam acceptet.

Galviae,

29 Septembris 1650.

Joannes Rapotensis. Franciscus Aladensis.

Nicolaus Fernensis. Walterus Cluanfertensis.

Fr. Hugo Duacensis." |

(190) Hoc ipso die 29 Septembris hi ipsi Praelati fidem hic 2091 datam liberarunt, edito Anglice decreto, quo suspensa juxta limitationem numero 1^o insertam praefata excommunicatione, Catholicos omnes ad communem hostem unanimiter repulsandum invitarunt. Nec oblivioni tradendum est, Congregationis Jacobopolitanae Commissarios operam ante dedisse ut milites jam autorati, non Ormonio, nec ejus fautori, Clanricardio, sed sibi ipsis juxta Congregationis acta in Ecclesiae et Patriae bonum militarent, et in eum finem vires etiam ex aliis Regni Provinciis sibi suppetias venirent, aliaeque recentiores conscriberentur, condicto coalitionis loco, Fontipoli, Ibernice Baille-an-Tobair:—"Ex comitatu de Cavan (inquit P. Franciscus Magruarcus, strictioris observantiae Franciscanus) me ipso ex parte Cleri eos convocante, accessere sexcenti equites

2091

v

et sesqui mille pedites, et totidem alii venire parati ad Cleri instantiam. Ex Conacia circiter quatuor millia pedites, et octingenti equites. Ex Lagenia quatuor millia peditum et non nulli equites sub conductu Bernardi Mac-Phelim, Lisachi O Morra, Danielis Cavanagh, &c. Ex Momonia accessuri non dubitabantur Mac-Cartha, O Sullevan, O Driscol, O Conor, Roch, et Castel-Conel. Ibidem faciem suam non verentur ostendere et contra Ormonium et contra communem hostem Hugo O Neill, *Major Generalis* et Moriartus O Brien, inter utrumque ad locum qui dicitur | *Partin* in angustiis positi, quibus ante paucos dies succurrent nostri hic commorantes ex parte Cleri Commissarii." Haec ille litteris 5 Octobris 1650 Galviae scriptis et Romam missis. Alibi autem lego Praelatos, suspensa excommunicatione, duo circiter vel tria Ultoniensium et Conaciensium millia Bernardo O Nello, Alexandro Mac-Donel, et Ranald Mac-Donel ducibus, ad Atloniam contra hostes tunc defendendam destinasse. Quo factum ut combusta a nostris illa Atloniae parte, quae Midiae contermina est, hostes, re infecta, resilierint. Quorum alii sub Cooto in Media Occidental diversa loca, quo Catholicorum ex Conacia eruptionem impedirent, praesidiis munierunt, alii suos antea post Waterfordiae et Duncaniae deditioinem in Comitatum Limericensem premissos secuti sunt. Qui illius viciniae Castella partim expugnarent, partim ante ab Ibernis diruta opere tumultuario ex ruderibus restituerunt, et praesidiis vallarunt, quo Limericum commeatu primum et commercio intercluderent, deindeque proprius obsiderent.

(191) Sineno quoque flumine, in Conaciam et Tomoniam penetrare conati sunt, sed ab Ibernis repressi. Quinetiam sperantes quorundam civium scelere et perfidia Limericum sibi prodendum ludicram ejus obsidionem inchoarunt. De qua re Doctor Enos: "Obsidebant (inquit) hostes civitatem primum anno 1650 mense Septembri. Cum vero ob exercitus sui paucitatem et debilitatem laxissimam illam et munitissimam civitatem justa et integra obsidione undequaque obsidere non poterant, illam ab una duntaxat parte | obsidebant. Eorum autem ab altera parte defectum supplere conatus est ipse Ormonius. Qui ad urbem prope accedens introitum postulat, suos introducere omni conatu intendens. Sed Limericenses ex proditionibus aliorum locorum, in quos ejus praesidiarii introducti fuerant, sufficienter edocti, nec illum, ejusve praesidiarios in civitatem admittere voluerunt. Statuerunt enim

Just.
cap. 17.
num. 14.

2092

nullos nisi Ultonienses praesidiarios admittere. Indignabundus Ormonius sub horam 9am ante meridianam recedens, oppidulum civitati proximum incendio absumpsit. Hostis vero ab altera parte, qui jam fixam sibi inibi firmavit stationem, ubi Ormonium in civitatem non admissum, sed omnino recedentem viderat, omnibus convasatis reculis, subductisque impedimentis et tormentis sub horam 2am promeridianam ultra recedens obsidionem solvit, hanc civibus imprimens suspicionem utrumque, Ormonium et hostem communi conspiratione civitatis proditionem fuisse machinatum. Unde ex maenibus vociferantes et inclamantes hostibus exprobrarunt, quod jam ab obsidione ultro recesserint, eo quod Ormonius prodenda civitatis spe excidens jam ante recesserat." Haec ille.

(192) Hugo Rochfordus authoritate publica ex Ibernia missus ad superiores hujus anni menses cum Lotharingo in Belgio de ope Iberniae ferenda egerat. Qua spe a Lotharingo facta, ita ad eum Ormonius Vicecomitem Taaffum allegaverat, ut ortis inter Clerum et Ormonium discordiis, Congregationis Jacobopolitanae Commissarii illa subsidia Ormonio et fautoribus praerepturi legationem eo si non alio spectantem Fernensi et Rochfordo decreverunt hoc mandato: |

(193) " Nos Commissarii deputati a Congregatione Cleri totius Regni Iberniae habita in oppido Jamestown die 6 Augusti anno salutis 1650, cum authoritate et potestate ejusdem Congregationis ad tractanda, disponenda, expedienda, et agenda quaecunque negotia spectantia et conducentia ad Catholicae hoc in Regno religionis, Regiorum jurium, et hujus Nationis conservationem (prout constat ex commissione Congregationis super hac data 11 ejusdem Augusti anni 1650), reponentes specialem ac certam fiduciam et confidentiam in prudentia, fidelitate, et integritate dilectorum nobis Illustrissimi et Reverendissimi D. Nicolai French, Episcopi Fernensis, Comitis et Assistantis sacrae Capellae Pontificiae, et D. Hugonis de Rupe Forti, alias Rochford, Armigeri, constituimus, nominavimus, et authorizavimus, prout hisce constituimus, nominamus, et authorizamus Procuratores nostros dictos Dominos, Nicolaum et Hugonem, et quemlibet illorum junctim et separatim, nostro et Catholicorum hujus Regni nomine, ad proponendum, agendum, perficiendum, ac conveniendum cum quovis Catholicis Principe, Statu, Republica, persona aut personis, quocunque negotium aut rem, quae dictis Reverendissimo Domino Nicolao et D. Hugoni, Procuratoribus nostris, aut cuivis illorum, junctim

2092
v

Ponc.
Vindic.
Evers.
p. 284.

ac separatim, videbitur seu judicabitur necessaria, expediens, aut conducens ad Catholicae inter nos Religionis, Regis, et Nationis conservationem, et hisce promittimus, spondemus, ac in nos suscipimus, nostro et Catholicorum Regni nomine, quod testificabimur, | approbabimus, confirmabimus, et praestabimus quemcunque actum, pactum aut conventionem dicti Reverendissimus Dominus Nicolaus et D. Hugo, Procuratores nostri, aut quilibet illorum ager, concludet, aut determinabit virtute hujus nostrae Commissionis. Datum Galviae 5 Octobris anno Domini 1650.

Franciscus Aladensis Episcopus, Procurator D. Joannis Archiepiscopi Tuamensis. Fr. Thomas Archiepiscopus Dubliniensis et Iberniae Primas. Joannes Rapotensis Episcopus, Procurator Primatis Ardmachani. Walterus Cluanfertensis Episcopus, Procurator Lageniensis Episcopi. Fr. Antonius Episcopus Cluanmacnosiensis. Fr. Arthurus Dunensis et Conerensis."

(194) Praelati declarationi Jacobopolitanae et censuris exequendas, nec non subsidiis hac via procurandis institissent. Sed non institerunt, atqui consenserunt, ut pseudo-Comitia celebarentur, in quibus Ormonius et Ormonistae omnem ipsis rerum bene gerendarum rationem praecluserunt, sicut inferius videbimus.

(195) Interea Iberni in Comitatu Wexfordensi pedites equitesque circiter quadringenti, Joanne Dungano, Equite aurato, et Scurloco, ducibus, cum Anglis numero circiter paribus ad manus venerunt, eosque partim ceciderunt, partim ceperunt, exceptis qui fuga saluti consuluerunt.

(196) Hostibus tunc Conaciae invasione frustratis, Ormonii toto Regno adversarii sperabant fore ut Congregationis Jacobopolitanae Commissarii declarationis in eum Jacobopoli a Clero conditae, atque annexae excommunicationis suspensionem praeftatae defensionis ergo petitam et pro Commissariorum jam | dictorum arbitrio concessam tollerent, actaque illa executioni mandarent, quo Ormonius exauthoraretur. Ex altera vero parte Ormonius, Commissarii fiduciarii pene omnes ab ejus nutu pendentes, Clanricardius, Insequinnius, eorumque fautores nullum non movebant lapidem, quo Congregationis Commissarii dicta sua acta funditus rescinderent. Verum interea nuncia ex Scotia in Iberniam allata sunt, quae causam et

casum mutarunt. Quae ut melius recenseam, Angliae tunc et Scotiae faciem breviter delineabo.

(197) Rex Carolus 2us ex Continente ante aliquot menses in Scotiam transvectus, magnas et multas ibi superavit difficultates ut discordes Calvinistarum Scoticarum factiones componeret, et universa eorum Natio se in Regem agnosceret, suamque causam in rebelles Angliae Parliamentarios propugnarent. Dum autem uterque exercitus, Scoticus Regi et Anglicus Parlamento sub Cromuello ex Ibernia accito militans in alterum moveret, Rex pessimis Consiliariis cinctus, et jam pestilentissimis Calvinistarum Scoticorum dogmatibus infectus, Praesbyteriana quoque factionis a Regicidis Independentibus in Anglia depresso coalitione suas in tribus Regnis vires inter tantum Coronae discrimen aucturus, 16 Augusti 1650 Dunferlini in Scotia turpissimam declarationem Edinburgi typis mandatam edidit, qua inter alia multa partium suarum inter haereticos augendarum | incitamenta palam fecit se in sceleratissimum faedus Calvinisticum, quod trium Regnorum rebelles haeretici adversus ejus patrem et Protestantes, nedum adversus Catholicos, ad annos superiores inter se pacti fuerant, jurasse, idque a se imposterum totis viribus in tribus Regnis promovendum, nec se alios quam illius impiissimi et barbari faederis hostes aut amicos habiturum. De Iberniae autem Catholicis, et pace illa ipsius Regis jussu et mandato anno 1649 cum Ormonio conclusa speciale illa declaratio mentionem faciens : "Cum (inquit) sua Majestas in conscientia persuasum habeat tractatum et pacem cum illis rebellibus Ibernis, qui tot fidelium atque obsequiosorum ejus subditorum sanguinem in Ibernia perfide fuderant, celebratam, et concessam ipsis Papisticae religionis exercendae libertatem, ob quam ex animo coram Deo profunde humiliari desiderat, maximopere peccaminosam esse atque illicitam, cumque consideret quoties illi ex ipsorum parte fidem violaverint, eandem vacuam esse et suam Majestatem ad eam non teneri declarat, sincere dolens quod sui Throni recuperandi causa ad auxilia tam illicita recursum habuerit, et apud se statuens imposterum potius eligere afflictionem quam peccatum." Sic illa immanissima declaratio. Qua etiam Rex palam fecit se mandata omnia quibuscumque faederi jam dicto adversantibus concessa revocasse. Per quam clausulam potestas Ormonio facta evanuit. Haec ergo nuncia in Ibernia praeter spem a Rege antea factam accepta, si non ipso Ormonio certe Catholicis molestiam exhibuerunt. Hinc Ormonius, ubi eam

2094

Regis declarationem accepisset, ad Commissarios fiduciarios quid scripserit hic ex verbis ejus Anglicis Latine verto : |

2094 v (198) " Nuper (inquit) certiores facti suam Majestatem fuisse
inductam ut tam nuperae sua Majestatis, glorioissimae memoriae, quam sua Majestatis nunc regnantis autoritate contractam in hoc Regno anno 1649 pacem esse vacuam, et se ad eam non teneri declararet, honoris nostri vindicandi studio necessarium esse duximus vobis ingenue probare non minus quicquid nobis cum sua Majestate intercesserit, quod ejusmodi declarationi obtendi potuerit, quam quod nos ipsi circa eandem sentiamus. Certissimum est nos identidem conatos fuisse ut sua Majestati genuinam rerum suarum curae nostrae generaliter commissarum rationem redderemus, nec committere potuisse quin varias authoritatis suaे vilipensiones ei significaremus. Ob quas, nec non ob residuarum urbium inobedientiam, si in ea persisteretur, omnis notatu digni obsequii ipsi praestandi, vel Regni a rebellibus defendendi animum desponderamus. Verum in omnibus, quas direximus, litteris curam adhibuimus ut sua Majestas intelligeret nobilitatem et majorem populi partem semper remansisse sua Majestati fidelem, ejus authoritati obtemperantem, et dignam ejus favore ac protectione. Utrum aliquae ex his litteris ad sua Majestatis manus pervenerint, vel si pervenerint, utrum id ante potius quam post editam hanc ejus in pacem declarationem evenerit, ignoramus ? Verum Majestatis suaē declarationem p̄ae caeteris conclusae cum hac natione pacis invaliditate niti reperimus et transgressiones ex nationis parte factae non nisi generaliter et per transennam ibi memorantur. Itaque licet ejus authoritas multifariam vilipensa fuerit, et usque in diem hanc in contumacia obstinate persistatur ; idque in ejusmodi locis, a quibus dependet, ut Regnum universum servetur, vel perdatur, et in rebellium potestatem |
2095 veniat, quod vobis saepius notum fecimus, et quo loca jam dicta ad obsequium revocaremus, vias, quas ipsi ineundas duxistis, nullo successu inivimus, nihilominus considerantes declarationem inauditis iis, quae eadem natio suaē defensionis ergo dicere posset a sua Majestate esse obtentam, et talem, quae nationem absque exceptione generaliter rebellionis culpa involvit, eosque ipsos, qui maxima insolentia Regiam authoritatem invaserunt, et populum a suo obsequio revocare conatis, etiamnum praetendere futurum ut apud suam Majestatem de nobis querelam moveant, atque adeo ostendere fore ut ejus sententiae se submittant ; vobis intimandum duximus, nobis,

non obstante illa declaratione, quae aliqua via indebita a sua Majestate obtenta fuit, esse decretum omnibus modis, quos Deus pro suo beneplacito nobis subministraverit, et per omnia discrimina ex hujus nationis parte conclusae pacis validitatipraefatarum authoritatum vigore insistere et eam asserere, atque ostendere eandem pacem esse semper validam, vigere, et suam Majestatem omnesque ejus subditos ad eam observandam teneri. In qua animi sententia nobiscum statuimus Dei ope perseverare, donec et nobis et illis, qui in eum finem ab hac natione missi atque authorizati fuerint, liber et securus ad suam Majestatem aditus patuerit, et donec ad maturam nec coactam omnium, quae ex omnibus partibus dici possent, considerationem sua Majestas regiam circa praedictas suae authoritatis prophanationes voluntatem manifestaverit, ea tamen conditione ut interea atque abjecta cunctatione omnia acta, declarationes, et excommunications ab Episcopis ultimo mense Augusto Jacobopolim coactis latae, quibus populo, ne nobis tanquam Proregi obsequatur, interdicitur, ab ipsis refigantur, | eaque, de qua inter nos et vos Commissarios pacis articulis invigilandi autoritate munitos convenerit, ab ipsis praestetur securitas nihil simile imposterum nec a se, nec ab eorum ullo attentandum, et fore ut se contineant intra limites praescriptos articulis pacis, cui subscriperant." Haec Ormonius 23 Octobris anno 1650.

2095

v

(199) Hanc porro epistolam ab eo scriptam fuisse fidem fecerunt Commissarii fiduciarii, Athunrius, Lucas Dillonus, Nicolaus Plunkettus, Richardus Barnevallus, Richardus Everardus, Richardus Bellingus, Geraldus Fenellus, et Zepherinus Brounus. Porro cum Ormonii epistola Commissarii fiduciarii praefatam Regis declarationem in Scotia editam communicant. Inter duas illas partes, Regis, Scotorum atque aliorum omnium impio faederi iam dicto inconsistentium unam, et Independentium, pseudo-Reipublicae Anglicanae in Anglia atque Ibernia militantium alteram, Regni angustias exponunt. Praelatos rogant ut dicant quid factu opus esse judicent? Ac demum ipsi profitentur nihil sibi videri magis idoneum quam ut, non obstante Regis declaratione, paci cum Ormonio contractae insistatur, et partes sub Regis imperio ad concordiam redeant. Secus futurum affirmant ut Catholicorum, etiam procerum et nobilium, haud pauci amoto semel Regis imperio ad rempublicam Anglicanam deficiant, conditionibus non quam vellent, sed quam possent optimis. Caeterum addunt fieri non posse ut Catholici inter se

et super se Regis autoritatem servent, atque agnoscant, nisi Praelati excommunicationem et declarationem Jacobopolitanam antiquent, quod Ormonius Regis autoritatem nulli delegaturus, nec eam Clanricardius sit amplexurus, nisi hac conditione. Itaque ad Regis declarationem, ad Ormonii epistolam | 2096 Commissariis fiduciariis scriptam, et ad interposita ab iisdem Commissariis fiduciariis postulata Congregationis Jacobopolitanae Commissarii scripto Anglico sequentia capita responderunt :

"Responsa Commissariorum Cleri ad ea quae Commissarii Fiduciarii ipsis proposuerunt.

(200) " 1°. Memorata superius epistola lecta fuit, continens suae Excellentiae de pace asserenda cautionem, et postulatas ab eo in illum finem duas conditiones. Ubi observavimus quomodo sua Excellentia aliquas inobedientias et authoritatis Regiae vilipensiones significarit, proindeque suae Majestati suggesserit, cur suam adversus pacem ediderit declarationem.

(201) " 2°. Regis declarationem, qua pacem nuperam evacuat, legimus, et Regem (quantum exinde liquet) suum D. Proregi mandatum et authoritatem subtraxisse arbitramur. Hoc ex ejusdem declarationis parte omnes ab ipso concessas commissiones revocante et irritas reddente perspicue constat. Eadem declaratione Rex se nullos nisi faederis (Puritanici) nec amicos nec hostes habiturum profitetur. Ex quo evidenter sequitur ejus esse subtractam D. Proregi authoritatem, nisi sit *faederis* amicus, qualem eum esse non existimamus. Sin autem, noster amicus non est, nec talis, cui tanquam in nos authoritatem exercenti fidamus. In eadem declaratione natio Ibernica velut sanguinarii rebelles legum favorumque Regiorum protectione excluduntur. Non ergo praesumendum est eum authoritatem suam servare velle in talem nationem, ut eam gubernet. Consentimus vobiscum in id quod repraesentatis, nullam Catholicae religioni vel huic nationi a *Faederoribus* et Independentibus expectandam | esse securitatem. Si probatum fuerit non aliam superesse viam tutam, quam ut paci insistatur, assentimur. Utut est, censemus eam a nobis participari debere, cum ex parte nostra eam nullatenus violaverimus.

(202) " 3°. Circa viam, quae in Nationis praeervationem melius tendat, nostram aliqua ex parte sententiam inferius dicemus, et sic nostra coram Deo pura offerimus desideria

coalescendi vobis et omnibus hominibus in ea, quae habita fuerit optima tutissimaque via ad talem praeervationem.

(203) " 4°. Ea est opinio nostra et semper in ea versati fuimus sententia, ut omnes nostri conatus ad Regis authoritatem in nos conservandam adhiberemus, sed cum sua Majestas nationem velut rebelles sua protectione dejecerit, et suam authoritatem subtraxerit, hoc ejusdem nobiscum et in nos servandae mysterium vel quo pacto fieri queat, capere non valemus? Ad id autem quod affirmatis, nempe multos ex primoribus cum Parliamentariis conventuros, si Regis authoritas ablata fuerit, respondetur Rege ipso suam authoritatem (sicut per declarationem factum est) subtrahente, et ea non per subditos excussa, eo casu quo a subditis ea servari nequit, verisimile esse illos non ideo cum Parlamento conventuros, quod eam subditi non servent. Cum autem Regis authoritas (sicut dictum est) ablata sit, arbitramur optimum, quo huic incommodae populi ad Parliamentum defectioni occurratur, esse remedium, ut ad confederationem redeatur, sicut Natio redeundum statuit, casu quo pax ex suae Majestatis parte | violaretur. Hoc inter nos concordiam fovebit, nisi homines se fecerint praecipitanter reos transgressionis sui juramenti associationis, quod ex duabus binorum Comitiorum Generalium decretis solemnibus continuandum est, ita ut obligandi vim habeat, si qua articulorum violatio ex suae Majestatis parte successerit. Regis authoritate et D. Proregis commissione per declarationem (sicut superius dictum est) revocata, censemus D. Proregi nullam ejusmodi quam relinquit competere authoritatem. Si vitae et fortunae nobis exponendae sunt pugnandi periculo, ut pacem illam reddamus tutam, cur nosmetipsos intra articulorum ita revocatorum limites contineamus, cum non minoris discriminis et praejudicii sit illam pacem defendere, quam meliorem obtinere.

2097

(204) " 5°. Universo negotio mature considerato, in duas conditiones a sua Excellentia petitas, revocandi scilicet nostram declarationem et excommunicationem, nec non ipsi vel Commissariis fiduciariis dandi securitatem fore ut nihil ejusmodi in futurum attentemus, tuta conscientia consentiri non possumus, idque multas ob rationes, praesertim quod Regis authoritas D. Proregi non competit, nec nos novam in eum authoritatem conferre valeamus, et praeterea in Nationis ruinam vergat ut ea in ipso continuetur, sicut in ejusdem Nationis conservationem redundant ut eam aliis exerceat. Et hic fuit

sensus noster cum adversus Regis autoritatem in ejus persona declarationem edidimus.

(205) "6°. Valde timemus, ne sub ejus regimine paucas, 2097 quae | supersunt ecclesias perderemus, sicut sub ipso hac pace contracta omnes civitatum Waterfordiae et Kilkenniae, oppidorum Wexfordiae, Rossiponti, Clonmelliae, Fethardiae, Kilmalociae, &c., ecclesias perdidimus. Ita nos docuerunt Machabaei quibus maximus et primus pro sanctitate timor erat templi.

(206) "7°. Sua Excellentia Corcagiae declaravit se Protestantium religionem durante vita conservaturum *ad ecclesiarum optime reformatarum exemplum*. Idque re ipsa idem esse potest quod *faederis* (Puritanici) juramentum, nam (quod sciamus) haud ab ipso Catholicae religionis defensionem expectemus.

(207) "8°. Eligere in Proregem adversae religionis hominem scandalum parit universo mundo, praesertim Romae, ubi Sua Sanctitas conventione vel articulis cum Regina Angliae pactis Gubernatorem Catholicum obtinuit, licet id praestitum non fuerit. Quare timemus ne belli pestisque flagella, quibus tam graviter affligimur, sint signa divinae in nos animadversionis, quod in talis hominis potestate Dei causam atque ecclesias posuimus, cum ea provincia a Catholico sub Regis imperio tractari potuerit.

(208) "9°. Illo ad Regni clavum sedente, a nullo, nec ecclesiastico nec laico, suppetias aut favorem assequemur, sed potius opprobrium et ignominiam.

(209) "10°. Milites infausto ejus imperii successu omnem sub ipso pugnandi animum abjecerunt, et sic, si ad manus ventum fuerit, succumbemus.

(210) "11°. Reperimus populum generaliter magnopere metuere, ne sub ejus regimine in praeeceps deferantur, et si in ipso authoritas continuaretur, credimus majorem | populi partem, quod se sub ipso defensum iri desperet, cum Parlamento conuenturum.

(211) "12°. Declarationem in ipsum Regis autoritate munitum edidimus, non (ita nos Deus salvet) ex odio aut malitia in ejus personam, sed ex concepto a nobis post maturam liberationem metu, ne natio sub ejus imperio funditus everteretur et destrueretur. Nunc autem nullam invenientes rationem aut viam, qua per ipsum saluti publicae consulatur, haud possumus juxta rationis normam eo adduci, ut sententiam mutemus, praesertim cum ille Regis autoritate non fulciatur.

(212) " 13°. Duae magni momenti urbes residuae a sua Excellentia, quod bona ipsis eripiendi potestatem fecisset, et alias ob rationes, magnopere discordant et putantur gestire ad morem ipsi non gerendum, etsi coronae fideles et Regis authoritati, si penes alium esset, obedientes videantur, quales votis et actionibus esse existimantur.

(213) " 14°. Ipso gubernante nulla natio extera ob Capitaneum Antonium aliosque rerum dominos et periclitatores, praesertim Batavum, ad quem navis *novem Stellarum* nomine nota pertineret, male tractatos nobiscum commercium habebit. Et sic, apparatu bellico deficiente, oportebit ut hosti manus demus.

(214) " 15°. Vastae summae pecuniariae et consumptae populi facultates (nam majores in perdendo Regno expensas posuimus quam hostis in nobis debellandis collocavit) quarum ratio, etsi saepius exacta, nunquam | tamen redditia fuit, ita 2098
populum exanimant, ut ejus gubernium horreat. v

(215) " 16°. Cum eventus belli incertus sit, si natio ad concordiam cum hoste ineundam redigeretur, sua Excellentia ad transigendum de nostrae religionis exercitio, sacris basilicis, altaribus, aut quibuscumque rebus eodem spectantibus minime foret idonea.

(216) " 17°. Itaque inter hanc summam angustiam nulla nationis unienda, et a concordando cum Parlamento continenda via nobis occurrit melior, quam ut Marchio Clanricardiae (cui juxta Congregationis Jacobopolitanae mentem nos ante advectam (Regis) declarationem, ut Regis authoritas relinquatur, desideravimus) omnium partium consensu, et Regis autoritate a D. Prorege deleganda, quam nos credimus in ipso vigere usque ad Comitia, nationem gubernet, et eum in finem libera legitimaque indicentur Comitia, quae sedeant et de praeservando populo deliberent ac decernant, et quidquid visum fuerit melius et magis idoneum circa nationis defensionem, Regis autoritatem super ipsos servandam, pacem asserendam, praestandamque, et associationem renovandam statuant. Denique, siquid aliud melius esse et magis expedire judicaverint, libenter subscribemus. Nunquam enim nobis mens fuit ut Comitia impediremus, aut populo legem diceremus, sed operam tantum dedimus ut altaria atque animas curae nostrae commissas defenderemus. Porro sicut milites Marchionem Clanricardiae secuturos, et populum ei obtемperaturum censemus, sic totis | viribus ut id succedat, contendemus. Praeterea per praesentes pollicemur quod, si libera 2099

et legitima Comitia suo statu et conditione mature perpensa meliorem fore duxerint suae securitatis et praeservationis viam ut cum hostibus convenient, sicut nobis decretum est nunquam per Dei gratiam positive consentire (si autem nobis extorta fuerint, culpa vacabimus) ut ecclesiae et altaria transcribantur, sic dum nulla defensionis ratio apparuerit, populum a paciendo cum hoste de vitis et fortunis in tuto ponendis non impediemus, licet probabiliter futurum videamus ut ad ejusmodi conventiones nos soli sedibus, possessionibus, ecclesiis, altaribus, immunitatibus, et praerogativis destituamur. Verum inter ejusmodi pacta cum hoste ineunda, siquae talia (quod Deus avertat) successerint, Iberniae Catholicos rogabimus et obtestabimur, ut ipsis futura saecula applicare valeant illud Machabaeorum : *Erat pro uxoribus, et filiis, itemque pro fratribus, et cognatis, minor sollicitudo; maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi.*" Haec Praelati 29 Octobris 1650 quae Poncii truncata in medium produxit, nisi actum Anglicum, quod Latine verti, me fallit.

*2. Mach.
15.*

*Vindic.
Evers.
p. 261.*

*2099
v*

(217) Itaque, ut quid facto opus esset deliberaretur, Ormonius Regni Comitia Loghreaggi apud Conaciam celebranda in 15m Novembris indixit, quam citationem Commissarii fiduciarii, qui omnes vel pene omnes Ormonio in Clerum fautoresque studebant, suis litteris secundarunt, et Congregationis Commissarii in eundem finem declarationis atque excommunicationis Jacobopolitanae suspensionem prorogarunt. Verum hoste in tribus pene ex quatuor Regni Provinciis, nempe in Ultonia, Lagenia, et (si Limericum, Tomoniam non nullaque Castella excepero) Momonia, rerum potito, id factum ut tantae multitudinis comparatione pauci, praeterquam ex ipsa Conacia, Lagenia, Tomonia, et Limerico accesserint, et Ormonio, Commissariis fiduciariis, Clanricardio, atque Insequinno sagaciter procurantibus Ormonistae in eo conventiculo partem sinceram (multis modis obstructa aliis confluendi libertate) numero longe superarint. Unde ille Regni consessus adeo fuit infrequens, et ex parte longe majori in causam Catholicam fautoresque iniquus, ut Comitorum Generalium nomen non mereatur. Nec culpa vacare videantur Congregationis Ecclesiasticae Commissarii, qui id non praeviderint, vel non providerint. Conventiculi diarium et acta (credo) principalia Anglice condita atque in Italiam postea translata sunt. Ex quibus sequentem ejus historiam exprimo :

(218) Die 15 Novembris, in qua Comitia indicta fuisse diximus, cum non nisi pauci praesto essent, ea in diem ejusdem mensis 21m comperendinata fuere. Eaque etiam die 21 ob eandem rationem nihil statuerunt, praeter prorogationem in diem posteram. Qua sederunt, et electo tantum in Comitiorum scribam D. Christophoro Frenchaeo, | ob membrorum infrequentiam atque aliorum expectationem diem diffuderunt. Die 23 rursus sederunt, sed nihilo eandem ob causam facto, praeterquam comperendinatione in diem Novembris 25m, quo Comitia tantum egerunt de Richardo Blako, Equite aurato, in prolocutorem ascendo, qui ut eximeretur, saltem specie institit infaustos illius muneris antea a se in pseudo-Comitiis anno 1648 impie exerciti successus causatus, reque ipsa jure merito millies excludendus, sed a sua factione praevalente assumptus, quod vel solum demonstrat conventiculum illud fuisse novum Ormonii atque Ormonistarum artificium, eo excogitatum ut pios Cleri fautorumque conatus enervarent. Porro 26° Novembris lectae fuere in Comitiis Ormonii ad eadem epistola, ex Clanricardii Augustali Tirellano secus Galviam posito, 16 Novembris Anglice scripta, quam Latine verto :

2100

(219) " Post sinceras nostras salutationes. Comitiorum, quae istuc nunc convenient, convocandorum finis principalis est, ut consilium ineatur, et diffiniatur quid in populi prae-servationem atque incolumitatem probabilius redundet ? Et sane ejusmodi consultatio nunquam fuit evidentius necessaria quam nunc, cum praeter manifestum praevalentis hostis progressum aliae concurrent occasiones discordiae et distractionis, quae si continuata fuerit, plenam Regni expugnationem et faciliorem reddet et accelerabit. Ad nosmetipsos, ne illis, qui discordiae ansam praebuerant, vel praetextum | suppeditaremus, subtrahendos quam parati fuerimus et quibus promissis ac persuasionibus a nostra transfretandi sententia dimoti simus, multis viris se istic tenentibus probe notum et sermonis seges est prolixioris. Impraesentiarum vobis tantum intimabimus, quod cum ad fines, ob quos in hoc Regnum veneramus, nominatim ad Regis obsequium et hujus nationis conservationem, in longum tempus penitus inutiles effecti simus, cumque in illis locis, per quae, et ex quibus solis Regnum defensari et rebelles notabiliter infestari possent, debita nobis obedientia denegata fuerit, proindeque prima opportunitate ex Regno navigare gestiamus, necessarium et nunc nobis unice residuum medium esse censuimus, ut prius nostrae (licet male tractati fuerimus)

2100

v

in hanc nationem affectionis demonstrandae causa haec Comitia convocaremus, quo praesenti Regni statu mature et serio perpenso, utilissima ejus ab extremo excidio praeservandi ratio excogitur, eidemque insistatur ad quod nos, si ante discessum vel ubi (in Continentem) appulerimus opera nostra conducere valeamus, nobis gratum erit scire quo pacto ad id conferre possimus, et sic ex corde vos valere jubemus. Ex aedibus Tirellanis, 16 Novembris 1650.

Vester charus amicus.
Ormonius."

- (220) Haec epistola in Comitiis mox ac 26 Novembris sederunt
 2101 lecta fuit, deindeque lectae sunt tres aliae a | tribus proceribus
 absentibus, Comite Portu—Castellano, Vicecomite Muscriensi,
 et Davide Rochaeo, Vicecomitis Rochaei filio primogenito,
 exaratae. Quarum prima postulabatur ut aliquae vires adversus
 hostes in Momoniā destinarentur. Per alias duas non nullae
 victoriae in eadem Provincia de hostibus reportatae, et dis-
 sidia apud Angliam recrudescentia nunciabantur. Quibus
 perfectis, Hugo Rochfortus ex Continente, in quam legationis
 obeundae causa eum trajecisse vidimus, in patriam regressus
 pressit ut juxta litteras illas ex Momonia allatas ante omnia
 de consribendis viribus velut deliberatione ad salutem publicam
 imprimis necessaria ageretur. Sed Vicecomes Dillonus rogavit
 ut in eo negotio, quod a Proregis nutu pendere affirmabat, non
 nisi posterius procederetur. Cui Jacobus Prestonus, Eques
 auratus, in rei a Rochforto propositae favorem adversatus est.
 Verum Comitia mox in duas partes abierunt, quarum una ab
 Ormonio, eaque longe frequentior, altera in Ormonium stabat,
 deindeque stetit. In illis Comitiis Ormonio ante alios studebant
 Marchio Clanricardiae, Montgarettus, et Dillonus, Richardus
 Barnevallus, Walterus Donganus et Robertus Talbottus, omnes
 quatuor Census equestris, praeter Richardum Bellingum,
 Zepherinum Brounum, Patricium Darcium, Georgium Barne-
 vallum, W. Bagnallum et alios complures ex Ormonistarum,
 praesertim Lageniensium, Midensium, et Conaciensium, faece.
 In iisdem Comitiis Ormonio adversabantur Praelati, quotquot
 aderant, nemine excepto, bini Archiepiscopi Cassiliensis et
 Tuamensis, nec non Episcopi, nempe Aladensis, Fernensis, |
 2101 Limericensis, Cluanfertensis, Corcagiensis, Immolacensis, Cluan-
 v macnosiensis, Dunensis, Ardaghadensis, Duacensis, et
 Dromorensis, alii magis alii minus, quorum etiam alii prius,
 alii posterius, fide publica accessere. Quibus etiam palam in

Comitiis ante alios adhaerebant Nicolaus Plunkettus et Jacobus Prestonus, Equites, Antonius Martinus et Hugo Rochfortus. Richardus Everardus, Eques, aliquique non nulli inter ambas partes aequos arbitros agere videbantur; eaque erat Ormonistarum in celebrandis Comitiis sagacitas, ut suorum non nulli ardentes, quibus nullum suffragandi jus competebat, haud otiosi irrepserint, non deturbati, licet haud semel tentatum fuerit ut ipsis Comitium purgaretur.

(221) Die illa 26 Novembris Walterus Donganus pressit ut illis negotiis, quae alii magis urgebant, posthabitatis, discordiarum radices detergentur, et stirpitus evellerentur. Addiditque magnam Regi Proregique irrogatam a Clero fuisse injuriam et discordias, nec non authoritatis regiae prophanationem, proindeque Regni ruinam ex declaratione atque excommunicatione Jacobopolitana velut ex fonte rivum descendisse, Clerumque una authoritatem regiam usurpasse. Donganum autem alii Ormonistae magis lateribus secundarunt. Sed respondit aliorum nomine Episcopus Fernensis Regnum ante condita acta Jacobopolitana fuisse perditum, nec Praelatos illam Congregationem celebrasse, nisi ut residuum non perdenter, nec ipsos unquam in jus Regium invasisse, imo semper ut sartum tectum esset, sategisse. Novum autem aut insolitum non esse in Dei Ecclesia ut Praelati religionem, ecclesias, bona ecclesiastica, et animas sibi a Deo creditas in tuto posituri, magistratum civilem suos limites aggredientem, et officio in Ecclesiae praejudicium abutentem coercent, et censuris compescant. Attulitque praeter alia in exemplum familie Ormoniae domesticum S. Thomam Cantuariensem, qui Regem Henricum 2m in simili occasione excommunicaverat, et causae justitiam ipso sanguine morteque nobilitaverat, ut propterea ab universa Dei Ecclesia in praeclarissimum Martyrem colatur. Haec atque alia multa hoc spectantia Fernensis eximia animi magnitudine, zelo, et eloquentia expressit, aliquique Praelati, et praeter alios Ardaghensis, Duacensis, et Dromorensis, eandem sententiam egregie sustinuerunt. Rogarunt autem adversarii ut chartae actaque omnia, quae inter Praelatos, Proregem, et Commissarios Fiduciarios a controversiarum initio scripta rescriptaque essent, etiam declaratio atque excommunicatio Jacobopolitana publice in Comitiis legerentur, et ad trutinam revocarentur. Verum Praelati suae Congregationis Jacobopolitanae acta laicorum judicio subjicere noluerunt, affirmantes nullam laicis esse in decreta pure spiritualia inquirendi juris-

dictionem. Decretum ergo ut caetera controversiae acta in Comitiis postridie examinarentur, delectis non nullis, qui discordiarum causas ponderarent, deque modo, quo ad Proregis epistolam superius positam respondendum esset, decernerent, et in certas confusiones, quarum non nullae legiones Ultonienses accusabantur, inquirerent. Constitutum quoque ut uniuscujusque Provinciae membra certis locis convenient, ut | 2102 constaret quas vires quaeque Provincia conscribere et sustentare v valeret.

(222) 27 Novembris Comitia ad horam decimam matutinam sedere, et acta jam dicta legere caeperunt. Cumque a Congregationis Cluanmacnosiensis mense Decembri anno 1649 celebratae actis exordiendum esset, nec declaraciones ibi a Clero editae suppeterent, Nicolaus Plunkettus, Eques, earum summam retulit. Tunc palam lecta fuere: 1°. Quae Praelati et Commissarii Fiduciarii in Civitate Limericensi Proregi mense Martio 1650 proposuerant, quaeque Prorex respondit. 2°. Praelatorum mense Aprili 1650 apud Loghreaghum congregatorum propositiones, et Proregis ibidem responsiones. 3°. Apographa litterarum a duobus Archiepiscopis, Dubliniensi et Tuamensi ad Proregem scriptarum, et Proregis ad easdem responsum directum ad Archiepiscopos et Episcopos Jacobopoli congregatos. 4°. Declaratio ab eadem Congregatione in Ormonii regimen edita, annexaque excommunicatio, quam Comitiorum diarium illud mihi traditum non examinatam nec judicatam, sed una lectam fuisse habet. 5°. Episcopi Dromorensis et Caroli O Kellaei, Decani Tuamensis, quos eadem Congregatio ad Principem destinaverat, legatio, et Proregis ad eam responsio. 6°. Commissariorum fiduciariorum epistola ad Praelatos Galviam scripta, nec non ea, quae Athunriae Baro et Zepherinus Brounus eorundem Commissariorum nomine Praelatis Galviae proposuerant, et qua Praelati ad interposita ab his postulata respondendum | duxerant, exindeque secuta excommunicationis suspensio. 7°. Proregis litterae (jam accepta declaratione a Rege in pacem cum Ormonio contractam, atque in Ibernos apud Scotiam edita) ad Commissarios fiduciarios scriptae, et eorundem Commissariorum ad eas responsio, ipsaque Regis declaratio et solemnis faederis Puritanici juramentum. 8°. Denique Commissariorum jam dictorum propositiones Praelatis apud Galviam praesentatae, et Praelatorum responsiones. In quibus omnibus scriptis perlegendis, quorum non pauca ad meas manus non pervenerunt, ab hora 10a matutina usque ad horam

circiter jam pomeridianam magna omnium attentione et altissimo silentio ita perstitum est, ut multis auditorum antea in Praelatos invectis constaret discordias ante latam declarationem atque excommunicationem Jacobopolitanam in populo pullulasse, detrectatumque antea ob suspiciones de Ormonio conceptas ejus fuisse imperium, et Praelatos de Regis jugo exutiendo vel authoritate regia sibi arroganda ne cogitasse quidem, sed id studuisse ut Ormonio ob provinciam male obitam exauthorato populus Regi sub aliorum ad Regnum moderandum assumendorum aequiori imperio obtemperaret.

(223) His tamen non obstantibus die postera 28 Novembris partes in Comitiis magna animorum contentione et disputationum aestu inter se digladiatae sunt. Cui contestationi Lucas Dillonus, Eques auratus, impietatis maculis notatissimus, portam aperuit, allegans Praelatos in Regis authoritatem invasisse, et peregrisse ut populus in civilem magistratum, nempe Proregem, insurrexerit. Cui Jacobus Prestonus, pariter Eques, Prestoni Praefecti generalis filius, respondit, Praelatos nec Regi nec Regis imperio vim intulisse, sed in solum | Ormonium velut publicae calamitatis réum militasse. Clerum die illa graviter accusarunt praeter praeatum Lucam Dillonum ante alios Baro Athunriae, Walterus Donganus pariter Census equestris, Zepherinus Brounus, Richardus Bellingus, P. Darcius, et G. Barnevallus, Ormonistae in causam Catholicam male affecti. Ex altera autem parte horum argumenta retundebant praeter alios Archiepiscopus Tuamensis, Episcopus Fernensis (qui ad omnes partium suarum agendarum occasionses vivaci eloquentiae expressione et intrepida animi constantia Cleri fautorumque causam sustinebat), Episcopus Cluanfertensis, qui doctissime rem tractavit, nec non Ardaghadensis, Dromorensis, et Duacensis pariter Episcopi; quos ex laicis, praeter praeatum Jacobum Prestonum, ante alios secundarunt eximius tunc causae Catholicae et Patriae assertor, Nicoláus Plunkettus, Antonius Martinus, et Hugo Rochfortus, quorum hic pie oravit, persuasurus ut ante omnia religionis, deinde patriae, ac 3° loco causae regiae cura haberetur, et vehementer inculcans nunquam res prospere cessuras, nisi quae Dei essent aliis omnibus praferrentur. Ad objectionem antea factam, nempe omnem illam nationis partem, quae tunc ab hostium jugo immunis esset, Limerico et Galvia exceptis, Cleri praxim improbare, respondit reliquam etiam nationis partem, si instar Limerici et Galviae muris et propugnaculis ab Ormonistarum vindicta

2103

v

2104 et | incursionibus tuta foret, in Ormonium atque ejus regimen instar Limerici et Galviae libentissime liberrimeque suffragia laturam, nec deesse plurimos, qui, licet praefatis repulsandae Ormonistarum vindictae praesidiis destituerentur, Clero tamen aperte suffragabantur. Demum controversia utrinque diu sed incassum agitata, cum suffragantium multitudo confusionem et diffiniendis rebus obicem pareret, decretum ut arbitri assignarentur pauciores, et sepositis rancoribus ac reconciliatis partibus, omnia pro aequo et bono componerentur. Delecti ergo Archiepiscopus Tuamensis, quinque Episcopi, nempe Fernensis, Ardaghadensis, Cluanfertensis, Dromorensis, et Duacensis, nec non laici duodecim, scilicet Vicecomites Montaraghensis (quo titulo Praefectum generalem Prestonum ea dignitate, quod Ormonio et Ormonistis ad annos superiores in Nuncium et Ecclesiam militasset, donatum, sed postea ab Ormonio pene despiciui habitum intellige), Baro Athunriae, Nicolaus Plunkettus, Lucas Dillonus, Richardus Everardus, et Jacobus Prestonus, Equites, Patricius Darcus, Richardus Bellingus, Zepherinus Brounus, Geraldus Fenellus, Hugo Rochfortus, et Patricius Brianus, Armigeri, eadem die tempore pomeridiano sederunt et deliberarunt.

(224) 29° Novembris Comitia ad horam 9am matutinam sederunt, sed quibusdam aliis rebus levioris momenti ordinatis, comperendinata, ut praefati duodeviginti caeteris curis soluti rebus ipsorum judicio commissis melius vacarent. |

2104 v (225) 30 Novembris iidem, in quid consenserint, ad Comitia retulerunt, producto epistolae exemplari, quam in litterarum illarum ab Ormonio 16 Novembris datarum responsum ei scribendam duxerant, qua inter alia rogaretur ut antequam solveret, Regis et suam Proregis autoritatem alicui alteri, cuius fides probata esset, delegaret. Verum in Comitiis haec petitio spissam et spinosam controversiam concitavit, non nullis affirmantibus Regem per declarationem illam in Scotia 16 Augusti editam Ormonii mandatum revocasse, proindeque Ormonio nullam quam delegaret jam competere potestatem. Haec ratio adeo visa est valida, ut Fernensis cum aliis jure merito vehementer institerint, quatenus ad primaevam Catholicorum confaederationem rediretur. Allegabunt enim Regem vel suapte sponte vel coacta a Scotiae Calvinistis voluntate illam declarationem edidisse. Si primum, Iberniae Catholicos ad eam pacem, quae anno 1649 cum Ormonio conclusa fuerat, observandam, et ad morem Ormonio gerendum non

teneri, sed suae saluti per alias vias consulere posse. Si secundum, excusandam quidem esse suam Majestatem, sed donec ipse suam declarationem in Scotia editam recidisset, ad antiquam Catholicorum redeundum esse confaederationem, qua Ibernicae et Ecclesiae et nationi melius et tutius | prospiceretur, ita ut Regi etiam suum jus sartum tectum esset, modo sui juris futurus pacem sua autoritate contractam agnosceret, et a declaratione illa apud Scotiam edita resiliret.

2105

(226) Alia praeter Regis declarationem illam in Scotia editam persuadebat ratio ut primaeva Confaederatio Catholica resumeretur, quod Comitiorum Generalium ad annos superiores celebratorum decretis cautum fuisse ut, si pacis articuli non praestarentur, Catholici ejusmodi pace delusi faederis juramento toties suscepto insisterent, et priorem confaederationem renovarent. Quod etiam ab ipsis Ormonistarum pseudo-Comitiis anno 1648 mense Septembri inchoatis, nec nisi anno 1649 mense Januarii solutis, inter hanc ipsissimam pacem cum Ormonio contrahendam statutum fuerat. Quare Praelati in sua excommunicationis Jacobopolitanae ad exauthorandum Ormonium latae forma: "Nos (inquiunt) infrascripti Archiepiscopi, Episcopi, etc. judicantes nosmetipsos ad hoc teneri ex Dei et naturae lege, munere nostro pastorali, et virtute solemnis juramenti suscepti ab omnibus Praelatis, nobilibus, et generosis, qui fuerunt ex magna Commissione in sanctione pacis, nempe quo casu articuli pacis non praestarentur, quod deberemus continuare associationem vel unionem Confaederatorum Catholicorum, et facere omnia ad illius unionis conservationem spectantia. Cujus juramenti virtute Praelati sic jurati autoritatem habent renovandi et fovendi illam unionem et associationem et ad hoc tenentur etc." Haec Praelati, | qui acto immediate praecedenti, nempe sua declaratione Jacobopolitana in Ormonium condita palam fecerunt et difinierunt pacis articulos in tot tantisque capitibus ibi recensitis ab Ormonio non fuisse praestitos, sed violatos in Regni animam tunc agentis ruinam. Sequitur ergo Catholicos tunc in Comitiis Loghreaghensibus ad primaevam confaederationem redire non solum tuta conscientia potuisse, sed etiam ex conscientiae legibus debuisse. Quod p[ro]ae caeteris locum habet in Praelatis, qui praefatis actis Jacobopolitanis subscrivserant.

2105

v

(227) Tertia ad veterem confaederationem redire suadebat ratio a quibusdam in Comitiis Loghreaghensibus allegata, nempe non solum pacis articulos ab Ormonio fuisse gravissime

violatos, nec solum illam pacem et Ormonii mandatum 16 Augusti 1650 quatriduo post absolutam in Ibernia Congregationem Jacobopolitanam a Rege fuisse rescissa et revocata, sed etiam Carolum 1^{um} Angliae Regem, hujus pacis contractae tempore superstitem, ejus cum Iberniae Catholicis contrahendae nunquam Ormonio fecisse potestatem. Quare "urserunt (sunt Doctoris Enos verba) ut Ormoniae Marchio potestatem suam et authoritatem a Majestate Regia post proditum Dublinium acceptam ostenderet. Sed neque in Conventiculo Kilkenniensi anno 1648, per quod caeco impetu et propudiosa praecipitatione contra expressum Majestatis mandatum ad summum Regni clavum evehebatur, neque in hoc Loghreaghensi Conventiculo talem a Majestate datam ei potestatem unquam ostendit, nec ostendere poterat." Haec ille, tunc rerum in Ibernia gestarum

2106 ita testis, ut actis | Jacobopolitanis eum 12 Augusti subscriptis videas, nec nisi ad annum inferiorem Regno exierit.

(228) His tamen irrefragabilibus rationibus non obstantibus, Ormonii fautores, mox atque redeundi ad veterem confaederationem mentio facta est in Conventiculo Loghreaghensi vociferantes repetebant esse *perduellionem, perduellionem, perduellionem, et laesae Majestatis crimen*. Quam eorum proterviam ut lectori ob oculos ponam, ei in memoriam revoco non solum anteriorum Comitiorum Generalium, etiam ultimorum, in quibus Ormonistae hanc pacem cum Ormonio concluserant, actis congruisse ut vetus confaederatio Catholica tunc resumeretur, sed etiam Ormonistas ad annum 1645 exindeque pacem intutam, et Ormonium in Proregem intrusuros Nuncio atque aliis ipsorum adversariis per acta suis locis sparsim collocata ad nauseam respondisse, futurum ut, pacis articulis non praestitis, ad arma juxta veterem Catholicorum Confaederationem et juramentum faederis recurreretur, et Ibernicae tam nationis quam Ecclesiae causa vel ex hoc solo remedio in tuto poneretur secundum praefata Comitiorum acta, quibus cautum ut eo casu sic procederetur. Quibus illi praestigiis ad annos superiores Nuncio atque aliis causae Catholicae assertoribus ardentि zelo flagrantibus fucum fecerant, ut pacem male tutam et Ormonium in Proregem intruderent. Jam vero in Comitiis Loghreaghensis cum de pacis articulis ab Ormonio tantopere violatis, cum de universo pacis tractatu per Regis declarationem in Scotia editam refixo, cumque de ipso Ormonii mandato per idem actum revoco constitisset, proindeque de Confaederatione | Catholica secundum praefatas Comitiorum sanctiones et ipsorum Ormonis-

tarum pollicitationes toties repetitas renovanda ageretur, boni Ormonistae fidem non liberarunt suam, sed iis, qui actorum et pollicitationum jam dictarum executioni insistendum asseverarent, obstrepuerunt vociferantes et objicientes *perduellionem, perduellionem, perduellionem, et crimen laesae Majestatis.* Quam ergo prudenter se gesserat Nuncius praefatas Ormonistarum pollicitationes ad annos superiores flocci faciens, et generosissime insistens ut causae Catholicae securitas validiori niteretur fundamento quam quod ab Ormonii executione articulorum pacis vel a praefatis Ormonistarum praecautionibus penderet. Ne tamen in hos Conventiculi Loghreaghensis Ormonistas iniquus sim, addam rationem, ob quam ad primaevam Catholicorum confederationem haud redeundum, sed paci cum Ormonio ad ineuntem annum 1649 conclusae insistendum sustinebant; nempe affirmabant Regem non nisi a Scotis coactum consensisse ut praefata declaratio 16 Augusti 1650 in Scotia ederetur. Quare contendebant ut Ormonius suam autoritatem, quam semper vigere asseverabant, alicui crederet, sub quo populus paci semel initae semper insisteret, et sub Regis vexillis ac patrocinio in rebelles Parliamentarios bellum prosequeretur, addebantque secus successorum ut Rex olim postliminio restituendus Catholicorum Iberniae patrimonia vel fisco addiceret, vel Parlamenti Anglicani sibi reconciliandi furori manciparet, alias si Iberni paci jam dictae insisterent, effecturus ut secum eorum quisque suum recuperaret. Verum nulla prorsus suadet | ratio Regem ad illam declarationem edendam a Scotis fuisse coactum, cum eum patre et patria ab Anglis spoliatum non compulsi, sed suapte sponte in Scotiam acciverint, et honorificentissime receperint, et ejus in throno paterno etiam apud Angliam collocandi studio bellum pseudo-Reipublicae Anglicanae indixerint tanto suaे nationis discrimine ut eodem bello Scotia Anglis succumbendi, eorum jugum suscipiendi, et avitae libertatis perdendae aleam subierit, reque ipsa postea bello ab Anglis devicta durissimam (sicut videbimus) servierit servitutem. Quare fidem non habet Scotos Regi sibi tam charo vim intulisse, ut praefatam declarationem ederet. Quod si quis dixerit Scotos Regem induxisse, et ipsum ab Iberniae Catholicis jam valde depressis auxilia, quibus Angliae rebelles potenter aggredieretur, desperantem illa declaratione usum fuisse tanquam medio, quo suas inter haereticos partes auctitaret, ille (credo) acu punctum tanget. Hoc autem quid est aliud, quam perversorum consiliis Regem ita aurem praebuisse,

2107

v

et rei sua rationem tam iniquam duxisse, ut propterea pacem cum Ibernis tantopere ipsi adhaerentibus sua authoritate contractam acto publico resciderit. Quid ergo expectandum quam ut sua Regna olim recuperaturus in similibus circumstantiis illius pacis articulos non observaret. Quod totum de facto postea successit, sicut suo loco videbimus. Quae omnia mature considerata docent eos in Comitiis Loghreaghensibus sapuisse, qui instabant ut ad primaevam Catholicorum Confaederationem rediretur. Porro ad hoc consilium amplectendum Deus speciali et paterna providentia Iberniae Catholicis viam muniisse videbatur. Etenim Hugo | Rochfortus, vel (ut alii Latine vertuntur) a Rupeforti, ex Comitatu Wexfordensi Juris consultus, ex Ibernia procurandorum subsidiorum causa in Continentem destinatus cum Lotharingiae Duce in Belgio, et cum Rege antequam in Scotiam trajecerit, apud Bredam ita egerat, ut propria Doctoris Enos in his rebus Ibernicis versatissimi manu scripta mihi occurrant haec verba: "Rex (inquit) ipse in Belgio apud Bredam admisit approbavitque adventum Ducis in Iberniam, eoque fine suas (litteras) ad Ormonium per D. Hugonem a Rupeforti destinavit. Quod et ipse Ormonius gratum habuit, Ducisque Legatum, Collonellum Synnotum humaniter exceptit, et ad rei consummationem, suum ipse legatum Vicecomitem Taaffum ad Ducem misit." Haec Doctor Enos. Caeterum Hugonem ab illa legatione in Iberniam regressum his Comitiis Loghreaghensibus interfuisse, et causam Catholicam ibidem egregie egisse video. Itaque haec spes subsidiorum a Lotharingo, Principe bellico et pecuniosissimo, certis conditionibus obtinendorum anterius facta effecisset ut Catholici in illis Comitiis primaevam confaederationem restaurarent, et Lotharingum aequis conditionibus in Protectorem eligerent. Verum Ormonius et Ormonistae metuentes ne in ipsorum depressionem et justissimam tot delictorum animadversionem non solum Catholicorum pars antea semper sincera et sibi constans, sed etiam eorum, quos ipsi suis praestigiis fascinaverant, plerique jam machinationum Ormonicarum pertaesi, et malorum exinde natorum diluvio mersi, Clerus quoque universus et Lotharingus in unum corpus coalescerent, Summique Pontificis, jam Ormonistis succensis, et Catholicorum Principum ac Principatum ópe et favore secundarentur, atque adeo triumpharent, exquisitissimam in his Comitiis Loghreaghensibus, deindeque, industriam | exercuerunt, ut non alii, sed ipsi Lotharingo ejusque subsidiis in suos fines uterentur,

2108

vel certe ille tractatus potius incassum recideret, quam Iberniae ad libertatem modo jam tacto recuperandam inserviret, magis sperantes futurum ut sui Ormonii apud Regem fide et Regis quacumque demum via postliminio restituendi imperio suas possessiones olim Ecclesiae vel causae Catholicae assertoribus magna ex parte sub Principibus haereticis eruptas, proindeque sub Lotharingo naufragaturas recuperarent. Itaque aliis ad primaevam Catholicorum confaederationem redeundum esse affirmantibus, aliis contrarium ad Ormonii genium opinantibus, totoque pene die Novembris trigesimo in disceptatione illa utrinque acerrima consumpto, demum Ormonistae numero plures praevaluerunt, quorum judicio et alii non rationum soliditate (inquit Fernensis in quadam epistola Romam deinde ad suum nepotem scripta) sed suffragiorum pluralitate victi demum acquieverunt. Porro non nullis sub finem de excommunicatione Jacobopolitana conquerentibus Episcopus Duacensis docte oravit, ostendens multos Principes, Reges, imo et Imperatores, quos etiam exacta nomenclatura dimumeravit, fuisse ipsorum temporibus excommunicatos *ob causam Regni et in eo religionis ruina leviorum*. Epistola autem, qua post tantas contentiones ambae partes ad Ormonii litteras 16 Novembris datas respondendum duxerant, eadem die 30 Novembris ab insigni Ormonista, Comitiorum prolocutore, Richardo Blako, Anglice scripta hic sequitur:

“Suae Excellentiae D. Proregi Iberniae.

“Tuae Excellentiae placeat.

(229) “Haec Comitia me jussérunt, ut tibi significarem, se agnoscere | Excellentiam vestram ipsis praecipuis fines, ob quos Comitia convocanda essent, ob oculos posuisse, et nunquam plus quam modo fuisse, cur de hujus Nationis servandae ratione serio deliberaretur, nec possunt quin cum gratitudine confeantur Excellentiam vestram maximo suum in Nationem studium experimento demonstrasse, indicendo in eum scopum haec Comitia, in quibus Deo auspice futurum sperant ut Regni ab ultimo excidio præservandi via ineatur, eique insistatur. Id, in quo impræsentiarum Excellentiam vestram, quatenus faveat, interpellant, est, quod licet sua Majestas declaracione ejus nupera ipsi (sicut credimus) extorta contractam cum hac Natione pacem resciderit, ita tamen in fide atque obsequio erga ipsum constanter persistunt, ut serio atque humiliter postulent, quatenus Excellentia vestra cum ex Regno discessura sit, dignetur ante discessum transferre Regis authori-

tatem in alium populo gratum, et suae Majestati fidum, deque ejus obsequio et re sollicitum, cuius imperio nullam non praestabunt debitam obedientiam, haud dubitantes quin sua Majestas talem autoritatem ratam habitura et confirmatura sit, ubi Deo adjuvante suam absolutam et Regiam potestatem faeliciter et libere recuperaverit; utque Excellentiae vestrae ulterius placeat illas bonas animi propensiones, quibus hanc Nationem prosequitur, post appulsum fovere et continuare, perficiendo pro viribus omnia bona officia, quibus fiat ut suae Majestatis, ubi sui juris fuerit, meliores cogitationes et consilia fidelibus ejus in hoc Regno subditis innotescant et comunicentur, omniaque ipsis | suppeditentur subsidia, quae Excellentiae vestrae conatibus in eorum usum obtineri queant vel a sua Majestate, vel a quacumque alia externa potestate, et huic Nationi inter extremam qua praemittur necessitatem succursura. Caeterum humiliter valedico et remaneo
 Loghreagho 30
 Novembris 1650.

Tuus humili servus.

Richardus Blakus."

(230) Hae litterae tam multa paucis in Ormonii favorem cusa continent articia, ut prius ab ipso Ormonio delineatae, atque ad sui deinde fautores in Conventiculo Loghreaghensi ejus causam agentes missae videantur, ut Comitiorum nomine ipsi scribebentur, quo illas tanquam multas machinas uno partu natas, in suos suorumque fines hic occultos adhiberet, 1°. cum Ormonius ejusque fautores nihil non tentassent sed incassum, ut ipse Regno non abigeretur, nec exauthoraretur, vel saltem ut Cleri acta Jacobopolitana, quibus tanta criminum ipsi apud Regem objiciendorum strue notatus erat, revocarentur. Demum haec epistola eo scripta est artificio, ut Comitia Ormonium tanquam patrem Patriae, nedum omni crimine immunem lectori repraesentasse videantur. 2°. Tantam in ipso circa res imposterum apud Regem, vel alios Principes aut Principatus in Continente circa Iberniam gerendas fidem collocant. 3°. Cum Ormonius valde metueret ne se Clerus fautoresque tot transgressionum apud Regem accusarent, ipseque propterea paenas daret, vel saltem nullo exinde apud Regem favore polleret, huic malo occurritur illo verborum fuso, quo rogatur ut Nationis patronum apud Regem gerat. 4°. Rogatur ut subsidia procuret; | qua postulatione munitur occulto modo authoritate ad agendum Iberniae nomine de re illa cum

exteris Principibus, praesertim cum Lotharingo, ad quem allegaverat Taaffum, qui 16 Augusti Parisiis ad Regem (sicut superius vidimus) scribens : " Porro (inquit) super ea re assumo mihi libertatem proferendi meam opinionem, nempe futurum ut, si Scotti in ea sententia persistant, omnes Iberniae Catholicci vel se Independentibus submittant, vel sibi provideant, transiendo ad externi Principis obsequium, ad quod sollicitati fuere et sollicitantur. Cujus admissionem praesumo a tua Majestate haud aegre ferendam, si consenseris ut reddantur inhabiles ad exhibendum tibi famulatum, imo ad vivendum sub tua protectione." Haec ille 16 Augusti stylo novo, vel (quod idem est) 6 Augusti stylo Britannico seu veteri, proindeque decem diebus ante editam in Scotia a Rege toties dictam turpissimam in Iberniae Catholicos declarationem. Quid ergo postea Taaffus, quamlibet Ormonista, non dixisset. 5°. Denique Ormonius hic rogatur ut Regno exiturus suam alteri Proregis potestatem deleget. Quod ille, cum ipsi nolenti volenti abeundum esset, cumque delegandi electio ipsius arbitrio relinquetur, ardentissime cupiit, quo Iberniae Catholicis saltem absens per suum vicarium usque in finem imperaret. Caeterum licet haud expresse rogatus sit ut potius suum Clanricardium quam alium delegaret, id tamen factum, ne minus libere, quae Regis in eo autoritatem decebant, facere videretur. De reliquo non alias re ipsa quam Clanricardius ab Ormonio fuit delegandus, et ab Ormonistis desideratus. Quid autem Ormonius ad praefatam Comitiorum | epistolam responderit 2110 hic habe.

" Proceribus et Nobilibus apud Loghreaghum congregatis.

(231) " Post sinceras nostras salutationes. Recepimus quae per epistolam ultimo Novembris a Richardo Blako, Equite, datam expressistis agnoscentes luculentum specimen, quo nostram affectionem in hanc Nationem docueramus, convocando ista Comitia. Nec aliter haec interpretari volumus, quam velut procedentia ex vestro sensu multorum magis periculorum conatum nostrorum, quibus suae Majestatis subditos hujus Regni servare studueramus. In qua re diu laboravimus et libentissime perstitissemus, nisi multorum e Clero molitiones diu occultae et vota demum oppositio nos praepediisset, sicut liquet ex declaratione, quam adversus Regiae authoritatis in nobis continuationem edere praesumperserant et excommunicatione, quam in omnes nobis adhaesuros

Belling.
Annot. in
P. Pont.
pag. 29.

edixerant. Quibus actis licet fideles in suam Majestatem inclinationes, et sub ejus authoritate persistendi desiderium praeseferre, nec aliam quam nostrae personae aversionem profiteri viderentur, nihilominus considerato eos nedum in Regias suae Majestatis praerogativas, sed etiam in eminentissimam magisque essentialiem eorum partem involasse, nominatim assumendo absque authoritate ab ipso accepta potestatem cognoscendi de personae aptitudine vel ineptitudine | 2110 ad ejus populum sub ipso in hoc Regno gubernandum, et v absolvendi eundem populum ab obediendo eidem Gubernatori; non debemus suae Majestatis autoritatem (sicut desideratis) alteri committere, donec vestro circa eandem declarationem atque excommunicationem procedendi modo vestrum tantae et tam inauditae arrogantiae sensum atque improbationem plene nobis et satisfactorie notam feceritis, et hac ratione vosmetipsos reddideritis dignos, in quos Regis authoritas continuetur. Porro valde gavisi fuissemus, si vestris bonis studiis et fidelitate proponendam a nobis omnem ejusmodi conditionem anticipavissetis, quam usque in praesens, quo per eandem epistolam de praedicti Cleri processibus notitiam capere compellimur, distulimus, quo absque aliorum suggestione possetis opportune vosmetipsos in re vestram fidelitatem, libertatem, et conservationem spectante ab omni animi tepiditate vindicare. Si hac ex parte necessariam ob ea, quae gesta sunt, satisfactionem receperimus, et nihil ejusmodi pro futuro attentandum, vel certe non impune attentatum iri securi redditu fuerimus, parati erimus ad acquiescendum vestris postulatis, et eo casu, quocumque perrexerimus, totis viribus conabimur, ut hanc Nationem vindicemus, et bonam de ea suae Majestatis opinionem foveamus, atque industriam, quam possimus maximam, impendamus ad procurandum | quicquid in ejus honorem et incolumitatem vergere posse judicaverimus. Quicquid circa rem hanc faciendum duxeritis, haud diutius a nobis expectari poterit, quam donec ventus ad nos transportandos aspiraverit. Et sic ex corde vos valere jubemus.

Kilcolganiae,

2 Decembris 1650.

Vester carissimus amicus
Ormonius."

(232) Ormonius epistolae 16 Novembris exaratae subscribens se Comitiorum charum amicum, sed in hujus epistolae 2 Decembris missae subscriptione se eorum charissimum amicum

esse profitetur. Quod indicat Comitia litteris illis medio tempore, nempe 30 Novembris, a Richardo Blako eorum nomine ad eum missis, et aliis machinationibus rem ipsi fecisse longe gratissimam et eum demeruisse. Illeque dictae epistolae a Comitiis scriptae textum plus nimio favorabilem, ultra quam verba sonarent, scholiis in sui favorem illustrare caepit in hac sua responsione: "Recepimus (inquit) quae per epistolam ultimo Novembris a Richardo Blako, Equite, datam expressistis, agnoscentes luculentum specimen, quo nostram affectionem in hanc Nationem docueramus, convocando ista Comitia. Nec aliter haec interpretari volumus, quam velut procedentia ex vestro sensu multorum magis periculosorum conatum nostrorum, quibus suae Majestatis subditos hujus Regni servare studueramus." Haec paeclarus Scholiastes. Quae confirmant, quod superius ad illius epistolae 30 Novembris a Comitiis scriptae calcem dixi, nempe eo verborum artificio fuisse contextam, ut ejus in Comitiis adversarii illam tanquam ipsi veritati et aequitati a se propugnatae refragantem prohibere non valerent, quin ab Ormonistis velut nimis critici et apicum aucupes censerentur, licet de facto ille sub illorum vocabulorum mediiorum, dubiorum, et generalium a se tempore et loco suo scholiis in sui favorem illustrandorum velamine obtinere satagerit, quae jam a Clero denegata, et deneganda fuisse neverat. Quam ille epistolam artificiosissimam 30 Novembris sibi scriptam cum obtinuisse, ulteriora per hanc suam epistolam 2 Decembris exaratam postulavit arte quoad modum et substantiam semper Ormonica, adeoque exquisitissima, quam ipsi lectori perpendendam relinqu, alias multis paginis librandam, cum epistola illa plures fucos, larvas, et ludos contineat quam apices..

(233) Ea autem 4° Decembris in Conventiculo Loghreaghensi lecta, non nulli institerunt ut Praelati declarationem ederent, qua calumniis et imposturis ab Ormonio in sui purgationem ingenioso sibi objectis obviarent. Ormonistae vero presserunt ut Comitia de declaratione atque excommunicatione Jacobopolitana, horumque actorum fundamentis cognoscerent. Sed Praelati sua acta Synodalia laicorum calculis submittere recusarunt. Se tamen suapte sponte rationibus scripto producendis nemini praeterquam iniquo rerum arbitro non satisfacturos polliciti, et gravissimam sibi a Prorege per dictas ejus litteras injuriam irrogatam fuisse conquesti, rogarunt ut nedum suo, sed etiam Comitorum iudicio id omnibus constaret.

2111
v

2112 Verum Ormonius non nisi de | suffragiorum pluralitate, et de construpatis suorum judiciis jam certus illam epistolam scripserat, nec nisi in tepidorum quorundam Antistitum atque aliorum ecclesiasticorum, qui ipsi ad annos superiores studuerant, paenam justissimam permisit Deus, ut Confaederatio Catholica fidei ergo caepa, et aliquandiu paeclare proiecta, demum eo mersa fuerit profundi, ut ille haereticus ex hoste infensissimo in Proregem intrusus fuerit, et peculatus, nec non provinciae multis modis perperam administratae reus actus et peractus, Clero, etiam Praelatis antea sui studiosissimis, eum in modum in ipsis Catholicorum Comitiis insultarit, et eis crimina falsa intenderit. Porro hoc controversiae ab illa ejus epistola petitum caput inter ambas Comitiorum partes multo pulvere agitum fuit. Sed demum decretum ut epistolae apographum Praelatis traderetur, et quicquid respondendum duxissent, postridie producerent. Caeterum eodem die 4° Decembris, cum jam Comitio exēendum esset, allati sunt duo insanae magnitudinis fasciculi chartacei, seu potius libri sigillis muniti, et ad Comitia a Prorege directi, quibus legendis cum tempus non suppeteret, decretum ut eorum lectio in crastinum differretur.

(234) Itaque 5° Decembris in Comitiis lecti fuere illi fasciculi, quibus ille ad gravaminum et criminum ipsi antea objectorum capita respondere conatus est, sed *fasciculi illi* (ut Comitiorum Diarium mihi traditum habet) *parum vel potius nullatenus satisfecerunt*. Eodemque die Praelati suam super Ormonii epistola sententiam protulerunt, demonstrantes se ob justas causas in Congregatione Jacobopolitana de Ormonio exautho-

2112 rando statuisse; omnique tempore | Regis praerogativas et jus

v sacrosanctum habuisse, et nunquam ejus imperium sibi arrogasse. Quod totum Fernensis aliorum Antistitum verbis eleganter et eloquenter declaravit. Porro hic a scopo nostro

Just.
cap. 19.
num. 5, 6
7 et 8.

non aberrabunt huc spectantia Doctoris Enos verba: "In ipso (inquit) Conventiculo calumnias factionistarum edito publice scripto refutarunt Praelati, suamque sententiam et acta Synodi Nationalis Jacobopolitanae vindicarunt. Illis enim primo objiciebatur, quod Majestatis autoritatem invaserant, sententiam depositionis contra ejus Locum-tenentem ferentes, potestatemque Regalem exercitum consribentes usurpaverant. Cujus objectionis pars ultima (si quid roboris habet) aeque militat contra faederatos, eorumque supremum magistratum, exercitus plurimos ad septennium non tantum sine Majestatis authoritate, sed contra eos etiam, qui se a Majestate stare

garriebant, consribentes. Respondent autem Episcopi se idoneam in Regimine constituere personam, illamque, quae totum pene Regnum perdidit, amovere connitentes Majestatis bonum omnino intendisse. Atque haec nostra attenta fundantur in jure naturae et pastorali nostra cura (inquiunt) quemadmodum optimis probavimus exemplis et authoritatibus aequo scriptis atque verbis editis. Obligamur enim ad publicam salutem et generalem miserorum oppressionem cuiuscumque gubernatoris authoritati praferendam. Ubi praeceptum sublimioris obligationis concurrit, inferioris etiam jure divino cessat obligatio. Ideoque si obedientia authoritati Regiae quocunque constitutae danda repugnet populi conservationi, aut jacturam inferat libertati, et religioni, talem denegare obedientiam non est reputanda in Majestatis authoritatem intrusio, sed specialis potius fidelitatis demonstratio grata Majestatis agnitione, approbatione, et remuneratione digna. Potestas enim a Rege datur in aedificationem, non in destructionem. Aequo enim Majestatis interest ejus authoritatis titulo Regnum perdentem, atque manifestum et rebellem ejus usurpatorem repellere. Dimissa nutrice ablactandus infans, qui lacte pascitur corrupto. Amovendus rector, qui clavum tenens navim Regiam ad scopulos allidit, quantumvis diplomate authoratur Regio. Dimittendus aeconomus etiam a suis in famulitio sociis, qui in absentia Domini ejus dilapidat bona. Alia multa brevitatis causa omittimus exempla.

(235) "Objecerunt 2°, Praelatos fulminando excommunicationem ob obedientiam Majestatis authoritati in supremo ejus Gubernatore praestitam, subditorum libertatem tollere conatos esse in materia mere temporali. Respondent Episcopi Clerum Majestatis authoritatem stabilire, et subditorum libertatem vindicare conantes de neutrius labefactatione postulari debere. In illum omnes eorum actiones collinearunt scopum, ut populus ad expuendum virus, quo fuerat intoxicatus, et ad resistendum hosti jam apertis faucibus ad modicum illud Regni, quod supererat, devorandum parato animaretur. A veritate autem alienum est excommunicationis materiam fuisse mere temporalem. Basilicarum enim Deo sacrarum jactura, altarium prophanatio, fratrum nostrorum Episcoporum et sacerdotum trucidatio, administratae justitiae defectus, clamor et sine remedio pauperum oppressio, mere temporalia non sunt, sed proprie ad tribunal Episcoporum spectant, qui jure civili et canohico, Jure divino et particulari Regionum omnium,

2113 judices sunt peccatorum, causarum viduarum et miserarum personarum, | et generaliter, ubi judices temporales in administratione justitiae deficiunt. Quam ob causam Imperatores, v Constantinus Magnus, Theodosius Senior, Imperator Justinianus, Carolus Magnus, aliqui Episcopis potestatem fecerunt judicium laicorum mores examinandi, et gubernatorum, eosdemque corruptos, et legum transgressores deprehensos excommunicandi et deponendi.

(236) "Objiciunt 3°, Praelatos in hujusmodi excommunicatione vel Concilium Ecclesiasticum praecipitasse acta, nullam praemittentes aut populo aut gubernio monitionem. Respondent Praelati in notoriis criminibus, ubi periculum est in mora, non requiri praemonitiones. Ut quid enim nos praemoneremus (inquiunt) exercitus aut Commissarios, quos certe novimus proba nostra impedituros consilia, quemadmodum alias armis et sacrilegis mandatis Nuncium Apostolicum impediverant, quo minus Synodus Nationalis convocaretur. Ut autem tunc convocarentur Comitia Generalia, ipsorum judicio fieri non poterat. Et vero si convocaretur, periculum erat ne prius perderetur Regnum quam convenienter. Si autem Regni communitatem spectemus, constat ipsam fuisse prae-nominatam, eandemque pro officio nostro nos monuisse, et ad illud pro ejusdem conservatione nostris excitasse lachrymis, cuius conservationis sine excommunicationis interminatione consulere non poteramus ut nobiscum censuit ipsa communitas.

(237) "Objiciunt 4°, nec Praelatos nec Clerum judices esse de salute populi, sed illum, qui Regni clavum tenet. Responsio petitur ex responsione ad 2am objectionem. Allegant Praelati exempla sanctissimorum Episcoporum, qui ob causas longe minus graves Reges excommunicarunt | et Principes. S. Basilius excomunicavit Imperatorem Valentem, S. Chrisostomus Eudoxiam Imperatricem, S. Ambrosius Theodosium Seniorem, S. Stanislaus Boleslaum Poloniae Regem, S. Thomas Cantuariensis Henricum 2m Angliae Regem, Episcopus Arelatensis Philippum Franciae Regem. Praeterimus complures a Summis Pontificibus contra Caesares, Reges, et Principes fulminatas excommunications. Sed si argumentari licet ad hominem, plurimi ex iis, qui jam insurgunt contra nostram excommunicationis sententiam, olim tempore nostrae faederationis instituerunt et approbarunt excommunicationem contra morem gerentes Burlacio, Parsonio, et Concilio Regio Dublinensi fulminandam, penes quos tunc residebat potestas Regia." Haec ibi.

Idem.

ibid.

num. 7.

ibid.

num. 8.

2114

(238) Denique illo die 5^o Decembris cum multi rationibus a Clero adductis contenti essent, et alii ad Ormonii genium ambulantes secus se haberent, in eam itum est sententiam, ut quatuor Praelati, totidemque Proceres, et ex Communibus laici decem vel duodecim in Commissarios deligerentur, qui ut Ormonii votis satisficeret, una deliberantes declarationem conderent, qua fieret ut omnium partium discordiae sepone-rentur, et quantum studiorum atque opinionum discrepantia pateretur, Ormonii expectationi responderetur.

(239) 6 Decembris iidem Commissarii usque ad tempus vespertinum illi declarationi contexendae insudarunt, quae deinde in Conventiculo Loghreaghensi lecta, ita aliis, nempe Ormonii fautoribus, placuit, aliis veritati et aequitati litantibus et militantibus displicuit, ut Ormonistis suffragiorum numero longe praevalentibus eam illa pluralitas ratam gratamque habuerit. Statuerunt autem ut Clanricardio tunc apud se aegrotanti mitteretur, quo | suam diceret opinionem, quam Vicecomes Dillonus 7^o Decembris ad Comitia retulit, nempe eum respondisse sibi omnia probanda, quae Comitia statuerint, et optasse ut concordia illa prospere cederet. Tunc declaratio ita lecta denuo et modo jam dicto approbata fuit. Caeterum die pridiana 6 Decembris Comitia statuerunt ut juxta votum antea in aliis concessibus factum via iniretur, qua Collegium in honorem Sanctissimi Nominis Jesu aedificaretur, et 7^o Decembris Episcopus Duacensis Comitia rogavit, ut, ob partium reconciliationem et concordiam illa Conceptionis B.V. Mariae vigilia absolutam, in perpetuum gratitudinis testimonium decernerent ejusdem Conceptionis festum toto Regno celebrandum, quo Dei Mater et Deus, ejus filius, eorum conatus secundaret. In quod paucis in principio repugnantibus, demum omnes consenserunt. Porro declarationem illam 7^o Decembris Anglice editam Latine legas.

2114
v

" Loghreaggi 7^o Decembris per Comitia Generalia Loghreaggi celebrata, et in diem Novembris decimam quintam anno 1650 indicta.

(240) " Cum Archiepiscopi et Episcopi, qui ad haec Comitia confluxerant, suapte sponte, qua omnem suspicionem de ipsorum procedendi modis concipiendam procul facerent, declaraverint, et protestati sint se per suam excommunicationem et declarationem superiori mense Augusto Jacobopoli conditam

haud in alium scopum quam in religionis Catholicae et populi
 conservationem animum intendisse, nec se in suae Majestatis
 authoritatem aut in populi praerogativas ullenlus involare
 voluisse, idque sui fori non esse agnoverint. Perpensis hic
 2115 eorum | animi manifestationibus, protestationibus, et profes-
 sionibus eo spectantibus, et in hoc consessu factis, nec non
 suae Excellentiae litteris 16 ultimi Novembris datis, quibus
 tanquam praecipuum convocandi hujus consessus finem nobis
 commendat omnium discordiarum amputationem, velut
 optimam nostrae conservationis rationem. Nos in his Comitiis
 congregati Domini spirituales et temporales, nec non nobiles,
 judicantes nullum esse melius concordiae fundamentum et
 basim, quam ut suae Majestatis authoritati, cui omnem
 officiosam obedientiam debemus, et praestare tenemur,
 adhaereamus, et obsequamur, per praesentes declaramus et
 protestamur nostrum in suam Majestatem obsequium esse tale,
 et adeo nobis insitum, ut ab eo dimoveri nequeamus, nullaque
 hujus Regni Praelatis aut Proceribus, populo aut plebi, clericis
 aut laicis, suppetat authoritas, quae suae Majestatis
 authoritatem mutare, transferre, aut tollere valeat, quam
 utique potissimum suae coronae florem, et populi praero-
 gativarum sustentaculum esse censemus, quod hisce declaramus,
 protestamur, et agnoscamus, eandemque velut praecipuum, qua-
 secundum Deum nostra concordia et incolimitas subnitatur,
 a nobis essentialiter et juste deberi judicamus, et suam
 Excellentiam unanimi consensu obsecramus, ut pro magno
 suo promovendi suae Majestatis obsequii studio, et sincero
 desiderio, quo hanc Nationem, cui supra modum con-
 sanguinitatis, affinitatis, et fortunarum vinculis astringitur, in
 tuto positam cupit, authoritatem Regiam nobis reliquam faciat
 in aliqua persona suae Majestati fida et Nationi grata, cui, ubi
 nobis nota fuerit, non solum omnem exhibebimus debitam obed-
 ientiam, sed etiam optimam quamque viam et media nobis a
 Deo suggestenda offeremus et proponemus ut suae Majestatis
 praerogativa, populique jura et immunitates sartae tectae
 sint, et in omnibus locis et personis prompta suae Majestatis
 2115 authoritati obedientia | concilietur. Ulterius etiam declaramus
 v nos plane persuasum habere suam Excellentiam ad suae
 Majestatis jus et obsequium in hoc Regno promovendum mente
 fideli et lubenti animi affectu ductam fuisse, licet Deo placuerit
 permittere ut ad statum et conditionem, in qua nunc sumus,
 detruderemur, post quam Vadipontum omniaque alia hujus

Regni loca pacis mense Januario 1649 conclusae tempore ab hostibus possessa ad sua Majestatis obsequium, sua Excellentia gubernante et ducente, in varia suae personae discrimina et fortunarum jacturam redacta essent, excepta Dublinia et Londoneria.

Ex Comitiorum mandato :

Richardus Blakus."

(241) Hoc actum Anglice conditum Bellingus suo libello Parisiis ad annum 1654 in P. Poncium edito Latine inseruit, sed tanta in sui Ormonii favorem adulteratione ut ex apographo Anglo Latine vertere maluerim, quod nisi me fallit, Bellingus suos lectores fefellit. Porro hoc actum multis pariter artificiis scatens, et Ormonistarum numero longe praevalentium violentia atque astutia inique conditum pseudo-Comitia cum Luca Dillon et Jacobo Prestono, Equitibus, nec non Patricio Briano Armigero ad Ormonium miserunt. Qui per litteras respondit se ex Regno navigaturum suam Marchioni Clanricardiae autoritatem delegasse ea lege, ut declaratio illa iis illustraretur scholiis, et eam pateretur interpretationem, quam Clanricardius certis monitis ab ipso Ormonio instructus adjiciendam duceret. Comitia autem praefatae epistolae ab Ormonio iam solvente acceptae, et dictae declarationis 7° Decembris latae exemplar Portumnam ad Clanricardium ibi domi suae aegrotantem transmiserunt, et rogarunt ut, quam praedictae declarationi expositionem addendam vellet, significaret. Qui per litteras ad Comitia datas respondit se provinciam sibi a Prorege delegatam, praesertim interveniente Comitiorum libero consensu atque instantia, libenter obiturum, et fidei, rei Regiae, patriaeque in tuto ponendae causa, nec vitae nec fortunis parciturum ea lege, ut certis conditionibus a se tunc ad Comitia missis subscriberent. Quarum summa fuit ut belli prosequendi nervus suppeditaretur, et exercitus reprimendis hostium viribus par instrueretur ac sustentaretur. Arma, tormenta bellica, et omnia ad bellandum necessaria subministrarentur. Aes alienum in Reipublicae (Ormonio enim et Ormonistis atque haereticis anno 1648 exindeque in Nuncium Apostolicum, Clerum, fautor-
esque militaverat) usus antea ab ipso contractum solveretur. Unde tanti officii impensas numeraret, assignaretur, cum suum patrimonium adeo belli calamitatibus exhaustum esset, ut eos sumptus nisi Republica contribuente sustinere nequiret; et denique a civitate Limericensi, oppido Galviensi, atque ab omnibus Catholicis perfecta ipsi obedientia praestaretur, et

*Annot.
in P. Pon-
cium.
p. 26.*

declarationi illi 7º Decembris latae adderetur appendix aut clausula, vel certe alio acto a Comitiis caveretur ne qua, etiam Cleri, autoritate quovis praetextu populus ulterius ab obedientia sibi vel alii magistratui civili exhibenda dimoveretur. Quae ejus ultima conditio magnam Conventiculo Loghreaghensi, quamvis ex suffragatoribus ex parte longe majore suis compacto molestiam procreavit, | Praelatis indicantibus contingere posse casum, quo ipsi in Ecclesiae bonum, animarum lucrum, et populi salutem publicam Magistratui civili suas partes non agenti refragari tuta conscientia nedum valerent, sed etiam deberent et tenerentur. Eo tamen fraudum et violentiae progressi sunt Ormonistae, ut Episcopus Limericensis, ne discordia recrudescente illi ad Parliamentarios, sicut subinde comminabantur, deficerent, obtulerit aliam conditionem a ratione minus exorbitantem, nempe suscipiendum a Praelatis solemne juramentum de praestanda Clanricardio, tametsi Regis et Proregis haeretici vicem gerenti, ea in civilibus obedientia, qualis Henrico 7º vel aliis Angliae retro Principibus orthodoxis tempore Catholico a Clero praestari vel exigi soleret. Verum ille legem hanc quamvis sufficientissimam respuit. Itaque post plurimas Praelatorum et laicorum in Conveticulo Loghreaghensi super hoc nodo disputationes, demum controversia dirempta est, non omnibus sed pluralitate consentiente in hoc actum cum appendice deinde ob scrupulos postea natos ad calcem annexa:

“ Loghreagi 24 Decembris per Comitia Generalia
Loghreagi celebrata, et in diem Novembris 15am
 anni 1650 indicta.

2117

(242) “ Licet haec Comitia per suam declarationem 7º hujus mensis datam conatum adhibuerint, ut plenum de eorum in suae Majestatis autoritatem obedientia testimonium praeberent, nihilominus in ulteriore satisfactionem, et quo nulli suspicioni locus supersit, | amplius declaramus hujus Regni nec Praelatos, nec Proceres, nec nobiles, nec populum, nec Clerum, nec laicos attentatuos, laboratuos, conatuos, vel facturos esse ullum actum vel acta ad eximendum vel liberandum populum a praestanda debita et perfecta obedientia suae Majestatis autoritati Marchioni Clanricardiae delegatae, vel cuicunque alii hujus Regni Gubernatori seu gubernatoribus. Siquae autem ejusmodi opera, actio, vel conatus, ex quo aliqua pernicies seducendo populum nascatur, successerit, declaramus

nullam personam aut personas eo ductum iri, aut duci deberi se per suam inobedientiam quibuscumque id genus fundamentis nixuram obnoxias fore et subfuturas gravibus suppliciis ac paenalitatibus legum patriarcharum, quae Henrico 7° et aliis Catholicis Regibus sceptrum tenentibus vigebant, et in praxim redigebantur. Nihilominus ulterius declaratur nihil hoc acto contentum eo spectare, aut collineare, ut haec natio obtinenda articulorum pacis executioni non insistat, et eorundem violationi omnibus viis legitimis non occurrat. Cumque sua Majestas (sicut nobis relatum est) impraesentiarum constituta sit in potestate partis Praesbyteriana Scotorum, qui apertos hujus nationis hostes professi sunt, et nostrae religionis extirpationem jurarunt, palam facimus hujus acti sensum non esse ut teneamur obedientia vel observantia ullum prosequi Gubernatorem a sua Majestate suae coactae conditionis occasione, vel quamdiu conditio illa duraverit, indebito modo nominandum aut obtinendum, qui praesens Regimen sua Majestatis autoritate stabilitum disturbet, vel in pacis articulorum violationem tendat.

Per Comitia Generalia etc.

(243) "Declaratur per verbum, *debere*, declarationi, in quam | haec Comitia hodie consenserunt, insertum non intelligi, nec sensum esse, ut ad ea, quae Clerus hactenus egerat, referatur, vel ea ullenus respiciantur." Haec ibi.

2117

v

(244) Quo autem pacto in hoc Conventiculi Loghreaghensis actis violenter et astute condendis processum sit, haud evidentius mihi constat quam ex communibus litteris ad Archiepiscopum Firmanum Galvia in Italiam 12 Februarii 1651 directis ab Archiepiscopo Dublinensi, Episcopo Cluanfertensi (cujus manu epistolam praefatam scriptam fuisse video), Jacobo O Fallonno Vicario Apostolico Achadensi, Patricio Lynchaeo Collegii Galviensis S. Nicolai Praeposito, Carolo O Kellaeo Sac. Theologiae Doctore et Decano Tuamensi sui Capituli nomine subscrivente, et R.P. Francisco O Sullevano Fratrum Minorum strictioris observantiae Ministro Provinciali. "Cum (inquit) omnes unanimiter Episcopi pro suo jure et excommunicatione contenderent, visum fuit Ormonio, suisque sequacibus ut Assemblea seu Comitia Regni Generalia (quantum temporis injuria pateretur) apud Loghreagh Diaecesis Cluanfertensis in Conacia convocarentur, ubi nunc sedent. Eo vero (habito prius salvo conductu) convenerunt Archiepiscopi et Episcopi DD. Cassiliensis, Tuamensis, Fernensis, Limericensis, Cluan-

fertensis, Corcagiensis, Immolacensis, Cluanmacnosiensis, Dunensis, Duacensis, et Dromorensis. Ubi magnis utrinque animis de validitate excommunicationis (Jacobopolitanae) per Episcopos fulminatae decertatum fuit, Praelatis hinc pro jure suo acriter pugnantibus, laicis indignantibus et perniciosum sibi ac posteris suis reputantibus, Regiaeque dignitati, Regnique Rectoribus quam molestum et periculosum proclaimantibus, si pro libito audeant Episcopi eos deponere aut excommunicare, aut subditos ab obedientia ipsis debita avertere et revocare. Itaque non ad excommunicationis modo revocationem Clerum
 2118 adigere pergebant, | verum obligare ad fidem exhibendam ne talia imposterum attentarent. Sed tandem constantia ac rationibus Episcoporum evicti ab extremis destiterunt, et ad callida consilia reversi, ex Episcopis quosdam deceperunt, et in eam perduxerunt sententiam, ut saltem declarationem aliquam cum ipsis ederent in scriptis, qua Ormonio discessuro quoquo modo satisfacerent, et Clanricardio Catholico (si Deo placet) animos adderent, quod valde detractabat et respuebat supremi Gubernatoris supplendi locum. Contra quam declarationem protestati sunt Episcopi non nulli in Congregatione Episcoporum, videlicet Cluanfertensis, Cluanmacnosiensis, Immolacensis, et Dunensis, &c., propterea quod in ea clausulae quaedam continebantur periculosae in conscientia et scandalosae, utpote quod non habent potestatem Episcopi Regiam autoritatem in ullo casu violandi aut oppugnandi, et quod de recta Ormonii erga Regem mente et fidelitate certi fuerunt. Nihilominus suffragiorum superante multitudine in Assemblea, non solum enacta fuit ista declaratio, conscripta, approbata et recepta, verum adhuc Marchio Clanricardiae instabat ut hujusmodi propositio insereretur (aliter ei satisfieri non posse), videlicet, quod nullam potestatem haberent Episcopi subditos a Regii Gubernatoris ejusve delegatorum obedientia subrahendi, idque nullo prorsus casu seu praetextu quocunque, sed instante imprimis D. Cluanfertensi aliisque Episcopis, illam propositionem saltem in consequentia proxima haereticam esse praedicantibus, si ad antecedentia et consequentia comparanda esset non emendatus ingemuit sed indignatus infremuit propterea Clanricardius, et licet illa propositio in ipsis terminis fuerit rejecta, tamen alteram per factionem | suam extorsit declarationem, in
 2118 v qua aequivalentia fere inserta sunt maximo piorum scandalo. Quae res ita Cluanfertensem aliosque Praelatos offendit, ut ab Assemblea recesserint, nec in eam amplius venire, licet invitati,

vulerunt Cluanfertensis et Cluanmacnosiensis." Haec illi, quae ex ipso autographo Latino transcripsi. Porro haec sed paucis mutatis citat Doctor Enos ex alia epistola, si non ab aliis, certe ab eodem Cluanfertensi aliorum Praelatorum nomine indidem ad eundem Firmanum 28 Martii 1651 data, cuius specialem merentur mentionem haec verba : " Verum constantia (inquiunt) et rationibus Episcoporum superat ab extremis destiterunt, et ad callida conversi consilia *declarationem unam aut alteram invitis ac reluctantibus Episcopis extorserunt.*" Haec ibi. Et ibidem Doctor Enos : " Vides (inquit) lector quam falso decretum Loghreaghense in favorem Ormonii, Clanricardii, et utriusque authoritatis prolocutor Blakus omnium, etiam Praelatorum, nomine edidit. Pergunt iidem Praelati in eadem epistola : Visum est Episcopis (inquiunt) a severoribus abstinere contra hujusmodi declarationum authores processibus, et convenire potius quam (quod jam in proximo erat et in proclivi) Regnum in varias factiones proscindere et perniciosis diversa sententium tumultibus omnia permiscere. Ad hanc autem conniventiam movebantur Praelati partim timore, ne carceribus et bonorum depraeationibus ab Ormonio ejusque lictoribus multarentur, quemadmodum jam ante multaverant Reverendissimum Laonensem, a quo | quatuordecim florenorum millia diripuerant, partim fallacibus promissis, quod Regnum fideliter administrarent; quod quamprimum Suae Sanctitati (sicut habetur in eadem epistola 28 Martii data) pro Illustrissimi D. Nuncii ejectione submissionem mitterent, quae ex decreto omnium ordinum promissa est. Quod etiam Lotharingus in Protectorem Regium acceptaretur. Quod quidem communibus omnium votis ac suffragiis decretum est. Nihil tamen observatum." Haec Doctor Enos.

(245) Jam restat ut in tanta controversiae mensibus Augusto, Septembri, Octobri, Novembri, et Decembri utrinque acriter agitatae confusione, et in tam magna actorum interea conditorum varietate, quid pro certo tenendum sit peremptorie diffiniamus, cum Ormonius et Ormonistae omnes solitae sagacitatis et astutiae nervos intenderint ut acta actis elumbarent. Itaque 1° omnium in confessu sit tantas et tam multas per declarationem et excommunicationem Jacobopolitanam intentas fuisse Ormonio iniquissimi Regiminis corruptelas, etiam laesae Majestatis crimina, ut iis apud aequum judicem probatis, habitus fuisset dignissimus, qui securi percuteretur. 2°. Illorum actorum gravissimam esse autoritatem cum

*Just.
cap. 19.
num. 11.*



2119

amborum partium Praelati saeculares et Regulares, rebus maturrime ponderatis, ea condiderint. 3°. Ormonium et Commissarios fiduciarios ipsi faventes nullam non movisse lapidem ut Praelatos ad acta illa refigenda adducerent, et Ormonius non exauthoraretur. Verum Praelati se in illas conditiones non consensuros, nec tuta conscientia consentiri posse ita semper responderunt, ut propterea Ormonius etiam ante indicta illa pseudo-Comitia secum statuerit Regno exulare, licet discessionem distulerit, probaturus quid suae factionis in Conventiculo Logreaghensi praevalentis machinationibus moliri posset, in | quo tamen Praelati, etsi ab Ormonistis numero longe praecellentibus ultra modum agitati actorum illorum aequitatem solito constantius asseruerunt, usque adeo ut duo illi stupendae magnitudinis fasciculi chartacei ab Ormonio in nugatoriam sui purgationem ad Comitia missi, et 5° Decembri palam lecti, *parum vel potius nullatenus satisfecerint*, proindeque actorum a Clero in Ormonium Jacobopoli latorum authoritas, vel ipsis Ormonii fautoribus causam ad suam iniquam trutinam revocantibus sed aequitate tam palpabili superatis in immensum creverit, nec ipsa pseudo-Comitia unquam, rebus utrinque perpensis, operam dederint ut non exauthoraretur aut Regno deturbaretur, sed ut ante discessionem alteri suam authoritatem delegaret. Qui demum re ipsa non obstantibus tot tantisque suis et suorum in illo iniquissimo Conventiculo suffragiorum pluralitate longe praecellentium fraudibus et violentia, ipse sibi tantae struis criminum laesae Majestatis, atque aliorum delictorum conscientia, haud duorum illorum fasciculorum ineptiis in sui purgationem instituit, nec unquam se defensurus Comitiis quamlibet sui studiosis interesse aut praeesse ausus est, sed conscientia persequente in Continentem navigavit, in confesso ponens Praelatos eum gravissime quidem sed sobrie accusasse. 4°. Ex his manifestissime sequi Ormonium flagitosissimum perdendi Deo, Regi, et Nationi Regni authorem, fuisse dignissimum, qui cervices daret, nec nisi suae profligatissimae factionis favore et aliorum clementia factum ut capite non luerit. Cum enim non solum ambarum partium Praelati saeculares et Regulares, eorumque fautores a controversiae tantopere per quinque circiter menses discussae initio, in progressu, et usque in finem tanta animorum consensione et conscientia in ipso accusando | perstiterint, ipsique ejus fautores in pseudo-Comitiis numero praevalentes, et pro tribunali sedentes, accusationum capitibus exquisitissima sedulitate

examinatis, sententiam supprimere quam ferre maluerint, ipseque eandem potius detractandam quam urgendam duxerit, nec in se purgando tempus triverit, sed suae causae pessime desperans Regno abscesserit, nullam prorsus habet veritatis speciem eum de illis criminibus ipsi a Congregatione Jacobopolitana intentis se, ne sui quidem fautoribus rem discutientibus, purgare potuisse, usqueadē ut fidem potius habeat Praelatos modestia Christiana detentos multa alia, quae graviter in Rempublicam peccaverat, siluisse, nec illa ipsa nisi (quod subinde in actis publicis profitentur) conscientia compellente illi objecisse. 5° Hinc sequi nihil habendum esse quicquid in horum constantissima autoritate fultorum assertorum praedictum ex falsis, clandestinis, et surreptitiis, vel violenter et fraudulenter latis adversae partis actis citetur. Talis est clandestinae epistolae a Commissariis fiduciariis suo Ormonio 24 Octobris 1650 scriptae locus a nequissimo Bellingo suis *Annotationibus in P. Poncium quadriennio circiter interjecto ad annum 1654 Lutetiae Parisiorum editis intextus.* “Scimus (inquiunt) suae Majestatis autoritatem impetitam fuisse, et injustum imperium contra Regni leges susceptum, et certi sumus non licere ulli subdito illius excommunicationis (Jacobopolitanae) praetextu obedientiam Regiae Majestatis autoritati in Excellentia tua relucenti debitam negare.” Haec illi. Quo loco de illa Regiminis mutatione a Praelatis ante duos menses apud Jacobopolim decreta, et tunc ac deinde (sicut vidimus) inter partes agitata loquuntur, dignissimi qui non securi percuterentur, sed suspendio tollerentur, partim quod omnes, vel pene omnes anno 1648 | suo Ormonio ad remigrandum in Iberniā, et ad obeundum Proregis munus viam perfidiosissime straverint, partim quod a suorum Ormonistarum pseudo-Comitiis eodem anno 1648 convocatis in Commissarios fiduciarios ut Ormonio in Regimine assisterent, et pacis anno 1649 ineunte conclusae articulis fideliter exequendas invigilarent, cooptati, fidei in se collocatae adeo turpiter defuerint, ut Ormonio tam horrendis prodictionibus Regnum perdenti suapte sponte non obviarint, imo nec a Clero populoque porrectis haud semel prodictionum capitibus moniti, rogati, et pressi suas partes egerint, sed potius Clero demum illorum defectum mense Augusto apud Jacobopolim, exindeque, et alibi, supplente, suam Ormonio, ne tot flagitiorum paenas daret, inaudita perfidia operam accommodarint, metuentes ne et ipsi eorundem scelerum concisi eandem cum Ormonio infamiam aliasque animadversiones

p. 91.

2120

v

2121

subirent, et sperantes fore ut ejus apud Regem postliminio restituendum authoritate operaे ei tam proditorie praestitae infamem demum mercedem assequerentur. Porro quod contra haec, quae dixi, a Bellingo in sui Ormonii defensionem ex illa fraudulentissima et sacrilega pseudo-Comitiorum Loghreaghensis declaratione 7° Decembris anno 1650 condita et superius posita petitur, tela est aranearum. "Declaramus (inquiunt) nos plane persuasum habere suam Excellentiam ad suae Majestatis jus et obsequium in hoc Regno promovendum mente fideli et lubenti animi affectu ductam fuisse." Haec ibi. Quae (si declarationi, sicut sonat, fides habenda sit) non solum pseudo-Comitiorum laici, sed etiam Praelati testati sunt. Verum haec per illa, quae jam dixi, et hic non repeto, plane destruuntur, nisi fateamur hunc declarationis Loghreaghensis locum actis Jacobopolitanis tantopere inconcussis non adversari, sed esse medium quendam loquendi modum | ab Ormonistis, cum acta Jacobopolitana irrefragabilia esse judicassent, ingeniose excogitatum, quo ex una parte illa acta sacrosancta haberent, et ex altera aliquid dicerent, quo Ormonii votis nonnihil satisfacerent, ut Regis autoritatem antequam solveret Clanricardio delegaret, quam ipse per suas litteras 2° Decembris ad pseudo-Comitia datas comminatus est haud secus a se delegandam; requie ipsa praefatus declarationis Loghreaghensis textus ejusmodi medium et ab Ormonistis sua ingenia torquentibus sagaciter excogitatum loquendi modum continere videtur. Nam cum Praelati Congregationis Jacobopolitanæ actis eas Regiminis iniqui corruptelas, quae fori sui externi essent, in Ormonio damnassent, pseudo-Comitia cum Ormonium in foro externo absolvere non valuissent, per praefatam declarationem 7° Decembris 1650 astutissime conditam haud inficias iverunt quin Ormonius in foro externo damnandus fuerit, sed gratis et ridicule ad forum internum declinarunt et declarunt se *plane persuasum habere suam Excellentiam* non ad pacis articulos (quod notatu dignum est) circa nationis prærogativas et fidei Catholicae exercitium pactos executioni mandandum, sed *ad suae Majestatis jus et obsequium in Regno promovendum mente fideli et lubenti animi affectu ductam fuisse.* Quam ille mentem fidelem et lubentem animi affectum in Regis obsequium præsetulerat a belli initio, dum totis viribus et aperto Marte operam daret ut natione Ibernica et fide Catholica prorsus extincta, haeretici Angli et Scoti Ibernię debellarent. Quam etiam *mentem fidelem et lubentem animi affectum* in Regis

obsequium suis prodigionibus praetenderat, quando anno 1647 Dubliniam et alia praesidia, quibus in eadem vicinia praeesset, in nationis Ibernicae et fidei Catholicae extirpationem, atque ipsius Regis gravissimum damnum profligatisimis Angliae Regicidis nemine cogente tradidit. | Quae plurimaque alia ab Ormonio, dum apertum Ibernicae et nationis et Ecclesiae hostem profiteretur, patrata fuere talia ut Ormonistae interea sustinuerint, et hodie sustineant *se plane persuasum habere suam Excellentiam ad sua Majestatis jus et obsequium in Regno promovendum mente fideli et lubenti animi affectu ductam fuisse.* Sic etiam nunc, licet ejus opera contra pacis articulos, contra fidem in ipso positam, et contra fidelitatem ab ipso debitam Regno et Regi (juxta laesae Majestatis crimina, aliasque Regiminis iniquissimi corruptelas ipsi a Congregatione Jacobopolitana intentas) perniciosissima fuisse non negent, et licet ipsam ejus mentem atque animum quoad alia omnia malignum fuisse non inficientur, tamen declarant non *suam Excellentiam ad sua Majestatis jus et obsequium in Regno promovendum mente fideli et lubenti animi affectu ductam fuisse*, sed *se id plane persuasum habere.* Itaque non ejus opera sed solam ejus mentem, animum, et intentionem excusant imo non excusant, sed aliquo modo plane ridiculo excusare conantur, idque circa nihil aliud, quam circa solum *sua Majestatis jus et obsequium in Regno promovendum.* Quod tantum abest ut actis Jacobopolitanis aduersetur, ut etiam adminiculetur. Nam Praelati nunquam illi objecerunt quin eo malignitatis et paenalis caecitatis haeresim concomitantis mersus fuerit, ut Regnum Cromuello et Cromuellistis tanquam olim Regi obsecuturis ea ipsissima mente libens lubensque permiserit, qua ad primos belli annos Regis jus et obsequium in nationis et fidei Catholicae excidium, nec non in haereticorum et haereseos Anglicanae progressum promovere conatus erat, quaque Dubliniam | et alia viciniae Dubliniensis praesidia anno 1647 iisdem sicariis tradiderat. Quinimo ex actis Jacobopolitanis liquet Praelatos parum dubitasse quin non alia quam hac *mente et lubenti animi affectu ductus* se tot tantisque pravi Regiminis corruptelis ipsi ibi intentis contaminarit. Congregationis quoque Jacobopolitanae Commissarii ad postulata a Commissariis fiduciariis (ut superius videris) interposita 29 Octobris 1650 respondentibus eum haud injuria in ejusdem mentis suspicionem vocarunt. "Sua (inquiunt) Excellentia Corcagiae (anno 1648) declaraverat se Protestantum religionem durante vita conservaturum ad

2121

2122

ecclesiarum optime reformatarum exemplum. Idque re ipsa idem esse potest quod faederis (Puritanici) juramentum." Haec illi. Faederis autem Puritanici juramentum suscipientes ita in haereseos, praesertim Calvinismi, propagationem, et fidei Catholicae, proindeque nationis Ibernicae excidium jurabant, ut una Regis obsequium suae flagitiosissimae menti praetendere solerent, licet de facto Monarchiae ruinam plerique, peneque omnes anhelarent. Ipse quoque Episcopus Fernensis, qui in Congregatione Jacobopolitana Cancellarium egerat, et actis ibi latis, quibus Ormonius laesae Majestatis reus agitur, ita subscripserat, ut eorum aequitatem magnis deinde lateribus semper asseruerit, hujusmodi chimericam in Regem fidelitatem Ormonio concedit. Nam in sua rerum Ibernicarum relatione Archiepiscopo Parisiensi anno 1651 dedicata eandem causam in eum prosequens, et de civitatibus, oppidis, ac propugnaculis a Cromuello et Cromuellistis in Ibernia facili negotio captis loquens : "Alii (inquit) jacturam hanc gravissimam rejiciunt in Ormonii perfidiam in Regem. Verum ego ab iis in hoc | dissentio, putoque illum Regi fidum, sed erga religionem Catholicam ejusque professores male affectum." Haec ille. Quibus verbis profitetur ad declarationis a Comitiis Loghreaghensis 7^o Decembris 1650 conditae scopum se putare Ormonium illa laesae Majestatis crimina, quorum a Congregatione Jacobopolitana, proindeque ab ipso Fernensi tanta constantia reus actus erat, haud prae perfidia in Regem, sed prae religionis Catholicae et Catholicorum odio perpetrasse. Itaque ex his omnibus satis superque constat laesae Majestatis crimina, aliaque iniquissimi Regiminis delicta Ormonio a Praelatis ita fuisse objecta, ut eorum acta Jacobopolitana eo spectantia nec ipsi revocarint, sed maxima semper constantia vindicarint, nec Ormonistae post tantas fraudes et violentiam in Ormonii sui favorem adhibitam, et post exquisitam adeo controversiae discussionem, ea per declarationem 7^o Decembris 1650 Ormonii studio extortam enervarint, sed loquacissimo silentio et purgationis omissione, quae omnibus circumstantiis rite ponderatis peremptorie sententiae in eum latae aequivaleret, tacite confirmarint, licet gratis et ridicule sua ingenia torserint, ut intentionem, qua tot tantaque flagitia patrarit, haud adeo pravam fuisse ostenderent, non diffitentes quin illam delictorum struem commiserit data opera, ut nationem et cum natione fidem Catholicam deleret, et haereticos atque haeresim Anglicanam in locum substitueret, nec declarantes suam Excellentiam ad suae

pag. 22.

2122

v

Majestatis jus et obsequium in Regno promovendum mente fideli et lubenti animi affectu ductam fuisse, sed se id plane persuasum habere, cum tamen laesae Majestatis criminibus tam horrendis, | et tam constanter probatis, potius sequatur ipsam quoque ejus mentem etiam in Regem fuisse perfidiosam. Quo enim pacto nisi perfidiosa in ipsum etiam Regem mente fuisse credendum est eum, qui (ut Praelatorum in declaratione Jacobopolitana verbis utar) spe et expectatione, quam de illius fidelitate, generositate et egregiis ad regendum dotibus Regnum conceperat, omnes fecerat, et author factus est perdendi pene totius Regni Deo, Regi, et incolis.

2123

(246) Porro Ormonius 12 Decembbris 1650 ex Ibernia solvit *Cromueli* (sunt Doctoris Enos verba) *instructus salvo conductu 7° Maii 1650 dato, suarumque possessionum stipulante eodem Cromuello securus.* Cujus socius Insequinnius, postquam praesidia, quibus in Momonia prae fuerat, ad exeuntem annum 1649 Cromuello januas aperuissent, aliquot sibi tunc absenti adhaerentes Anglorum turmas ita aliquandiu in Ibernia duxit, ut demum illi, atque alii ex eadem natione haeretici Ormonio assistentes Ibernorum causam prodere, et ad suum Cromuellum ac Cromuellistas manipulatim transire solerent. Quo per crebram experientiam comperto, demum reliqui ab Ibernis haud injuria ita in novarum semper proditionum meditandarum suspicionem usque adeo vocati sunt, ut nostrates Ormonio et Commissariis fiduciariis supplicarint, quatenus nihil ulterius eorum fidei committerent. Denique eo demum processum est, ut ipsius Ormonii authoritate Boyllus, Decanus haereticus, cum Cromuello de conditionibus, quibus ad eum una palam et fide publica transirent, egerit. Omnibus autem transitionem facientibus Ormonius equos, quibusdam etiam arma, quibus Catholicorum impensis antea instructi essent, perinde condonavit, ac si non militiae Ibernicae albo expuncti, nec ad Regis et Regni truculentissimum hostem transituri, sed rude donati essent. Caeterum Insequinnius hactenus in Ibernia Ormonio ita adhaesit, ut cum ipso in Galliam navigarit, postquam Momoniae et partis Lageniae substantiam per aliquot annos, praesertim posteriores, extorsisset illorum latronum Anglicorum opera, quos cum praesidiis Momoniensibus jam dictis ad Cromuellum descivisse diximus, quosque a pseudo-Concilio Supremo ad annum 1648 exindeque usque ad illam defectionem Catholicorum succo et substantia saginatos fuisse vidimus, ut eorum conjuratione et auxilio sua nefaria consilia

Just.
cap. 17.
num. 6.

Belling.
Annotat.
p. 193.

2123

v

Just.
cap. 26.
num. 8.

exequerentur. De Insequinnio autem Doctor Enos: "In ejus (inquit) ex Ibernia discessu duos florenorum millions secum abstulisse communis habet hominum rumor. Datum enim ei a Cromuello salvum conductum pro transportatione centum quinquaginta millium librarum Anglicanarum remisit. Salvum enim sine summae limitatione habere voluit conductum, et obtinuit. Qui tamen ante inchoatum bellum, uti ex recentioribus, ita ex pauperioribus habebatur Baronibus. Quod si ex una duntaxat Regni Provincia tanta pecuniarum massa colligebatur, quanto major ex aliis Provinciis colligi poterat? Si autem illa ingens pecuniarum vis Insequinnio data, fuisse recta et religiose impensa in haereticorum debellationem, ne unus quidem in tota Ibernia nunc relinqueretur haereticus. Sed (ut dixi) homines illi (Ormonistae) misere tergiversantes, semper impotentes fuerunt, et pauperes, | dum agebatur de haereticorum debellatione, potentes autem et divites, dum agebatur de haereticorum conservatione." Haec ille. Qui per ingentem pecuniarum vim Insequinnio datam non solum intelligit illas pecunias, quas Cromuelli fide publica antea procurata inter transmigrandum ex Ibernia asportandas curavit, sed et alias summas, quarum calculum subducit, hic a me brevitas ergo silentio praeteritum, quod rem illam antea tetigerim. Caeterum Ormonius et Insequinnius in Galliam transvecti (Rege Angliae apud Scotiam extante) Reginam Magnae Britanniae inviserunt, cui facile fucum fecerunt, ut de productionibus in Iberniae perpetratis ei se purgarent, haereticorum Anglorum ipsi assistentium, praesertim Jermini, obstinatissimi Calvinistae, proindeque Ibernis infensissimi, opera, cuius consiliis Regina plerumque ducebatur, salva semper sua religione Catholica, cuius erat tenacissima. Ormonium et Insequinnium in Gallia Calvinistarum templa frequentantes ad tempus relinquamus, ad ipsos deinde reddituri, ubi alia juxta rerum ordinem retulerimus.

2124

(247) Ormonius in Ibernia (ut vidimus), antequam solveret, suam Proregis autoritatem delegaverat Marchioni Clariardiae, Catholico quidem, sed Ormonistarum dogmatibus et studiis adeo impie possesto, ut ad belli initium haereticis in Catholicos militarit, deindeque desistere coactus Ormonistarum favore obtinuerit neutralem agendi potestatem, demumque post multas machinas | ab ipso ad annum 1646 et 1647 in Ormonii atque aliorum haereticorum favorem, atque adeo in gravissimum causae Catholicae damnum adhibitas, contra

2124

v

decreta sub juramento observanda in virium Conaciensium Imperatorem anno 1648 a pseudo-Concilio Supremo Ormonium in Proregem revocaturo cooptatus fuerit, licet faederis Catholici juramentum nunquam nec ante nec post suscepserit, et 8 Martii 1647 a Comitiis Generalibus decretum fuerit ut omnes Confaederatorum duces militares juramentum faederis susciperent, proindeque nemo, praeterquam qui id suscepisset, Faederorum militiam duceret. Denique ab illo anno 1648 Clanricardius hactenus in secundandis Ormonii et Ormonistarum proditionibus et partibus adeo strenuus fuit, ut pene nulli in hoc secundus fuerit. Quare cum Clerus eorumque fautores hoc anno 1650 consenserint ut in Ormonii exauthorati locum Clanricardius substitueretur, prorsus insaniisse videntur. Quid enim post tam crebra et tam diurna notoriae impietatis experimenta ab homine illo expectandum, quam ut iisdem vestigiis usque in finem insisteret, cum anteriorum flagitorum nunquam paenitentiam egerit, imo hoc ipso autumno (sicut superius vidimus) se pejor evaserit. Qua autem Ormonii et Ormonistarum fraude et quorundam Praelatorum ignavia ad hoc magnum malum, et ulteriora miserandi Regni infortunia daemon viam sibi straverit, paucis te docebo.

(248) Nemo inficias iverit quin Congregatio Jacobopolitana haud pauca ad publicam Regni salutem conducentia generose decreverit, Ormonium gravissime accusando et exauthorando, et statuendo viam, quam suis deliberationibus suaviter et fortiter exequendis aptam judicaverat. Negari etiam non potest quin Congregationis Commissarii tam ante quam inter Comitia Loghreaghensis, et alii Praelati inter illa Comitia se generosissime gesserint circa duo magna controversiae capita, nempe circa actorum Jacobopolitanorum defensionem, et Ormonii exauthorationem. Verum Congregatio Jacobopolitana, licet resumendam veterem confaederationem statuerit, et certas personas ex quatuor Regni Provinciis ad tenendum novi Regiminis clavum cum limitationibus, quas in declaratione Jacobopolitana, et in Episcopi Dromorensis, nec non Decani Tuamensis ad Ormonium a Congregatione allegatorum monitis legimus, indigitarit, in prudentiam tamen gravissime peccasse. videtur, quod illis personis Clanricardium accensuerit. De quibus Doctor Enos, qui Congregationi interfuit, ejusque actis subscripsit : "Quomodo (inquit) inter hos fuerat annumeratus Clanricardiae Marchio, cum non fuerit unquam de Confaederatione Catholica, non bene capio. Si enim mea me non fallit

2125

*Just.
cap. 19.
num. 3.*

memoria, alius praeter ipsum fuit primo electus. Ut autem horum firmarent authoritatem, voluerunt Praelati ut Ormoniae Marchio penes hos Majestatis authoritatem relinqueret. Nec enim tunc perspectum habuerunt Regiae authoritatis revocationem, quamvis merito suspicati sint Ormonium nulla hujusmodi Majestatis autoritate, ex quo in Iberniam reversus, fuisse instructum. Firmiter etiam statuerunt nec alias se nec pauciores, nec aliam Regiminis formam admissuros. Dicebantur
 2125 autem non nulli Conaciae Praelati | Clanricardium catalogo v eligendorum Consiliariorum sine Commissariorum consensu inseruisse, eoque consilio sategisse, ut Regia authoritas alicui personae Regi et nationi fidae concrederetur, quam personam suum designarunt Maecenatem Clanricardium, a quo tamen consilio abhorrebant omnes boni et constantes Catholici, potissimum vero Concilium nationale, quos non latebat ejus cum haereticis perduellibus continuata ab auspicio bello conjuratio. Quamvis autem ex illis Praelatis aliqui propalarint Clanricardium fuisse a Parlamento Angliae in Iberniam ut exploratorem missum, carni tamen et sanguini acquiescentes suum Macaenatem ad Regni fastigium promovere voluerunt." Haec ille, qui per Praelatos illos Conacienses, si non alias, certe Tuamensem et Duacensem, binos fratres, Clanricardio eorum familiae *de Burgo* Principi, contribules, intelligere videtur, praesertim cum epistola a quibusdam Regni Praelatis, et aliis e Clero ad Archiepiscopum Firmanum ex oppido Galviensi in Italiam 12 Februarii 1651 directa, et inferius suo loco in medio producenda, praefatos duos illis coloribus, qui huic conjecturae astipulantur, pingat. Hi tamen duo actorum Jacobopolitanorum aequitatem strenue defensarunt et haud ultimam dederunt operam ut Ormonius magistratu abdicaretur, sed hoc minime probat quin Clanricardium suum sufficiendum curarint, praesertim cum Ormonio praeterquam exauthorato substitui non potuerit. Congregatione autem Jacobopolitanana soluta, cum Commissarii fiduciarii (sicut ex Commissariorum Congregationis epistola illis 6 Septembris 1650 scripta, et Athunrii ac Brouni a Commissariis fiduciariis missorum conditiones Congregationis |
 2126 Commissariis 28 Septembris Galviae propositae nec non Commissariorum Congregationis responsiones 29 Septembris ibidem datae nos docent) operam dedissent, ut Ormonius non exauthoraretur, et Congregationis Commissarii eorum postulatis non acquievissent, demum Athunrius et Brounus a Commissariis fiduciariis missi Clanricardium Ormonio sus-

tinendum proposuerunt. Quod demonstrat Clanricardii substitutionem fuisse artificium in Ormonii et Commissariorum fiduciariorum officina cusum, licet ipsi, nec non alii deinde Ormonistae subtilissimas excogitarint artes, quibus Clanricardius non a se in Regni moderatorem intrudi, sed a Clero et fautoribus humillime postulari, atque ab Ormonio instar maximi favoris obtineri videretur, ipseque Clanricardius maximam amplectendae illius provinciae difficultatem praesetulerit, fucum (ni me praesumptio validissima fallit) viris candidis factum, ne, ipso a Praelatis atque eorum fautoribus repudiato, ad veterem confaederationem rediretur, et factione Ormonica depressa, Clerus, Iberniique omnes sinceri Lotharingum vel alium exterum Principem suppetias potenter suppeditaturum in Regni protectorem ea asciscerent ratione et conditionibus, quibus natio et Ecclesia Ibernica refloresceret. Primam autem portam huic artificio a Congregationis Commissariis apertam fuisse reperio inter eorum colloquium 27 Septembris 1650 Galviae cum Athunrio et Brouno Commissariorum fiduciariorum nomine secum agentibus habitum, et die postera nec non perendina duobus scriptis vicissim missis mandatum, quae superius legeris. Quorum 2° Rapotensis, Aladensis, Fernensis, Clau fertensis, et Duacensis tanquam Congregationis Commissarii consenserunt ut Clanricardius solus Ormonio substitueretur *juxta Congregationis* (inquiunt) *Jacobopolitanae mentem*, cum tamen Congregatio Jacobopolitana modo jam dicto secus decreverit. Porro ex Praelatis Conaciensibus non solum Tuamensis et Duacensis, sed etiam (quod ex illius acti 29 Septembris 1650 dati subscriptionibus liquet) Aladensis et Clau fertensis (praeter quos quatuor haud alii tunc Antistites Episcopatibus Conaciensibus praeerant) in Clanricardii Ormonio substituendi inaugurationem consenserunt, deindeque Congregationis Commissarii per suam responcionem ad interposita a Commissaris fiduciariis postulata 29 Octobris 1650 datam et superius positam, haud pauca, quae eximiam animi magnitudinem et constantiam spirant, ita scripserunt ut tamen in praefata circa Clanricardium Ormonio sufficiendum sententia ibi perstiterint, et ratum gratumque habuerint ut Regni Comitia ad melius deliberandum indicerent, inque eum finem excommunicationis Jacobopolitanae suspensio prorogaretur. Quibus deliberationibus fide (credo) bona causam Catholicam jugularunt, cum exinde factum ut Ormonius et Commissarii fiduciarii conventiculum illud induxerint ea sagacitate quam

2126

v

congruere judicarunt, ut ipsi suffragantium pluralitate praevalerent, et publicam Generalium Comitiorum authoritatem suis machinationibus praetenderent. Porro mihi nusquam occurrit Congregationis Commissariorum nomenclatura, a quibus | praefata responsio 29 Octobris missa fuit. Observo autem nullum Momoniae Praelatum inter actorum a Congregationis Commissariis missorum subscriptiones mihi hactenus obvias repririri.

(249) Ad haec, quae dixi, a Congregationis Commissariis responderi posset ipsam Congregationem ad Ormonium allegasse Episcopum Dromorensim et Decanum Tuamensem, ut ad primaevam Confaederationem Catholicam redeundum esse, et certas personas ad novi Regiminis clavum sessuras ex quatuor Regni Provinciis delectas proponerent, sed Ormonium non acquievisse, seque non ante consensisse ut solus Clanricardius substitueretur, Ormonistarum praecipuos secus ad Parliamentum Anglicanum fuisse descituros, proindeque hostibus viam Atlonia, quae penes insignem Ormonistam, Vicecomitem Dillonum, esset, aperiendam in Tomoniam et Conaciam, unicam Regni Provinciam eousque ab hoste tutam, qua sospite nec Limericum nec Galvia periclitaretur, secus obsidenda, et dedenda in ambarum partium excidium. Quae angustiae negari non potest quin magnae fuerint, Deo illas justissime permittente in gravissimorum* peccatorum ab illis commissorum, qui Ormonium in Proregem revocandum, et Atloniam Dillonum restituendam ita curaverant, ut eorum non paucos hoc anno suae illius insaniae paenituerit, sed angustiis undique pressi eorum difficultates eluctari vix potuerint, ipsis Ormonistis, qui resipuerint, ab obstinatioribus Ormonistis, qui in pervicacia persistebant, discordantibus.

(250) His tamen perplexitatum labyrinthis impediti prudentiores judicarunt vix aliud a Clanricardio, Dillono, | atque illis aliis obstinatioribus Ormonistis expectandum, quam ut demum suis partibus deessent, longeque melius saluti publicae consulendum, si Congregationis Commissarii citius quam tardius de remedio statuerent, ad primaevam confaederationem Ormonio etiam invito redeentes, vel certe efficientes ut Comitia non Ormonii, nec Commissariorum fiduciariorum ipsi studentium, sed sua ipsorum autoritate convocarentur, ea aequitatis ratione et modo, quo fieret ut non Ormonistae per fas et nefas,

(* Deest hic aliquod nomen, e.g. paenam.)

in membra electi, sed aequi rerum arbitri in Comitiis dominarentur. Ormonio enim ne Comitiorum quidem convocandorum potestas concedenda erat post conditam declarationem Jacobopolitanam, qua Praelati: "Hisce (inquiunt) notum ac manifestum facimus universo populo illos minime teneri ad obedientiam dicti Marchionis mandatis aut decretis praestandum, sed debere illos, donec Generalia Regni Comitia *commodo* convocari possint, unanimes stare contra communem hostem pro defensione Catholicae religionis, Regii juribus, libertate, vita, et fortunis suis juxta juramentum associationis, et interim observare atque obedire formae Gubernii a Congregatione praescribendae, donec aliter a Comitiis Generalibus statuatur, vel sua Majestas super hoc consulta aliud praescribat." Haec illi, quae si executioni mandata fuissent, nec Ormonistae in Conventiculo Loghreaghensi praevaluissent, nec acta illa fraudulentissima superius posita in Ormonii favorem tulissent, nec Ormonio abituro cum exteris Principibus de subsidiis obtinendis potestatem Iberniae (ut videbimus) exitialem fecissent, nec Ormonii exauthorati locum Clanricardius eodem genio occupatus supplevisset, nec ambo suo machinationum commercio Regnum | Lotharingi subsidiis interclusissent, sed facile successisset ut veteri confaederatione redintegrata, et factione Ormonica depressa, Lotharingus vel aliud Princeps exterus Iberniae potenter succursurus in Protectorem eligeretur, illisque Iberniae ulterioribus occurreretur infortuniis, quibus portam hac negligentia apertam fuisse videbimus.

2128

(251) In his pseudo-Comitiis censurarum a Nuncio et Praelatis delegatis anno 1648 fulminatarum controversia non nihil agitata fuit, iis qui appellaverant innocentiam semper praetendentibus, alii vero, praesertim Praelatis, ut paenitentiam agerent exhortantibus, atque omnibus timentibus ne etiam hanc ob causam Deus tanto calamitatum diluvio nationem submerserit. Porro ante reliqua, epistola ter impia 19 Octobris 1648 a Richardo Blako pseudo-Comitiorum eodem anno 1648 indictorum nomine ad Nuncium, tum Galviae se tenentem, barbare et scelerate scripta, quam suo loco in medium attulimus, multorum conscientias stimulis fodicabat. Itaque eo demum ventum est, ut refractarii (neque enim alii paenitentia indigebant, sed laudem summam meriti erant) non in aliam, quam in futile submissionis formam Innocentio X mittendam consenserint a Richardo Blako, pseudo-Comitiorum etiam Loghreaghensium prolocutore vel certe alio operam accom-

modante ex Anglico autographo Latine versam, cuius versionem Latinam cum nondum viderim, ipse hic ex Anglico actum illud Latine reddo.

(252) "Cum nos hujus Regni Proceres et nobiles in hisce Comitiis congregati serio perpenderimus, eo a Praelatis et animarum nostrarum pastoribus adducti, non nulla | verba epistolae a Richardo Blako, Equite, et tunc Prolocutore sub-signatae, Comitiorum jussu ad Illustrissimum D. Joannem Baptistam Rinuccinum, Archiepiscopum et Principem Firmanum, eoque tempore suae Sanctitatis in hoc Regno Nuncium, directae et missae, nec non 19 Octobris 1648 datae, inserta, quae hic sequuntur. (*Quapropter Illustrissimam Dominationem vestram certiorem faciunt declarationem ac protestationem contra te praeparari suaे Sanctitati mittendam, ex parte complectentem capita contenta scripto hic inclusu, cuius Illustrissima Dominatio vestra dignetur notitiam capere, et te ad tuum iter Romam versus suscipiendum, atque ad te adversus illam tui ibi accusationem defendendum praeparare, idque ita ut interea Dominatio vestra Illustrissima sub paenit divino et gentium jure incurrendis, nec per semet nec per ulla alia sua instrumenta directe vel indirecte ullis hujus Regni negotiis se immisceat*). Quae epistola, cognita Suae Sanctitatis eam ob causam indignatione, jam cancellata et hujus Regni tabularum albo expuncta fuit. Nihilominus ut omnis scrupulus et prae-judicium, quod illorum verborum sensus atque interpretatio nobis procreare posset, evitetur et tollatur, nostrum esse duximus omnibus conscientiae stimulis et timoribus obviare, recurrente ad Suam Sanctitatem, et prosternendo nos ad ejus pedes, ac implorando ut, si per dicta verba vel illum nostrum, aut Supremi tunc Concilii, vel quorumcumque aliorum ex nostris actum, controversia inter eos, qui Reipublicae clavum tenebant, et praefatum Suae Sanctitatis Nuncium durante (nuperae Appellationis beneficium, et res ea contentas, atque ab ea dependentes | quoad omnes, quorum interest, semper reservamus) aliqua Sanctae Ecclesiae censura, vel Suae Sanctitatis indignatio contracta fuit, eadem liberemur, ejusque benedictionem assequamur." Hactenus illud actum.

(253) Circa hanc submissionem multa notanda sunt. 1°. Ejus authores perinde loqui, ac si totius Regni personam gererent, cum nec universum illud conventiculum Regnum repraesentaret, imo nec unius bonae Provinciae Comitiis aequivaleret, nec nisi ejus pars ex illis, qui anno 1648 in Nuncium

2128

v

2129

insurrexerant, compacta fuerit. Quare hi in illo Conventiculo potius ab aliis Nuncio fideliter obsecutis, tanquam pestiferi, separati, non Regni sed suo atque aliorum suorum complicum nomine Suae Sanctitati supplicassent. Quod cum non fecerint, Antonius Martinus et Thomas Lynchaeus Galviae personam in eo Conventiculo Loghreaghensi gerentes generose declararunt non esse, cur illud controversiae caput suaे Galviae nomine extricandum curarent, cum nunquam Nuncio atque ejus censuris Galvia morem non gesserit, licet plures Galvienses refragati sint, quorum esset non Galviae, sed privato nomine absolutionem petere, quod sola autoritate privata Nuncii adversariis adhaesissent. In cujus asserti probationem Galviae *Recordator*, Joannes Blakus, vir pietate et causae Catholicae zelo ardentissimo eximius, affirmavit testi locupletissimo, qui mihi rem retulit, se acto, quo Walterus Brounus, Galviae Praetor, anno 1648 inducias cum Insequinnio contractas, et censuris tunc prohibitas approbaverat, nunquam subscrispsisse, imo subscribere noluisse, proindeque nedum alias causas, sed etiam ex hoc capite illud non | publicum sed privatum extitisse.

(254) 2°. Haec submissio Loghreaghensis adversatorum Nuncio non Praelatorum sed laicorum nomine facta est, cuius rei rationem esse conjecto, quod illi Praelati modo pariter conditionato antea per epistolam in Congregatione Cluanmacnosiensi 12 Decembris 1649 datam Suae Sanctitati supplicandum decreverint, et eorum non nulli cum aliis Praelatis Nuncio obsecutis eodem die et anno 1649 ibidemque communi epistolae ad Innocentium Xum directae subscrisperint, qua testatum erat quaedam acta pseudo-Comitiorum anno 1648 inditorum nomine in Nuncium et ad Nuncium missa, de quibus suo loco fusius egimus, haud ab illis Comitiis, sed ab eorum paucis male affectis surreptitie emanasse, et calumniosa fuisse, cum tamen in hac submissione Loghreaghensi agnoscatur pestilentissimam epistolam, quae ab impio Richardo Blako illorum pseudo-Comitiorum nomine 19 Octobris 1649 data illis nefariis actis accensetur, *Comitiorum jussu* ad Illustrissimum D. Joannem Baptistam Rinuccinum, Archiepiscopum et Principem Firmanum, eoque tempore Suae Sanctitatis in Regno Nuncium, directam et missam fuisse. Quam tamen eorum, qui et anno 1648 Comitiis Kilkenniensibus et Loghreaghensibus hoc anno 1650 intererant, inter praesens controversiae in Conventiculo Loghreaghensi examen nullus (inquit Fernensis, testis oculatus, epistola 18 Julii 1651 ad Vicecomitem Taaffum, Nicolaum

2129

v

Plunkettum, Equitem, et Zepherinum Brounum Bruxellis
 scripta) agnoscebat utpote vilissimam. Quinetiam Duicensis,
 2130 qui et ipse eidem Conventiculo Logreaghensi | interfuit,
 prolixa sua epistola apologetica postea Londino Romam ad
 Massarium, Sacrae Congregationis propagandae fidei a secretis,
 17 Novembbris 1653 scripta tradit se et fratrem, Archiepiscopum
 Tuamensem, ante alios tunc Logreaghi operam dedisse, ut
 illarum litterarum ad ejiciendum Regno Nuncium a Blako
 scriptarum authores censurarum eapropter ipso jure con-
 tractarum metu percellerentur, et "tantum (sunt Duicensis
 verba) effecisse ut publico instrumento dicta Comitia Log-
 reaghensis testata fuerint dictas litteras ejectionis nunquam a
 Regno emanasse." Sic ille, qui etiam addit easdem litteras
 juxta Comitorum Logreaghensem testimonium *malevolorum*
duorum vel trium technam extitisse. Quae tamen in illam sub-
 missionem Logreaghensem a me Latine redditam non quadrant.
 Praecipua autem contradictio tolleretur, si verum esset (quod
 conjectandum videtur) Comitia Logreaghensis in submissione
 jam dicta agnoscere voluisse quod epistola illa a Blako Comi-
 torum anno 1648 convocatorum non *jussu* (sicut forsan
 calami lapsu dicunt) sed *nomine* scripta fuit, vel quod Blakus
 in ipsa professus est se a Comitiis *jussum* ut eam scribebat.
 Qui sensus eo validiori nititur fundamento, quod non re-
 periamus Praelatos, qui litteris 12 Decembbris 1649 ad Suam
 Sanctitatem datis illam epistolam a Richardo Blako scriptam
 modo jam dicto elumbaverant, quique ex bona parte Con-
 venticulo Logreaghensi interfuerunt, contra hanc submis-
 sionis | Logreaghensis clausulam, qua epistolam illam
 2130 v Comitorum *jussu* a Richardo Blako scriptam fuisse dicitur,
 esse protestatos. Qui tamen, ut sibi constarent, protestati
 fuissent, nisi sensus esset, quem expressi. Porro juxta haec
 litterae illae ab ambarum partium Praelatis 12 Decembbris
 1649 ad Suam Sanctitatem in dicta acta anno 1648 pseudo-
 Comitorum nomine adversus Nuncium lata datae, submissio
 Logreaghensis, et testimonia ex Fernensis litteris 18 Julii
 1651 scriptis, nec non ex aliis a Duacensi 17 Novembbris 1653
 exaratis laudata ita consonant, ut juxta locum ex Duicensis
 epistola citatum distincto a praefata submissione *publico*
instrumento Comitia Logreaghensis testata fuerint dictas litteras
 a Richardo Blako scriptas *nunquam a Regno emanasse*. Caeterum,
 etiamsi in confessu poneremus illa acta anno 1648 in Nuncium
 condita haud *malevolorum duorum vel trium technam extitisse*,

sed ab omnibus pseudo-Comitiorum anno 1648 celebratorum Ormonistis perinde ecclesiasticis ac laicis simul sumptis cusa fuisse, et omnes Conventiculi Loghreaghensis Ormonistas eadem rata grataque habuisse, non propterea Regni autoritate condita fuisse admittendum esset, cum Ormonistae in amborum consessuum neutro Regni personam gesserint, sed pestilentissimam conjurationem Regno exitialem utrobique conflaverint, proindeque tantum abest ut acta ab illis Cleri atque Ecclesiae adeoque ipsius Nuncii adversariis infensissimis lata vel approbata de Nuncii innocentia detrahent, ut etiam exinde majorem laudem assequeretur, cum aliunde manifestissimis constet argumentis, | illos pessime et Nuncium optime se gessisse. Quare nec Regni, nec Nuncii, sed ipsorum interest, ut acta tam pudenda non Ormonistarum omnium, nec multorum, sed malevolorum duorum vel trium technam extitisse sustineant.

2131

(255) 3°. Ex hac submissione Loghreaghensi colligendum est quanta obstinatione, et cordis duritia ac caecitate Ormonistae hoc actum condiderint, cum post causam a Sua Sanctitate ad ipsum Nuncium anno 1648 et 1649 remissam, post rejectam Romae eorum Appellationem, post deturbatam urbe, imo toto statu Ecclesiastico, hujus anni 1650 mense Martio ex mandato Pontificio P. Joannem Rouaeum, eorum procuratorem, nunquam ad audienciam admissum post tam funestum induciarum ab ipsis anno 1648 cum Insequinno contractarum et censuris prohibitarum exitum ut ipsa res in medio posita eos iniquissime et imprudentissime ad haereticos descivisse docuerit, post proditum ab ipsorum Ormonio Regnum, ut propterea ipsis partim contendentibus, partim parum repugnantibus ex-authoratus fuerit. Denique post saevissimam pestem, famem, et bellum Dei in immensum indignantis et tot eorum iniquitates ulciscentis flagella neandum cessantia, nec hic quidem culpam agnoverint, nec submissionem praesetulerint, nisi iis conditionibus et limitationibus ut actum hoc condidisse videantur solita sagacitate, non quo absolutionem a Sua Sanctitate obtinerent, sed quo se nunquam deliquesse solito pertinacius sustinerent, praesertim cum nusquam mihi occurrat illud unquam ad Suam Sanctitatem missum fuisse, usque adeo ut Dunensi et Guillelmo Burgatto a Congregationis Cluanmac-nosiensis Praelatis, imo (sicut | ipse Dunensis hoc anno 24 Maii Archiepiscopo Firmano scripsit) ab *omnibus ordinibus* decreta legatio ad proficiscendum Romam, et ad supplicandum Suae Sanctitati circa hanc controversiam hactenus et deinde

2131
v

Ormonistarum machinationibus suspensa fuerit, et demum licet ad eam prosequendam hoc Conventiculi Loghreaghensis actum conditum sit, ad nihilum (sicut suo loco videbimus) reciderit. Denique Ormonistas hanc suam Iudicram submissionem Loghreaghensem fide pessima a publico populi conspectu subduxisse, et nunquam ad Innocentium Xum misisse, author est

*Just.
cap. 2.
n. 3 et 5.*

Doctor Enos.

(256) Conventiculo Loghreaghensi Episcopus Dromorensis Commissariorum Ultoniensium nomine 10° Decembris exposuit Ultonienses anno 1649 Proregi et Commissariis fiduciariis non coaluisse, nisi ea lege ut exercitum ex suorum provincialium millibus peditum sex et octingentis equitibus conflatum semper haberent Regni sumptibus sustentandum. Totam Ultoniam excepta Comitatus Cavanensis parte penes hostes esse. Tria peditum Ultoniensium millia, et majorem equitatus Ultoniensis partem illius Comitatus impensis sustentari. Aequum autem esse ut exercitus ille ab hostibus hac aestate in paelio, quo Clogherensem atque alios multos partim captos, partim caesos fuisse vidimus, imminutus juxta praefatum pactum instauretur, instruatur, et sustentetur. Ipsos hac conditione cupere in Anglos Scotosque apud Ultoniam iterum impetum facere, vel certe ad Comitiorum nutum aliis Regni viribus cohaerere, et in quamlibet aliam Regni Provinciam se transferre ut in haereticos ibidem bellarent, eosque tributis alias populo extorquendis intercluderent, et his atque aliis manubiis justo | bello capiendis sibi de stipendiis militaribus atque annona providerent. Quibus auditis haud pauci Lageniensium tunc praesentium cupierunt ut in Lageniam destinarentur. Verum alii ex eadem Provincia metuentes ne Ultonienses licentiosis rapinis et direptionibus Lageniam plus destruerent quam conservarent, obviarunt. Interea Brienni O Nelli epistola, qua sibi et praefatis viribus Ultoniensibus ad Sineni, fluminis, ripam aditum in Conaciam a copiis (credo) Conaciensibus praeclusum fuisse significaverat, recepta, atque in Comitiis lecta, delecti mox fuere Commissarii, qui de ea re sederent ac deliberarent.

2132

Jacobus Prestonus, Eques, ad Comitia retulit, nempe ut illae vires Ultonienses saltem ad tempus partim in Comitatu Longfordensi apud Lageniam, partim in Roscomaniae et Mayoae Comitatibus apud Conaciam hybernarent, nec in praefatis Conaciae tractibus nisi Ultoniensium, qui magnis numeris cum armentis illo ex Ultonia ab hostibus occupata se receperant,

impensis viverent, quam sententiam in Comitiis suffragiorum pluralitas ratam habuit. Verum eorum, qui in Comitiis Conaciae personam gerebant, quidam suae Provinciae ruinam ab Ultoniensibus metuentes in illam deliberationem protestati sunt, reque deinde aliis diebus agitata, nunquam adduci potuerunt ut acquiescerent. Quare die Decembris undevicesima decretum ut Ultonienses, quos interea in Conaciam aperto Marte irrupisse video, Atlonia ex Conacia moverent, ipsisque nescio de quanto boum pingium grege in rem cibariam quantocytus prospiceretur, quo hostibus bellum illaturi in suam Ultoniam penetrarent. Et haec quidem sunt quae de Conventiculo Logreaghensi dicenda habui. |

(257) Restat ut ad hujus anni 1650 calcem alia quaedam rerum ad nationem nostram spectantium fragmenta ab oblivionis injuria vindicem. Quibus accensendum est P. Franciscum Magruarcum strictioris observantiae Franciscanum Ibernum ex Urbe in Iberniam remeasse, ut non nulla, quae ipsi Romae in mandatis data erant, ab Insulae Catholicis illis Nuncio antea studentibus exequenda curaret. Quae autem illa fuerint? Quam ille in ipsis exequendis operam posuerit? Et quod operaे pretium fecerit? Haud melius rescivi quam ex quadam ipsius epistola ex oppido Galviensi 5 Octobris 1650 Romam directa. Qua Latine loquens et manda illa nunc Illustrissimi D. Albitii *instructiones*, nunc *Curiae Sanctae instructiones*, nunc *instructiones Apostolicas* vocans significavit se ex quo 21° Decembris 1649 in Iberniam regressus, et ad Limericum terra potitus erat, suas partes strenue et fideliter egisse, et quatuor Regni Provincias lustrasse, ut quae in mandatis haberet, *opportune importune sinceris familiis inculcaret*. Et de iisdem instructionibus loquens: "Quas (inquit) circa festum S. Patricii Concilio Provinciali Ultonensi in villa Torbert congregato, et personam Catholicae memoriae Generalis O'Neill agenti praesentavi. Quibus tamen ob multas rationes, quas hic inserere praepropera festinatio mea versus campum Atlonensem non permittit, minime satisfecit." Haec ipse. Conjecto autem illas *instructiones* prudentissime eo spectasse, ut ad primaevam confaederationem Catholicam rediretur, et qui Nuncio adversati erant, praesertim *refractarii Praesules paenas suo delicto dignas darent.* |

(258) Jam alibi vidimus Patricium Crellium, Ibernum Cisterciensem, et in Ibernia Abbatem Niurensem anno 1649 a sua legatione, quam Londini infaeliciter obierat, in Galliam 2133

remigrasse. Inde autem Romam regressus est, ubi rei Catholicae per secundam legationem a se Londini obeundam promovendae spem fecit. Quid autem specialiter proposuerit, me latet. Et licet, si non alios, certe Archiepiscopum Firmanum et Massarium, sacrae Congregationis propagandae fidei secretarium, rebus ab ipso propositis aurem praebuisse inveniam, eas tamen nedum ab aliis, sed etiam ab his ipsis parvi factas non dubito, quod jam fidei, quae in ipso posita fuerat, inter priorem illam legationem proditae suspicionem subiisset. Porro Roma hoc anno ad ineuntem Aprilim rediit, Londinum regressurus. Unde ad Archiepiscopum Firmanum in Urbem dedit epistolium, quod ex autographo Latino hic subdo:

“Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(259) “Haec tenus recommisi Patri Philippo occurrentia Dominationi suae Illustrissimae referre. Idque imposterum continuabitur, ni contrarium Dominatio sua Illustrissima mandaverit. Caeterum me meaque paternae curae Dominationis suae Illustrissimae humiliter recommendo, cui deprecor ex corde et animo omnem faelicitatem, qui sum, licet indignissimus,

Londini 4 Julii 1650.

Dominationis suae Illustrissimae,

Obsequentissimus ac devotissimus servus ac
cliens,

P.C.”

2133 v (260) “Ab octo hebdomadibus jam septimanatim scripsi |
occurrentia ad D. Phillipum. Quod etiam deinceps aut ad
secretarium de propaganda fide, quamdiu hic morari valuero.”

(261) Hic Phillipus, de quo Crellius loquitur, quis fuerit, haud probe novi. Romae tamen se tunc tenuisse, nationeque Ibernum et Crellio charum fuisse non dubito. De reliquo Crellius post aliquot menses in Anglia transactos hoc ipso anno Parisios remeavit. Ubi explorato Brimingham a Vicecomite Taaffo cum litteris Regi Angliae in Scotiam, et Archiduci Leopoldo Austriaco in Flandriam, atque ad alios scriptis, de quibus antea dictum est, missum in eorum, qui eum illis epistolarum fasciculis spoliarint, manus incidisse, et litteras jam reseratas ad Capucinorum Ibernorum conventum Carolopolitanum missas fuisse, ac demum illius familiae religiosae Guardianum, P. Davidem Fitz-Geraldum, virum optimum, D. Eduardo Tirello S. Theologiae Doctori et Collegii Iberorum in urbe Parisiensi praefecto, ut ejus opera litterae illae ad Reginae Angliae imperium, quo vellet, mitterentur, significasse. Hoc

(inquam) toto per litteras illas ad Tirellum sibi familiarem, et fide (credo) optima male cautum explorato, Crellius mox fidei Catholicae zelum suae nequitiae praetendens ita viris sinceris et Regi Patriaeque fidissimis fucum fecit, ut illarum epistolarum apographa obtinuerit, zelo plane Apostolico flagrare visus, et comminatus futurum ut secus de illis velut causae Catholicae proditoribus apud Sacram Congregationem Romae gravissime conquereretur. Quo ejus astu non obstante, sola (quod sciām) litterarum a me superius positarum | exemplaria assecutus est, qua mente, vel in quos usus plane nescio? Eum autem cum Angliae Parlamento circa obtainendam Ibernis Catholicae religionis libere profitendae potestatem, et circa alias aequas conditiones, quibus Iberniae Catholici jam a Rege per suam declarationem in Scotia editam proscripti, atque aliunde ad magnas angustias redacti, illi pseudo-Reipublicae Anglicanae se submitterent, tunc egiisse in aliorum litteris lego. Ad quas conventiones inter Iberos et Parlamentum Anglicanum absolvendas rerum tunc status et novae circumstantiae viam munire videbantur. Nam Ibernorum non solum qui Nuncio adhaeserant, sed illorum qui in ipsum insurrexerant, plurimi (sicut vidimus) toto hoc anno crebras in Proregem Ormonium querelas moverant, adeo ut demum Regno abierit. Ipseque Rex edicto illo in Scotia edito mandatum Ormonio concessum revocarat. Quo factum ut Iberni a Rege jam derelicti rebellium loco positi, et legum haereticarum crudelitati mancipati, proindeque exacerbati, atque in statu prope desperato positi, a paciendo jam cum Parlamento Anglicano minus quam antea abhorrent. Parlamentum quoque jam Regicidio, rebellionibus, et aliorum scelerum maculis sine fine contaminatum, cum a Rege et Scotia, nec non partibus in ipsa Anglia Regi sparsim magno numero studentibus condignam sibi ultionem et paenam metueret, concordia cum Ibernis ineunda bellum ex illa parte finire, et in Anglia vires augere, inque eum finem conditiones, si non Ormonio aequas, certe minus iniquas concedere velle credebatur. Hinc Cromuello ex | Ibernia in Angliam accito, atque in Regem et Scotiam cum validissima latronum manu movere jusso, Respublica Anglicana solitis dolis uno eodemque tempore operam dedit, ut et Regem ob pacem cum Iberniae Catholicis contractam trium Regnorum haereticis exosum redderet, et Catholicos in partes suas adversus Regem affectaret. Nam cum Synodus generalis pseudo-Cleri Calvinistici Scotiae et illius Regni Commissarii status scriptura

2134

2134

v

- 13 Augusti 1650 data, quam exercitus Scotti Imperator, David Lesleus, cum litteris eodem die a se annexis copiarum Anglicarum praefecto, Cromuello misit, suam pro Rege bellandi mentem esse declarassent non aliam quam ut faederi Puritanico, in quod rebelles haeretici ad annos superiores in tribus Regnis juraverant, exequendo insisterent, Cromuellus scriptura illa aliquot suis ducibus communicata, litteris postridie ad Lesleum datis inter alia Scotis objecit eos Regem admisisse, sub cuius vexillis, et cui eo ipso tempore Catholici in Ibernia militarent. Quo factum ut Rex biduo interjecto, nempe 16 ejusdem mensis, edicto publico, cuius haud semel mentionem fecimus, pacem cum Ibernis contractam resciderit. Quo viso Parliamentarii Angli ita edictum illud, non quia Ibernis contrarium sed quia multas rationes, quibus trium Regnorum haeretici ad Regis causam sustinendam inducerentur, continens, altero edicto 28 Augusti 1650 damnarunt, et sub mortis paena prohibuerunt, ut una conati sint Catholicos tanquam a Rege jam alienatos in eum concitare, et ab ejus imperio ad suum seducere. |
- 2135 Quo spectasse videtur quod in Ibernia, dum Comitia Loghreaghensia celebrarentur, successit. Siquidem Joannes Grace et Joannes Brien, viri ex ipsa natione nobiles, ad Comitia perrexerunt cum litteris credentialibus, quibus novem ex Iberniae Catholicis, iique ex Comitatu Kilkennensi, subscriperant, rogantes ut ipsis fides haberetur. Qui duo in id animum intenderunt, ut Iberniae Catholici aliquos ad Angliae Parliamentum mitterent, quo totius Regni nomine cum eodem Parlamento conveniretur, et licet haud ab hoste se in eum finem missos dixerint, credere tamen par est occulta hostium suggestione id proposuisse, cum Axtelli, Kilkenniae sub Parlamento Gubernatoris, fide publica profecti sint, quam et ipsi (ut crediderant) non nisi Iretono Parlamenti Angliae in Ibernia *Deputato*, connivente, concessam fuisse dixerunt. Verum Comitia (sicut fusius retuli) rebellibus illis et horrendis Regicidis nunquam adhaerendum, sed Regi semper obtemperandum statuerunt. Crediderimque Gallum, quod sua interesset, et Regi Angliae studeret, operam dedisse ne Iberni Parliamentarii coalescerent. Quo spectat sequens charta, quam in Gallia ab aliquo Iberno Cardinali Mazarino, primario status Gallici Ministro, praesentatam fuisse conjecto.
- (262) "Quod certa est intelligentia ex Ibernia Praelatos Regni illius, et plerosque proceres unanimiter declarasse adversus Ormonium, Proregem haereticum, et Praelatos | excommuni-

casse omnes Catholicos illi adhaerentes vel faventes, et quod probabilissime expectatur declaratio facienda ab illis pro religione solum et Patria, ut fierent reconciliabiles quibuscumque Principibus aut statibus, quos pro defensione sui meliores et magis idoneos existimabunt esse. Unde ostium apertum manet Galliae, si non in suam protectionem Iberos alliciendi, saltem remedia sumendi, quibus Parlamento Angliae non jungantur in detrimentum magnum Regni Galliarum.

(263) " 2°. Quod si futura sit conjunctio inter Parliamentarios Angliae et Hispanum in bello offensivo et defensivo (sicut non solum probabiliter putatur, sed etiam in plena dispositione existimatur esse ut ad complementum ejus ultimum parum aut nihil desit), expectabunt Praelati et Proceres Iberni conditiones sibi pro religione et possessionibus in ista conjunctione a Parlamento Angliae per Hispani mediationem firmandas. Unde fieret ut gens illa militibus numerosa conjuncta industriae et opulentiae Parlamenti Anglicani, et fota influentiis Hispani multum nimis augeret exercitum, et vires Angliae, adeo ut ab una parte Hispano Galliam distrahente, ab alia Parliamentarii Anglicani exercitum Anglicum et Ibernicum ad eam invadendam mitterent, prout maxime desiderant, Regnumque Galliarum summe infestarent, et plenario conquestu sibi subjugare conarentur.

(264) " 3°. In praeventionem malorum supradictorum minantium Regno Galliarum concussionem, etsi pax generalis | concludi cito non possit, nec conjunctio Hispani cum Parlamento Angliae a curia Gallicana impediri, posset tamen ea, quae futura videtur inter Catholicos Iberniae et Parlamentum rationabiliter impediri, eo quod quamvis multi Catholicorum praefatorum sint inclinati, nescio quo genio, in Hispanum, alii tamen multi propendeant in Gallum, et omnes aversi sint a Parlamento Angliae, quod contrarium sit fidei Catholicae et Monarchiae. Quorum utrumque Iberni summopere affectant, ac proinde probabilissimum est quod, si a curia Gallicana mitteretur aliquis industrius vir illius nationis, qui credentialles haberet alias litteras seu instructiones privatas de proponendis ex parte Galliae conditionibus illius Regni Catholicis, si vel bello cum Parliamentariis continuando insisterent, vel si post emissam declarationem praefatam pro religione solum et patria in protectionem Regis Galliarum venire vellent. Verum simillimum est (inquam) positis rebus ut sunt, aut ut futurae brevi putantur, quod facile disponi possent ad alterutrum e

duobus illis, praesertim si res illa tempori et efficaciter tractaretur. Et per hoc fiet ut neque Parlamento Anglicano neque Hispano conjungentur ad invasionem Galliae ab illis sollicite meditata, sed potius utrumque et praecipue Parlamentum ab ista invasione divertent. Dum enim domi res non fuerit sedata, et ab ipso pacificata, instante continuo bello in Ibernia foris nihil moliri poterit. E contra vero, si in Ibernia, 2136 sedato bello, Catholici Parlamento | Angliae se submiserint, v procul dubio Scotti, inter quos et Parliamentarios non est differentia in religione, sed tantum in opinione, vel victi statim succumbent Angliae vel saltem cum ea excluso Monarchico Regimine faedus et amicitias inibunt, adeoque instructo uno vel pluribus exercitibus tres illae nationes in Gallias progredientur.

(265) "Considerandum igitur utrum melius et tutius videatur Regno Galliarum viam propositam de impedienda conjunctione Catholicorum Iberniae cum Parlamento et Hispano inire minimis imo nullis fere expensis pro praesenti, sed tantum fideli promissione praebendi auxilia lege supradicta (unde fieret ut bellum imminens Galliae in extera natione retineretur) quam defectu p̄aeventionis et alicujus sollicitationis permittere conjunctionem Iberniae totaliter cum Anglo et Hispano in Galliae destructionem. Quibus diligenter consideratis, se ipsum omnemque suam industriam et laborem humillime et sincerissime Eminentiae vestrae in quocumque itinere aut sollicitatione subeunda ad bonum Regni Galliarum et suaे Nationis offert

Servus fidelissimus et humillimus."

(266) Hujus chartae apographum in Urbem missum habeo, sed author quis fuerit nescio. Porro quid non nulli Iberni ex Nuncii partibus hac aestate Romae postularint, et quod responsum obtinuerint, sequens decretum te docebit:

" Die 4 Julii 1650.

2137 (267) "Referente Eminentissimo D. Cardinale Caraffa | petitiones tres Summo Pontifici pro Regno Iberniae in libello expositas, et a Sanctitate Sua ad hanc Sacram Congregationem pro resolutione remissas et sunt: 1. Ut Generales Ordinum nullum omnino constituant vel approbent superiorē majōrem vel localem, vel visitatorem in suis respective Ordinibus in Ibernia sine particulari licentia Sedis Apostolicae, nec possint

ullum eo mittere missionarium vel alium sine approbatione et licentia ejusdem Sedis Apostolicae. 2^a. Ut in sedibus jam vacantibus ex fidelissimis et dignissimis constituantur Episcopi commendati a D. Archiepiscopo Firmano, jam illius Regni Nuncio Apostolico, quia in Assemblaeis, convocationibus, et Conciliis Nationalibus et Provincialibus maxime necessaria sunt eorum vota, suffragia, authoritas, et sollicitudo contra multitudinem adversariorum, qui non alia quam hac sola ratione et modo suppressantur. 3^a. Ut privilegia et facultates Ordinariorum et Regularium removeantur et reformentur, ne in favorem suorum parentum, benefactorum, etc., iis abutantur, praesertim quoad bona ecclesiastica possidenda. Ad iam petitionem responsum fuit jura Generalium Religionum inmittendo superiores maiores vel visitatores non esse coarctanda, sed eos potius monendos per secretarium S. Congregationis, ut viros doctrina, probitate, prudentia, et authoritate pollentes mittant, qui muneric sui satagere valeant. Missionarios vero non sub dispositione Generalium, cum illorum missio tantum fiat arbitrio et ad beneplacitum, et expressa licentia S. Congregationis. Ad 3am responsum fuit ecclesiis vacantibus providendi tempus non adesse. Verum si miserrimum illud Regnum post cruentissima bella, quibus a Parlamentariis haereticis vexatur, omnipotentis Dei gratia ob Catholicorum | victorias in meliori statu componatur, pro arbitrio et prudentia Sanctissimi Domini Nostri opportuna et necessaria fiet provisio. Ad 3am fuit responsum denunciandos esse delinquentes Missionarios, illos praesertim, qui facultatibus abutuntur, ne boni malorum remotione laedantur aliquo damno innocenter affecti." Haec ibi.

2137
v

(268) Hoc Sacrae Congregationis propagandae fidei decretum haud aliter executioni mandatum fuisse video, quam forsan circa duos Religiosos, unum post alterum ad suorum fratrum in Ibernia praefecturam cooptatos, qui a Massario S. Congregationis jam dictae secretario, atque in rebus personisque Ibernicis bene versato commendati magnam aliis murmurandi ansam praebuerunt, suspicantibus se suosque fuisse postpositos, quia Ibernos recentiores, seu Anglo-Ibernos, alias vero duos fuisse assumptos, quia Ibernos veteres non juxta personarum merita sed juxta mensuram, qua natio apud Iberniam inter anteriores controversias in Nuncium vel pro Nuncio steterat, cui re ipsa plerumque aborigines adhaeserant, et recentiorum plerique adversati erant. Hinc etiam non nulli recentiorum

Ibernorum conqueri caeperunt latum fuisse Romae decretum
de solis Ibernis veteribus ad Regni praelaturas ascendis.
Quod sane iniquissimum esset, nec ita S. Congregationem
decrevisse, ipsa decreti verba demonstrant. An autem de-
cretum ratione atque aequitate consentaneum, ita hac una vel
altera vice executioni mandatum fuerit, ut non nulli tunc apud
Aulam Romanam autoritate valentes ac circa assumendos
consulti, non solum meritorum, sed etiam originationum et
controversiarum illarum in Ibernia natarum rationem habuerint,
2138 aliud contestationis caput est, circa quod unusquisque eorum
quorum interfuit in suo sensu abundavit.

(269) Vidimus Generalia Iberniae Comitia mense Martio
1647 decrevisse ut Capucini, qui ante non nisi Missionariorum
titulo in Ibernia Christo miltaverant, in Cleri Ibernici corpus,
perinde atque alii Regulares, insererentur, et Pontifici
Innocentio Xmo a Fernensi et Plunketto, anno 1648 Regni
legatis, Romae fuisse supplicatum, ut id Cleri populique Ibernici
votum suo decreto stabiliret. Quod tunc Pontifex ita distulit,
ut hoc anno id ipsum Romae in quaestionem venerit. Con-
sultus autem Archiepiscopus Firmanus, antea ad Iberniae
Confaederatos Nuncius Apostolicus, tale de Capucinorum
Ibernorum meritis Suae Sanctitati et Sacrae Congregationi
propagandae fidei testimonium perhibuit, ut Capucinis ad
decennium Conventuum in eo Regno aedificandorum, in quibus
instar aliorum quorumvis mendicantium ex eleemosynis vivere
possent, facta fuerit potestas, ipso Pontifice (ea in Capucinos
nostrates, praesertim ob tantam in sustinenda causa Catholica
constantiam, benevolentia fuit) decreti verba minus favorabilia
mutante, et dictante favorabiliora. Quod Cardinalis Caraffus
postea totus attonitus Capucinis retulit tam paterne a Pontifice
Innocentio fuisse praestitum, ut addiderit Cardinalis se nunquam
antea tantam in tanta dignitate dignationem observasse.

(270) Ad nationis etiam Ibernicae historiam spectat quod
hoc anno Universitati Parisiensi magnam disceptandi segetem
procreavit. In ea enim celeberrima Academia plurimi (pro
more) Iberni patria | Insula fidei ergo exules, sacerdotes, et
adolescentes saeculares, pro suo quisque studio strenuam
variis scientiis, artibus liberalibus et bonis litteris operam
navabant. Ex quibus D. Richardus Nugentius, ex agro
Corcagiensi oriundus, S. Theologiae facultatis Parisiensis Doctor,
nec vita morumque probitate minus clarus, id ibi efficit ut
sacerdotes nostrates diebus Dominicis et festis certa hora

pomeridiana in unum convenire, et de rebus spiritualibus alloqui, ac de ratione, qua fidei in Ibernia periclitanti subvenire possent, deliberare solerent. Itaque ducenti circiter sacerdotes Iberni in ea Universitate partim Doctores, partim Licenciati, partim Baccalauri, partim sacrae theologiae vel philosophiae candidati, ad aliquot menses hac mente et methodo in unum conveniebant, adeo ut de Ibernorum Collegio longe florentiori (nam aliud a multis retro annis ibi fundatum erat) quorundam benefactorum impensis fundando cogitaretur. Quod consilium, ubi ipsorum nostrarium non nulli odorati sunt, proposuerunt ut ante omnia statueretur quatenus ex quatuor Iberniae Provinciis Praelati per vices assumerentur, et Provinciarum neutra alumnorum numero in Collegio praecelleret. Alii vero non Provinciarum, sed meritorum et idoneitatis rationem habendam esse ducentes, affirmabant hanc nationis divisionem sapere carnem et sanguinem, non spiritum et vitam, qua prae destinati ex diversis mundi plagis assumpti, atque ab aliis pluribus earundem regionum indigenis discreti, unam confiant nationem charitatis vinculo conglutinatam, quae non habeat in hac lacrymarum valle manentem civitatem, sed futuram expectat. Itaque haec difficultas in illa sacerdotum congregacione saepius agitata fuit, quod Momonienses circiter tot, quot alii Iberni Parisiis essent, et nobilium ingeniorum ac virorum doctorum numero abundarent, proindeque alii timerent ne in Collegio, nisi praefata Provinciarum regula praefigeretur, caeteris praevalerent. Demum ea fuit judiciorum et studiorum distantia, ut illa congregatio in duas scissa sit, quarum una Momoniensium omnium et paucolorum Conaciensium, alia aliarum Provinciarum fuit, his Provinciarum, illis meritorum rationem habendam esse contendentibus.

(271) Desperata ergo ambarum partium coalitione, praefatus D. Richardus Nugentius suae Momoniensium et aliquot Conaciensium congregacioni proposuit futurum perutile ut communi decreto subscriberent, quo Jansenismum tunc in Belgio atque in Francia late pullulantem damnarent, ne illa secta in Iberniam jam haeresi Anglicana et Scotica afflictam serperet, et Insula fidei tenacissima aliis pravis dogmatibus magis inficeretur. Qua re in deliberationem adducta, alii magno zelo possessi consenserunt, alii dissenserunt, affirmantes se ad amplectendam Ecclesiae et Sedis Apostolicae super ea Jansenii doctrina sane prava decisionem esse paratos, sed nolle prius tantam controversiam diffinire, in qua tot tantorumque Praelatorum et

doctorum inter se apud Belgium et Franciam opinionibus dissidentium causa verteretur. Itaque huic secundae controversiae finem imposuit decretum, cui demum ex hac Momoniensium atque aliquot Conaciensium Congregatione non nisi praefatus D. Richardus et alii circiter 26 manus | apposuerunt, protestati se nunquam amplexuros nedum docturos doctrinam Jansenisticam, quatenus his quinque propositionibus contentam:

v (272) " 1a. Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia. Deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

(273) " 2a. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

(274) " 3a. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

(275) " 4a. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

(276) " 5a. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse."

(277) Ubi Iberos decreto suo et protestatione has quinque propositiones, primos sectae Jansenisticae fontes venenosos, repudiassse innotuisset, Universitatis Parisiensis Rector Magnificus, et ipse totus Jansenista, aliorum Ibernorum non nullis, qui Jansenismo tanquam doctrinae Augustinianae suffragabantur, apud eum conquerentibus, eos ad suum tribunal citat. Quos ut sibi constare vidit, nec a sententia deterre potuit, decreto tunc Lutetiae typis mandato | praescripsit ut intra octiduum palinodiam canant, non Jansenismum (nam hoc non urgebat) amplectentes, sed ejus censuram revocantes, sub paena satis gravi, nempe ut quotquot eorum jam in Universitate Parisensi gradus adepti essent, gradibus illis dejicerentur, alii adipiscendis praecluderentur, et omnes Scholarum ibi aditu eliminarentur velut magnae arrogantiae obnoxii, quod exules controversiam nec a Sede Apostolica, nec ab Ecclesia Gallicana, nec ab Archiepiscopo Parisiensi, nec a Rege, nec a senatu decisam autoritate privata diffiniissent, et doctrinam a tot tantisque Praelatis ac Doctoribus S. Augustino attributam damnassent, in gravissimam authoritatis Regiae et senatoriae, nec non privilegiorum Ecclesiae Gallicanae violationem. Et haec quidem decreti ac rationum ejus summa fuit.

(278) Iberni, interposita appellatione, hoc Rectoris Magnifici decretum eluserunt, tota interea commota Parisiorum civitate, quae omnis sexus et conditionis Jansenistis scatebat, illam alapam suae sectae impactam aegerrime ferentibus, sicut alii omnes Catholici Ibernorum zelo in immensum laetabantur. Hinc magna industria et apparatu neutra partium non contendit, ut Kalendis Aprilibus hoc anno 1650 in Universitatis comitiis alteri circa hanc controversiam praevaleret.

(279) Itaque in illo Doctorum Parisiensium atque aliorum aliis inferioribus gradibus scholasticis insignitorum consessu Rector Magnificus suam et Jansenistarum omnium causam oravit, eumque alii haud parvo numero Jansenistae magnis lateribus secundarunt. Sed Ibernis alii numero, doctrina et pietate superiores ita adhaeserunt, ut quaestionibus ardenti animorum | calore et contentione agitatis, demum facultas Parisiensis acto publico longe generosissimo Ibernorum protestationem approbarit; Rectoris decretum refixerit, Ibernorum causam in suam transfuderit, et Doctores nominarit, qui Universitatis sumptibus litem, ubicumque opus esset, prosequerentur. Qua confusione obruti Jansenistae nullum non moverunt lapidem ut in Universitatis Comitiis Maiis triumpharent. Hac quoque mente Doctores suae sectae addictos ex vicinia late patente invitarunt, nec adversae partis Doctores minore apparatu hunc secundum triumphum ornarunt. Quem reipsa post causam denuo multo pulvere ventilatam reportarunt. Denique tota hujus controversiae et triumphi vere Catholici series tunc typis in urbe Parisensi ita mandata fuit, ut postea Clerus Gallicanus eandem causam (sicut suo loco videbimus) Romae presserit, et Innocentius Xus propositiones illas ab Ibernis tunc rejectas, atque in ipsis tanquam in impuris fontibus Jansenismum damnaverit.

(280) Hoc anno in lucem editus fuit Parisiis libellus, cuius haud semel mentionem fecimus, cui titulus *Vindictiarum Catholicorum Iberniae, authore Philopatro Irenaeo, ad Aliophilum libri duo*. Authoris nomen suppositivum est. Quem constat fuisse Joannem Mac-Ceallachanum, aliis corrupte Callaghanum, et aliis nominum dolatoribus Calaganum, Ibernum Muscriensem, et Sac. Theologiae Doctorem Parisiensem, de quo, atque ejus libello postea Romae damnato, satis duxi ad hujus operis calcem opusculo altero quid sentiam, aperire, et in quo a veritatis atque aequitatis tramite aberraverit, | memoriae exactius prodere, quam prolixa rerum repetitione hujus nar-

2140
v

2141

rationis filum interrumpere. Quare in summa lectorem moneo libellum in eo esse pene totum, ut in rebus Ibernicis hoc bello gestis Nuncium atque ejus fautores carbone, Ormonium vero et Ormonistas creta notet, tanta mentiendi et calumniandi libidine, ut mirum sit quo pacto, homo rationis particeps, christianus, sacerdos, tantopere animam et conscientiam oblivioni tradiderit. Nec scribendi modus minus est intolerabilis. Nam tanta arrogantia, temeritate, et impudentia, quae notorie falsissima sunt, perinde sustinet et premit, ac si quatuor Evangelistarum autoritate niterentur. Quid memorem pudendam vesani hominis impietatem, qua Nuncium atque Iberniae Clerum, excepto Ormonico, rabidus insectatur, et haereticis atque eorum fautoribus iniquissime et falsissime patrocinatur. Nec silentio praetereunda est mala ejus fides et animi malignitas in actis adulterandis, et multis aliis scribendi artificiis, quibus in aequi arbitri, qualis debet esse omnis historicus, integritatem peccat. Ex quibus haud ultimum est quod suum libellum venditioni publicae Parisiis exponendum curaverit, cum nisi pudori nuncium remisisset, eum potius suppressisset, hoc anno postquam ambarum partium Clerus Ibernicus actis Jacobopolitanis Ormonium, ejus Maecenatem, tanquam perdi et proditi Regni authorem exauthorandum decrevissent. Qualem etiam fidei pessimae labem contraxit suo secundo *Vindiciarum* libro in P. Paulum King, Franciscanum Ibernum, edito, quo ille inter alia multa calami ibi sui errata Carroni et Franciscanorum, qui a Carrono in Ibernia steterunt, Apologiam edidit, et seditionis a Carrono et Carronistis anno 1649 in Provincia et in Provinciam | nequissime concitatae v acta, litisque turbulentissimae processum, tanquam sanctissimum caeptum, provectum et absolutum in eorum defensionem, atque in Ministri Provincialis, Diffinitorum, et Provinciae ex parte longe maxima causam Catholicam generosissime sus- tenentium criminacionem in medium produxit postquam Carroni mandatum Ordinis Vicarius Generalis de ejus furore monitus revocasset ; postquam ipse Philopater (sicut ex ipsius arrogantissima epistola eidem P. Vicario Generali inscripta, et inter 1m et 2m *Vindiciarum* librum inserta liquet) revocatum fuisse didicisset, et denique postquam ipse Carronus et Carronistae hoc anno mense Augusto (sicut ex ipsorum actis superius positis constat) in Franciscanorum Iberniae Comitiis Kilconellensibus suapte sponte palinodiam cecinissent. Nec est cur ad Philopatrum de hac mala fide posteris purgandum

dicatur, eum cum suum libellum Parisiis publicis usibus hoc anno exponeret, illa acta Congregationis Jacobopolitanae Praelatis in Ormonium condita et Carroni, nec non Carronistarum resipiscentiam latuisse. Nam contra hoc effugium tria habe: 1°. Illa in Ibernia adversus Ormonium acta 12 Augusti 1650 condita fuisse, et Carrorum cum Carronistis in Capitulo Provinciali jam dicto per acta 18 et 19 Augusti 1650 data suorum delictorum veniam rogasse, sed distrahendi libri a Philopatro compositi per actum 26 Octobris 1650 datum (sicut ex ipso post libri primi praefationem intexto liquet) typographis Parisiensibus factam fuisse publicam potestatem. 2°. Ipsissima die, qua Parisiis haec nuncia circa Congregationis Jacobopolitanae acta et Carroni et Carronistarum | palinodiam ex Ibernia certo constiterunt, Philopatri libellum (quod mihi, qui tunc Lutetiae commorabar, liquet) publicae venditioni fuisse expositum, perinde ac si rerum illarum in Ibernia gestarum notitia recens hausta libelli jam typis clandestinis mandati venditionem eatenus ex nescio quo artificio dilatam, haud ulterius differendam judicasset, ut sua mendaciorum et calumniarum farragine de rebus in hoc bello antea gestis consarcinata tantae evidentiae in suum Ormonium et Ormonistas apud Continentem percrebrescenti obviaret. Etenim P. Joanni Poncio in vicis Parisiensibus obvius: Hodie (inquam) Ceallachani libellum venditioni expositum vidi; et ille se eadem die nuncia jam dicta ex Ibernia recepisse respondit. Fidemque habet non solum aequa cito, sed etiam citius Ceallachano per litteras ex Ibernia a suis Mecaenatibus sibi, imo etiam Reginae Angliae, cuius tantopere interesset, scriptas eadem innotuisse, ut suo libello, ad quem componendum scribendi segetem a sua factione ex Ibernia acceperat, vulgi animos occuparet. 3°. Eum postea rebus magis magisque cognitis permisisse ut idem suus libellus perinde distraheretur, ac si acta Jacobopolitana et Kilconellensia nunquam condita fuissent. Nec certe negari potest quin libellus ille tunc temporis editus causae Catholicae in Ibernia atque alibi plurimum praejudicarit. Nam cum Iberni etiam Ormonistarum plerique experientia compertum habuissent, quantopere a Nuncio, Iberniae Clero, et fautoribus ad haereticos annis superioribus desciscendo insanierint, ita resipiscere caeperunt, ut hoc anno juxta Congregationis Jacobopolitanae acta primaevam confaederationem resumere, et Ormonii atque aliorum Ormonistarum obstinatorum dogmatibus, nationi et fidei | exitialibus, aeternum renunciare gestierint.

2142

2142

Verum libellus ille magno exemplarium numero studiose distributus adeo malignissimis, quibus scatet, artibus multorum, quos factorum actorumque fides lateret, resipiscentiam stitit, ut usque in diem hanc non desint, qui illo opusculo seducantur. Praeterea cum sanae in Ibernia Catholicorum partis interesset ut se Regi et Reginae Angliae de Ormonii exauthoratione purgarent, eamque ob causam non Principum indignationem incurrerent, sed summam laudem, favorem, aliaque fidelitatis praemia assequerentur, nec Ormonius deinde in ulteriorem eorum ruinam fide apud Principes polleret, sed potius dignam malis facinoribus paenam daret, libellus ille diabolicis artificiis, quibus Principes ad Ormonium tanquam sibi fidelissimum, omni favore prosequendum, et ad Ormonii adversarios rebellium loco habendos adducerentur, refertus re ipsa haud parum conduxit ad peragendum, ut hoc totum succederet. Porro quidam causae Catholicae fautor, natione Ibernus, opusculum tunc Parisiis recens lectum atque ipsum authorem (qui, ne a patriotis zelo flagrantibus, et magno numero Lutetiae commorantibus vapularet, libello venditioni exposito Parisiis alio successit) hac censura notavit:

- (281) “Pseudo-pater vidique tuum, legique libellum,
 Qui dignus genio est, ingenioque tuo:
 Ille tuo dignus genio, quia continet omne
 Quod ructare potest mens scelerata scelus.
 Ille tuo ingenio dignus, quia mortua moles.
 Estque carens omni pondere pondus iners. |
 Sed quid? magna nimis tibi crevit fama libello;
 Magna nimis (fateor) sed nimis illa mala.
 Imo malam famam tibi subtrahit iste libellus.
 Cur? dicam. Facta est pessima, fama mala.”

2143

- (282) Quod hic dicitur, scilicet opusculi authorem etiam antea male audiisse, haud aliud indicat quam eum non solum Ormonistarum in Ibernia, sed etiam Jansenistarum in Gallia dogmatibus fuisse addictum, quae licet controversiam patentur, male tamen sapiebant. De reliquo ille ingenio, doctrina, et vitae probitate commendabilis, Latinae quoque linguae stylo terso et nitido (sicut in eo opusculo videre est) non caruit, Quomodo autem Archiepiscopus Firmanus illis calumniis obviare, et res Ibernicas eodem tempore longe aliter in lucem edere decreverit, ipse manu propria P. Richardo O Ferallo,

Capucino Iberno, litteris 5 Decembris hoc anno 1650 Firmo Romam scripsit his verbis: "Quoad (inquit) res meas libere atque ingenue loquar. Si Paternitas vestra per aliquod tempus Firmi commorari (quod ego a Reverendissimo P. Generale statim impetrarem) voluerit, sperarem historiolam rerum Ibernicarum cedere, et fortasse orbi non ingratam. Cogitet ea super re. Nisi enim ex animo hoc fiat, exitum faelicem habere nequaquam poterit." Sic Firmanus, de qua ejus mente inferius redibit sermo. Hic tantum addo eum sibi et sui in Ibernia fautoribus, nec non Sedis Apostolicae causaeque Catholicae defensioni haud parum fuisse suffragaturum, si ex Ibernia | in Urbem regressus ejusmodi historiam in lucem edidisset, 2143 ante quam adversarii libellis famosis Catholicorum omnium v et haereticorum aures appellerent.

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS
VOL. IV.
PARS. III.
AN. 1651.

VOL. IV. PARS III. AN. 1651.

In Nomine Sanctissimae Trinitatis
incipit Annus 1651.

(1) Exordiendum duxi hunc annum a litteris, quas mense Februario Archiepiscopus Dubliniensis, Episcopus Cluanfertensis, epistolae scriptor, et alii non nulli Iberniae ecclesiastici ad Archiepiscopum Firmanum in Italiam direxerunt, quarum antea lacinias, suo quasque loco, sparsim citavi, sed hic ex autographo Latino fidei rebus magnis et multis astruendae causa integras habe.

" Galviae in Ibernia 12 Februarii anno Domini 1651
juxta stylum Romanum.

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(2) " In magna, quae nunc (proh dolor) conspicua est, rerum hujus Regni perturbatione, quod fere totum in hostium potestatem redactum ingemiscimus, vix pauci, qui his subscriptisimus, Galviam potuimus convenire, eo animo ut in navi proxime solutura seriem et infucatam memorabilium, quae a vestro fere discessu | acciderunt, narrationem destinaremus clementiae suaee. Solatii enim loco nobis erit, et fortasse remedium inde opemque speramus afflictis, si dolorum nostrorum causas vobis, piissimo et benignissimo praesuli, ac parenti nostro, aperiamus, ut si nihil aliud superesse videatur, condoleat saltem et preces pro conclamatis pene gentis nostrae negotiis effundi faciat.

2144

(3) " Ut incipiamus igitur: de celebri Cleri totius apud Cluanmacnoise Congregatione (in qua Episcopi supra viginti interfuerunt, praeter absentium procuratores, Vicarios Apostolicos, Mendicantium Provinciales, non nullos etiam S. Theologiae Canonumque Doctores) vestram Illustrissimam Dominationem audiisse credimus. Quae quidem Congregatio, utpote de consilio Supremi Gubernatoris, Regni Procerum, et Consiliariorum convocata, in spem magnam populares nostros erexit, quod laboranti salutem afferret Reipublicae. Verum irato numine, et nondum per nos expiatis criminibus placato,

contigit ut nihil vegetum aut virile, nihil Episcopali virtute ac fortitudine dignum ad factionum et haeresum germina radicitus extirpanda fuerit conclusum. Imo vero admittente in primis D. Clogherensi (cui consilium insedit moderatius tunc agendi cum Gubernatore Supremo optime (ut asserebat) de Patriae salute affecto) unionem quandam superficie tenus et umbratilem, qua praeterita oblivioni traderentur, inivimus, ac licet D. Cluanfertensis et alii quidam Episcopi summa vi et disceptatione contenderent, ut Episcoporum aliquis | Romam 2144 mitteretur cum submissione humillima tam Episcoporum, qui vobis adversati sunt, quam aliorum, qui contumeliose tractatam Dominationem suam e Regno amandare non verebantur. In Episcopum quidem, videlicet Dunensem, mittendum con-
venerunt omnes, verum Episcoporum submissio desiderata est, quia nullis omnino conscientiae stimulis agitatos sese ob prae-
terita affirmabant. Quod ad Consiliarios eorumque factiones attinet, nihil tale ipsis venit in mentem, ac proinde pecuniarum, quas pro Episcopi expensis rependere prius fuerant polliciti, nec teruncium postea dare voluerunt, nec querelis popularium per nos exhibitis ullum fuit adhibitum remedium.

(4) "Itaque ab illa convocatione non consolations, sed mala plurima maximam Iberniae partem obruerunt. Nam paulo post Kilkennia, Waterfordia, Wexfordia, Clonmellia, Castrum de Duncannan, cum castris aliis, arcibus, ac munimentis fere omnibus totius Lageniae in hostium potestatem venerunt, idque intra anni unius ambitum, et sine resistantia; quod prodigionis signum cordatis omnibus et vehementer ingessit suspicionem. Diceret quispiam non armatorum vim, sed turbinem quendam et fulmina quaedam irae caelestis tam brevi spatio Regiones istas devorasse. Quid commemoremus templorum et ecclesiarum sacrilegas direptiones, altarium prophanationes, sacrarum aedium seu demolitiones seu in stabula equorum et jumentorum conversiones, Episcoporum et Sacerdotum caedes et torturas, inter quos Reverendissimus Rossensis baltheo, quem gestabat, suspensus fuit. D. Clogherensis in paelio captus crudelissime necatur, et caput ejus abscissum, odii | in fidem Catholicam tessera, e Turri de Inniskillin stipite infixum adhuc conspicitur. Waterfordiensis exilio in Galliam, ubi nunc degit, salutem sibi ac perfugium quaesivit. Sacerdotes non pauci et Regulares occisi. Alia nec enarrare mala et calamitates nec quidem perstringere facultatis nostrae est.

*Wexfordia
antea
capta.*

(5) "Ormonius amisso prius instructissimo suo exercitu apud Dublinium, postea territoriis suis omnibus ac locis munitis exutus, in Conaciām (quae sola Provincia, licet pestifera iue pluribus in locis et Galviae maxime per annum fere integrum infecta, hostium insultus cum paucis Regni Comitatibus evasit) se contulit. Apud Loghreagh et apud Castrum de Clare in Tomonia per vices sedem habens, nulla re ad bonum Regni seu gesta seu decreta, luxui, laetitiae, choreis, ac compositionibus cum Insequinnio Barone se dedit, nulloque unquam tempore in laetitiam magis effundi notabatur, quam cum victoriam hostium et Catholicorum castrorum expugnationem audiisset.

(6) "Una tamen et altera vice, ne nihil omnino agere videretur, quotquot potuit Episcoporum, Procerum, et nobilium in oppidum de Loghreagh convocavit, consilii ineundi gratia, quomodo quod relictum erat Regno propugnari, quod amissum recuperari posset. Omnes in eam descenderunt sententiam, non aliter id fieri seu attentari potuisse, quam si universa Provinciarum multitudo a sexto decimo ad sexagesimum annum ad arma capienda confluenterent. Decretum desuper et Proregis edictum sub capitali suppicio emanavit, locusque conveniendi et exercitū recensendi Monasterium de Kilbegan assignatus. Verum quia exosus fuit omnibus Ormonius, et infortunatissimus belli dux habitus, sub ipso militare detrectarunt plerique. De tanto ergo, qui expectabatur exercitu, vix duo millia in loco illo designato | comparuerunt. Indignatus inde, et specie tenus excandescens Ormonius domum rediit, neque in absentes (quod facile poterat) animadvertere, nec milites adunare augereque (quod etiam proclive erat) omnino curavit, omnibus opinionem illam mentibus infixam relinquens, quod parum de salute Regni curaret. Atque seu religionis suae haereticae amore ductus, seu secreto cum hoste inito faedere in spem praemiorum erectus, multis argumentis ostendit fovere potius hostes quam enervare et impugnare voluisse. Cum ergo nihil proficerent consilia, nec a talibus Regni moderatoribus salutem expectari spes ulla affulsisset, succrescentibus indies populi universi Conaciensis et aliorum Comitatuum clamoribus, et querimoniis Episcoporum aliorumque de Clero aures perpetuo ferientibus, opemque ipsorum ac preces saepe ac summopere implorantibus, quod onera quotidiana, contributiones, gabellas intolerabiles, bonorum ac fortunarum direptiones amplius ferre non possent, ac caeterarum Provinciarum exitio admoniti

2145
v

venditos sese, et tanquam victimas occisioni mancipatos crederent. His nimium perculti, nimiumque condolentes Episcopi quidam, videlicet D. Primas, D. Tuamensis, D. Fernensis et Procurator Dubliniensis, D. Rapotensis et Killmorensis, D. Cluanfertensis et Procurator Laghleniensis, D. Cluanmacnosiensis, Duacensis, Dunensis, et Dromorensis, cum Decano Tuamensi, Dominicanorum Provinciali, alisque Praelatis et pastoribus apud Jacobopolim in ultimis fere Coniacie finibus, ineunte *Julio* mense conventum habuimus de modo, quo Iberniae nostrae jam prope expiranti posset subveniri. Visum fuit, et communibus decisum suffragiis extitit, quod non aliter quam amoto a regimine Ormonio salus ulla aut pax expectari posset, cuius et pravis artibus et fato quodam sinistro actus ejus operaque | concomitante, omnia in pejus ruere et perperi omnino videbantur. Itaque excommunicationis majoris sententia in scriptis edita sub Anathematis interminatione strictissime mandatum fuit omnibus et singulis Catholicis in et per diaeceses Episcoporum praedictorum constitutis, quatenus nullam obedientiam praefato Ormonio praestarent, neque ad bellum eum comitarentur, nec arma, milites, apparatus bellicos, commeatus, aut quodcumque aliud subsidium aut auxilium eidem subministrarent. Declaratio insuper edita est, in qua praecipua aliqua capita, sed non omnia, quae contra eum objici poterant, continebantur. Porro ante horum publicationem visum fuit iterum Galviae convenire. Quo in loco advenerunt absentes Episcopi D. Cassiliensis, Laonensis, Limericensis, Aladensis, Corcagiensis, Immolacensis, Finiborensis, Doctor Fallonius Vicarius Apostolicus Achadensis, et Doctor Dessius Vicarius Generalis Midensis, qui omnes (Finiborensi excepto, qui excusationes praetexebat) acta praedicta, sententiam, et declarationes comprobarunt, eisdemque subscripserunt.

(7) "His actis, paulo post urgentibus populorum clamoribus visum fuit decreta illa et sententiam publicare. Itaque ad hoc electi sunt D. Cluanfertensis et Doctor Carolus Kelly Decanus Tuamensis, qui statim ad castra exercitus Conaciensis se proripuerunt, et ibidem excommunicationem solemniter coram officiariis ac militibus promulgarunt, frendente imprimis et in iracundiam maximam propterea concitato Marchione Clanricardio, qui tunc prope agebat in castro de Athlone. Sed et in aliis Regni partibus decretum fuit ut eadem excommunicatione eodem ipso die, quo in castris Conaciensibus, videlicet Exaltationi Sanctae Crucis sacro, per parochos et Regulares

promulgaretur. | Quae promulgatio dum ex mandato D. 2146
 Cluanfertensis in diaecesi sua fieret apud Loghreagh, res per
 quendam promulgationi tunc astantem ad Ormonium cum
 dilata esset, in causa fuit ut statim submisso milite Anglo
 Ormonius proximum sibi episcopum, D. Laonensem, caperet,
 et ad se adductum pecuniis ad mille et quadringentas libras,
 quas pro turma equitum contra hostes adornanda asservarat,
 cum omni supellectile, armis, equis, utensilibus expoliarit, et
 in vinculis ad unum vel alterum mensem detinuerit. Qua vero
 ratione ductus eundem postea libertate donaverit, ignoramus.

(8) "Verum haec promulgatio in nihilum propterea recidit,
 quod appropinquante Athloniam hostile Puritano, ut eo Castro
 expugnato gradum sibi faceret in Conaciae Provinciam et ita
 totum Regnum suo subjugaret imperio, visum fuit Praelatis
 Galviae sedentibus sententiam suspendere propter rationes,
 quas hic scribere longum esset, ac praecipue ne perfidi proditores,
 qui hostem illuc provocare credebantur, excommunicationis
 praetextu Catholicis militibus ab exercitu propter censuram
 diffluentibus locum hostibus traderent. Inde factum est ut
 excommunicatio altero post promulgationem die suspenderetur.
 Praelati vero ad defensionem loci illius ad duo vel tria millia
 Ultoniensium et Conaciensium, qui sibi adhaerebant, ducibus
 Bernardo O Neill, Alexandro Mac-Donell, et Rainaldo Mac-
 Donell destinarunt. Castro de Athlone per Dei gratiam defenso,
 Ormonius et Commissarii Regni, nec non Insequinnius Baro
 et summa vi ac violentia Clanricardiae Marchio apud Clerum
 seu Commissarios Episcoporum Galviae sedentes instabant ut
 excommunicationem, quam fulminaverant, | protinus re-
 vocarent, additis minis et indignissimis homine Catholico contra
 omnes, ac praecipue contra D. Cluanfertensem ac Decanum
 Tuamensem, Clanricardii processibus, qui illos rebelles in
 Regem et Majestatis reos proclamavit in oppido de Loghreagh.
 Nihilominus cum omnes unanimiter Episcopi pro suo jure et
 excommunicatione contenderent, visum fuit Ormonio, suisque
 sequacibus ut Assemblea, seu Comitia Regni Generalia, quantum
 temporis injuria pateretur, apud Loghreagh diaecesis Cluan-
 fertensis in Conacia convocarentur, ubi nunc sedent. Eo vero,
 habito prius salvo conductu, convenerunt Archiepiscopi et
 Episcopi DD. Cassiliensis, Tuamensis, Fernensis, Limericensis,
 Cluanfertensis, Corcagiensis, Immolacensis, Cluanmacnosiensis,
 Dunensis, Duacensis, et Dromorensis, ubi magnis utrinque
 animis de validitate excommunicationis per Episcopos ful-

minatae decertatum fuit, Praelatis hinc pro jure suo acriter pugnantibus, laicis indignantibus, et perniciosum sibi ac posteris suis reputantibus, Regiaeque dignitati, Regnique Rectoribus quam molestum ac periculosum proclaimantibus, si pro libito audeant Episcopi eos deponere aut excommunicare, aut subditos ab obedientia ipsis debita avertere et revocare.

2147

v

(9) " Itaque non ad Excommunicationis modo revocationem Clerum adigere pergebant, verum obligare ad fidem exhibendam ne talia imposterum attentarent. Sed tandem constantia ac rationibus Episcoporum evicti ab extremis destiterunt, et ad callida consilia reversi ex Episcopis quosdam deceperunt, et in eam perduxerunt sententiam | ut saltem declarationem aliquam cum ipsis ederent in scriptis, qua Ormonio discessuro quoquo modo satisfacerent, et Clanricardio Catholico (si Deo placet) animos adderent, quod valde detrectabat et respuebat supremi Gubernatoris supplendi locum. Contra quam declarationem protestati sunt Episcopi non nulli in Congregatione Episcoporum, videlicet Cluanfertensis, Cluainmacnosiensis, Immolacensis, et Dunensis, &c., propterea quod in ea clausulae quaedam continebantur periculosae in conscientia et scandalosae, utpote quod non habent potestatem Episcopi Regni autoritatem in ullo casu violandi aut oppugnandi, et quod de recta Ormonii erga Regem mente et fidelitate certi fuerunt. Nihilominus suffragiorum superante multitudine in Assemblea, non solum enacta fuit ista declaratio, conscripta, approbata, et recepta, verum adhuc Marchio Clanricardiae instabat ut hujusmodi propositio insereretur (aliter ei satisfieri non posse), videlicet quod nullam potestatem haberent Episcopi subditos a Regii Gubernatoris ejusve delegatorum obedientia subtrahendi, idque nullo prorsus casu seu praetextu quocumque; sed instantे imprimis D. Cluanfertensi, aliisque Episcopis, illam propositionem, saltem in consequentia proxima haereticam esse praedicantibus si ad antecedentia et consequentia comparanda esset, non emendatus ingemuit sed indignatus infremuit propertea Clanricardius, et licet illa propositio in ipsis terminis fuerit rejecta, tamen alteram per factionem suam extorsit declarationem, in qua aequivalentia fere inserta sunt maximo piorum scando. Quae res ita Cluanfertensem aliosque Praelatos offendit, ut ab Assemblea recesserint. Nec | in eam amplius venire, licet invitati, voluerunt Cluanfertensis et Cluanmacnosiensis.

2148

(10) " Appulit nuper in hoc Regnum D. Marchio de Antrim,

aliquas a Parlamento Anglico conditiones habens pro Catholicis Ibernis (ut aiunt) a Summo Pontifice et Rege Hispano approbatas. Sed nescitur adhuc quales sint, nec eas publicari fecit. Ferunt etiam Assemblaeam submissionem parare Romam mittendam Suae Sanctitati, eo quod Dominationem tuam Illustrissimam e Regno ejecerint, humiliter veniam petentes; sed in quaestione facti non se submittunt, sed Sanctissimi relinquunt decisioni. Vereor ne irritare magis Sanctissimum quam placare frivolis suis submissionibus moliantur. Quod ad Episcopos nostros attinet, D. Archiepiscopus Tuamensis lubricum se ostendit, et tepidum. D. Fernensis resipuit, et publice, quod contra nos fecerat, retractavit, sed de nimia facilitate et timore arguitur ut indulgens est laicis aliquando, ne causa videretur dissidii inter cives et discordiae. Duacensis et Dromorensis perpetuo nobis suspecti sunt, nimiosque se ostendunt Clanricardii fautores. Limericensis fervidum ac zelosum Praelatum se exhibit. Finiborensis callide se negotiis subducit, et neutralem se commonstrat. Et hic status praesens rerum in Ibernia, quanta potuimus brevitate et veritate relatus. Valeat in Domino ac vivat, ut ex animis optant

Servi humillimi:

Fr. Thomas Archiepiscopus Dubliniensis. Walterus Cluainfertensis. Jacobus Fallonus, Vicarius Apostolicus Achadensis. Patricius Lynchaeus, Praepositus S. Nicolai Galviensis. Carolus O Kelly sac. Theologiae Doctor et Decanus Tuamensis subscrispsit nomine sui Capituli. Fr. Franciscus Sullevanus, Fratrum Minorum strictioris observantiae Minister Provincialis." |

(11) Quod de aliquibus conditionibus in fidei Catholicae favorem Antrimio a Parlamento Anglicano concessis, et a Summo Pontifice atque Hispano approbatis hic habetur, mihi nusquam alibi occurrit. Imo Pontificem conditiones cum illis regicidis et haereticis paciscendas non approbaturum fuisse, pro certo tenendum est. Denique fabulam illam quendam erraticum rerum a Crellio non in sua regula observanda sed in tricis politicis privata autoritate expediendis occupato Londini gestarum vaporem fuisse crediderim, qui mox disparuit. Ipsum autem Antrimium in Angliam ex Ibernia navigasse, ibi circa suas possessiones cum Parlamento Anglicano nescio quas

conditiones pepigisse, denique in Iberniam remeasse comperio. In quo ille negotio Crellii consilio atque opera usus fuisse videtur, qui Monachus utinam juxta sanctissimum, quod professus erat, institutum in sua populique peccata deflenda tempus potius impendisset. Porro Praelati, qui coloribus haud adeo bonis in hac epistola pinguntur, in Comitiis Loghreaghensibus (Finiborensi excepto) actorum Jacobopolitanorum aequitatem magna animorum firmitate vindicarunt, et operam dederunt ut Ormonius exploderetur. Verum cum Congregatio Jacobopolitana alios ipsorum atque aliorum quorundam Praelatorum amicos substituendos decreverit, cumque demum via ad solum Clanricardium Praelatorum non nullis Conaciensibus charum Ormonio sufficiendum strata fuerit, Ormonii deturbandi studium, quo Praelati (excepto Finiborensi) omnes flagrarent, juxta hanc epistolam in quibusdam Praelatorum ad privatos demum fines degenerasse videtur, cum reliqui conatus ad causam Catholicam promovendam necessarii illi Ormonii exauthorandi studio non responderint. Aliunde etiam constat Praelatos quos in actis Jacobopolitanis inter Comitia Loghreaghensia asserendis vehementes fuisse vidimus, causae Catholicae zelo inter hoc bellum haud praeluxisse aliis Episcopis in eodem consensu silentioribus, quod linguae Anglicae facundia non valerent, quo sermone exoticō inter omnia hujus belli Comitia ita Confaederati in Coronae et Regis Angliae obsequium usi sunt, ut id causae Catholicae haud mediocriter offecerit, quod eorum, qui boni publici zelo flagrarent, plerique linguam quidem Ibernicam quia vernaculam bene, sed Anglicam male, vel nullo modo callerent; et ex adverso eorum, qui causae Catholicae adversarentur, plerique Anglicae quam Ibernicae essent callentiores, non nullique Ibernicam vix intelligerent, quia Angli vel Anglice educati. De caetero quid D. Jacobus O Fallonus, Vicarius Apostolicus Achadensis, Praelatus Catholicus et causae Catholicae studiosus, non ab aliis quam a Confaederatis Catholicis inter has patriae civiles discordias passus sit, ipse paucis diebus postquam praefatae communī epistolae subscrisisset, testatus est acto Anglo, quod Latine verto:

(12) "Quadriennio circiter elapso Concilium Kilkenniense mihi scripserat, jubens ut absolverem eos (Taaffi fratres et alios) qui D. Ferallum O Gara bonis ad centum amplius librarum valorem spoliaverant, licet ille et illi faedere nobis associarentur. Quamvis autem excommunicatio in praefatos ab

Episcopis Elphinensi et Aladensi et a me fulminata, et manibus nostris munita fuerit, et praedatores diaecesim Elphinensem incoluerint, nihilominus ad | quorundam instantiam Concilium Kilkenniae residens mihi praecepit ut eos ab excommunicatione absolverem, secus omnibus meis proventibus ecclesiasticis multandus. Respondi illos non esse mei districtus, nec mihi suppetere unde afflictis et spoliatis satisfacerem, neque a me deserendum si praestare auderem, ad quod praestandum jurisdictione carebam, quodque meae conscientiae repugnaret. Quare rogavi ut me excusatum haberent. Illam epistolam Illustrissimo Domino Nuncio ostendi non valenti succurrere, quod illi (Consiliarii) tunc suae Illustrissimae Dominationis expulsionem inchoarent. Postea vero hujus Provinciae Commissarii fiduciarii Castellorum praesidiariis fecerunt potestatem involandi in meas decimas et possessiones, quibus sic semper hactenus excussus sum. In cuius rei testimonium manum appono 20 Februarii 1651.

Jacobus Fallonus,
Vicarius Apostolicus Achadensis."

(13) Interea Paulus Nash praebendarius, quem libello Anglicano in Nuncium ejusque censuras Kilkenniae ad annum 1648 edito cum Episcopo Ossoriensi aliisque ecclesiasticis pseudo-Concilio studentibus subscrispsisse vidimus, ad R. D. Joannem King scribens rogavit ut sibi absolutionem a censuris, in quas modo jam dicto insurrexerat, et alios ab iisdem absolvendi facultatem obtineret, et subjungens : "Ipse (inquit) Reverendus Pater, frater tuus, testari potest, quantum ego feci stando pro Nuncio contra Episcopum nostrum, licet | ab ipso mensa tunc temporis admissus essem. Norunt et alii hic quamplurimi quomodo, et publice et privatim, annunciaverim totam Insulam ob Nuncii anathema in tantas miserias et angustias devenisse. Hinc rogo humillime ut, si quid minus recte in hoc negotio egisse me judicent, judicare tantum, non autem condemnare dignentur, ut cum Deo cor contritum et humiliatum non despiciant. Haec si impetraveris, semper erit

Calend. Febr.
1651.

Reverentiae tuae addictissimus
Paulus Nash."

(14) Mense Februario Episcopus Fernensis se ad navigandum in continentem accinxit, quo Iberniae in tot angustiis constituae a Principibus Catholicis vel domi, vel mutui a Regno

2149

v

2150

Doctor
Enos.
Just.
cap. 3.
num. 10.

rependendi titulo suppetias obtineret. In quem finem 16 Februarii ad Clanricardium, jam Regni moderatorem, litteras Galvia dedit, rogans ut se mandato muniret, et praesertim se ad Lotharingum, Leodiensem, qui tunc Elector Coloniensis

Belling. erat, et Ducem d' Espernon allegaret. Quas litteras cum *Annot.* Episcopo Dromorensi misit, unaque instructionum exemplar, *p. 19, etc.*

quas a Clanricardio postulabat, nempe ut quaedam Iberniae castra et portus maritimi pecuniarum obtinendarum creditor in securitatem assignarentur, et annuus reditus seu faenus sponderetur, ipsique viaticum ad iter conficiendum suppeditaretur, et denique quinque aliae litterae credentiales tradentur ad Cardinalem Mazarinum et quatuor Archiepiscopos, Burdegalensem, Parisiensem, Macliniensem, et Cameracensem. Rogavitque ut in caeteris Episcopo Dromorensi Clanricardius fidem haberet. Verum Clanricardius hanc Fernensi potestatem non fecit, quod suspectum haberet, expertus eum in Comitiis Loghreaghensibus conatum fuisse ut Iberni ad priorem Confaederationem Catholicam redirent, nec a Prorege, nec ab ejus

2150 legato, sed a Concilio Supremo | iterum ergendo gubernarentur.

v Fernensis tamen occulta cum Lotharingo in Regni Protectorem asciscendo agendi facultate a fidelioribus Insulae Praelatis saltem ex iis, qui praesentes essent, ita munitus est, ut si non *Vindic.* *p. 16.* alios Antistites suspectos, certe Dromorensim res celata fuerit, sicut ex Bellingo colligo. Porro Fernensis ad exeuntem mensem Februarium ex Ibernia solvit, et Parisiis 21 Aprilis 1651 Illustrissimo Domino Albitio, S. Congregationis Cardinalitiae rebus Ibernicis in Urbe praefectae a Secretis, Romam scripsit hanc epistolam :

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(15) "Exaratis jamdudum litteris certiorem fecisset Dominationem vestram Illustrissimam de populi Ibernici pavore et consternatione, nisi ad mensem integrum oculis graviter laborassem. Mitto modo praecipua Congregationis Jacobopolitanae acta et decreta; quibus addo veram rerum Ibernicarum narrationem a me in hac civitate conscriptam. Rogo ut omnia ostendat Eminentissimis DD. Cardinalibus, quibus negotiorum Ibernicorum cura commendata est, ut aliquod nos servandi remedium excogitetur. Impulerunt me in Gallias popularium meorum lachrymae et suspiria ad annunciandum omnibus, ad quos me pervenire patietur mea infirmitas, Ecclesiae Dei Principibus praesulibusque periculum, in quo versatur Natio nostra, una cum fide Catholica brevi

funditus evertenda, si Deus pereuntibus non subveniat. Si Sua Sanctitas, auditis Ecclesiae Ibernicae singultibus, ruinam a religione et rebus sacris continuo non avertat, conclamatae sunt res Ibernorum. Neque aliud unde afflictis consulatur mihi occurrit, quam ut Sua Sanctitas eligat pro gentis protec-
tore, qui vitas, fortunas, aras defendat. Principem aliquem zelosum, armis et | divitiis potentem, vel componere studeat Catholicos Iberos cum Republica Anglicana aequis pro religione et populi libertate conditionibus. Ego enim a Marchione Clanricardiae aliisque Regiis Ministris et viris, qui Caesarem Deo anteferunt, nihil boni possum sperare. Est in mora summum periculum, quia posita est securis ad arborem Iberniae impiissima manu hostis haeretici. Cras annuente Deo eo in Belgium, spe aliquid faciendi pro Patria et religione. Si res faeliciter accidat, audiet a me Illustrissima Dominatio vestra Bruxellis via Illustrissimi et Reverendissimi D. Internuncii, ubi me litterae vestrae invenient. R. D. Walterus Enos, S. Theologiae Doctor, eo proficiscitur, quo vix ullus meliorem calamitatum Ibernicarum et rerum omnium rationem dabit. Percepto ut ipsi fides adhibeatur." Haec Fernensis Parisiis 21 Aprilis 1651.

(16) Fernensi decretum erat in Belgio cum Lotharingo agere, qui Princeps bello Gallico impetratus, et jam ab aliquot annis tota sua Lotharingia excussus, in Belgium se receperat. Ubi Regi Catholico Philippo 4°, qui et ipse cum Gallo bellabat, faedere associatus, exercitum ex suis Lotharingis ad eum libentissime confluentibus, et ex Ibernis atque aliis compactum ita ducebat, ut stipendiis et tributis militaribus undique coactis fere pecuniosior evaserit quam si nec bello petitus nec Lotharingia pulsus fuisset.

(17) Cum hoc Principe Hugo Rochfortus, ex Comitatu Waterfordensi juris consultus, Rege (sicut Hugo postea retulit) approbante, anno superiori de ope Iberniae ferenda egerat, ut Lotharingus eodem anno Synotum, Chiliarchum, natione Ibernum sua castra sequentem in Legatum ea de re cum Ibernis acturum in Iberiam | destinari cum Hugone, cum quo etiam Rex Angliae jam dictus litteras eodem spectantes ad Ormonium in Iberiam dederat. Cum Ormonio ita Synottus in Ibernia egit ut Ormonius Vicecomitem Taaffum ad Lotharingum circa idem negotium allegarit. Porro Lotharingus de sua Ibernis subveniendi mente ad Innocentium X. scripsit epistolam Gallicanam, quam ad calcem Relationis hoc anno

2151

2151

v

1651 a Fernensi Parisiis mense Novembri (ut videbimus) circa Iberniam editae P. Joannes Poncius eadem lingua, nec die, nec anno, nec loco apposito, in medium producendam curavit, et hic inde Latine verto:

"Sanctissime Pater.

(18) "Cum Iberniae Ordines Catholici apud me institerint ut fidei, quae ab Anglorum armis persecutionem patitur, defendendae subvenirem, molestissime tuli quod causae mihi tantopere charae et quam propriae conversationi nunquam non praetuli, meam personam abjecta dilatione immolare nequeam. Quod inter impedimenta, quibus jam implicor, in similem causam potui, haud aliud fuit quam ut quantulumcumque mihi superest, ipsis offerrem et Legatum ad ipsos allegarem cum mandato coram recognoscendi vias, quibus prompta ipsis subsidia procurentur, et prospero successu effectum sortiatur consilium impendendi in eam causam et mea bona et vitam, quod non obstantibus rerum mearum indigentiis amplexus sum, sperans Sanctitatem Vestram, cuius (secundum Dei gloriam) satisfactio mihi ante omnia cordi est, tanto exinde flagraturum zelo (qui me in hanc sententiam impellit) quantum ab ipsis expectem in suppeditandis auxiliis, et spiritualibus et temporalibus, quae dubio procul subministrare | dignabitur, cum sit communis Christianorum Pater, Regni illius Protector singularis, et caput Ecclesiae, cuius causae in hac occasione patrocinari cupio. Quare Sanctitati Vestrae humillime supplico, ut ante omnia suas mihi sanctas impertiatur benedictiones, et ad absolvendum hoc non minoris difficultatis quam momenti incaustum gratias mihi ex alto obtineat necessarias. In quibus maximam fiduciam collocans, debita ipsi a me observantia et submissione ad sanctissimos suos pedes provolutus profiteor quod sum

2152 Sanctissime Pater,

Vester observantissimus filius et servus

Carolus Loraine."

(19) Lotharingus, ubi Taaffum ab Ormonio et Iberniae Catholicis ad se allegatum audiisset, juxta hanc epistolam ad Iberniae ordines Reverendissimum ac nobilissimum D. Stephanum de Henen Monasterii S. Catherinae Abbatem allegavit, et ad eos epistolam dedit loco superius citato a Poncio Parisiis hoc anno 1651 in medium productum, sicut hic habes.

" Excellentissimis, Reverendissimis, Illustrissimisque, etc., et generosis Dominis in Ibernici Regni administratione constitutis.

" Excellentissimi, Reverendissimi, Illustrissimique, Amplissimi et generosi Domini.

(20) " Acceptis per Illustrissimum Dominum Vicecomitem Taaffe ordinum vestrorum postulatis, cognitaque inde Regni Ibernici | calamitate, ingemui quidem non sterili quodam aut otioso dolore percussus, sed flagrantissimo vobis opitulandi desiderio, et in id omnia, quae in me sita sunt, studiosissime impendendi; quem ad conatum ut multa me commovent, antiquae scilicet gloriae vestrae fama, gentis nobilitas, perspecta variis in bellis animi magnitudo, probata toties adversus Deum Regemque fides, caeteraque Regni clarissimi illustria facinora, aut litteris consignata, aut recentibus argumentis ad vestri nominis celebritatem comprobata, vindicandae religionis necessitas, cui omnia semper posthabenda constitui, sicut et me posthabitetur verissime judicastis. Quamobrem ut huic quam de me concepistis opinioni pari animo responderem, Reverendissimum ac nobilissimum Stephanum de Henen Abbatem a S. Catharina, a Consiliis nostris intimis, Legatumque hac in parte meum, ad vos continuo mittendum putavi, tum qui meo nomine gratias vobis agat eximias, tum ut de iis, quae per praedictum Illustrissimum D. Vicecomitem Taaffe mihi vestro jussu proposita sunt, et a vobis insuper proponi poterunt, ad ineundas protectionis vestrae rationes, aliisque quibuscumque ad utilitatem Regni Iberniae spectantibus cum legitima, quam ei recte contulimus, autoritate paciscatur. Huic itaque ut plenam indubitatumque fidem habeatis, nec non meae erga vos propensissimae voluntati magnopere rogatos velim.

Bruxellis,

.... Januarii 1651.

Vestri amantissimus et studiosissimus

Carolus." |

(21) Cum Lotharingi Legato in Iberniam advecto mox Iberni de conditionibus, quibus Lotharingus opem ferret, agere caeperunt. In quo negotio tradit Antonius Mac-Geogheganus, tunc praesens, Praelatis Galviae, ubi partes tractabant, inter se non convenisse, quod alii Clanricardio publice adhaerenter, alii diffiderent. " Sub 14m (inquit) mensis Martii 1651 omnes Regni Praelati publice adhaerentes Clanricardio, tanquam Proregi, Galviae degebant, sinceri autem Praelati adhaerentes, quibus potuerunt modis, menti Congregationum Cleri et

2152
v

2153

Illustrissimi Domini Nuncii Apostolici, isti Proregi fidere noluerunt, ideoque Serenissimum Ducem Lotharingiae in Regni Protectorem accersere conabantur, et aliis sese opponentibus tractatus ille fuit eo die ad finem pene perductus." Haec ille.

(22) Interea Clanricardius, jam Ormonii delegatione Prorex, solemni Cleri populique pompa exceptus triduo post, nempe die 17 Martii S. Patricio gloriosissimo Iberniae Apostolo sacra, Galviam intravit, et in D. Nicolai ecclesia rei Sacrae interfuit, Archiepiscopo Tuamensi, nec non Episcopis novem, nempe Aladensi, Limericensi, Duacensi, Corcagiensi, Immolacensi, Finiborensi, Dunensi, Cluanfertensi, et Dromorensi praesentibus, quorum hic concionatus est, in eo multus ut Dei misericordiam in Iberos demonstraret, quod ipsis de Catholico Gubernatore prospexisset favorem talem haud expertis ab orto Henrici 8 schismate per centum circiter et triginta | annos, si pauculos Reginae Mariae excepero, sub qua tamen quis Proregem Catholicum fuisse dicat, cum idem sub Maria Catholica post Henrici 8 et Eduardi 6 schismata et haereses Catholicum, sub Elizabetha deinde haeretica haereticum induerit. Paulo ante caeptum illum cum Lotharingi Legato tractatum D. Antonius Mac-Geogheganus, Iberus Lageniensis, sacerdos et Prior Conallae, vel de *Conalmor*, ex urbe Parisiensi in Iberniam remigraverat, mandato munitus, quod Massarius, sacrae Congregationis propagandae fidei Secretarius, ad eum Roma Lutetiam Parisiorum, ubi ille pedem fixerat, transmiserat. Multa mihi de Antonii legatione, et de rebus ab ipso circaque ipsum gestis dicenda sunt, quae ipse postea Romam profectus ita in Latinam Relationem M.S. digessit, et Romae porrexit, ut MS. ejus exemplar mihi praemanibus sit. Quod opusculum (ut semel dicam) inter citandum vocabo *Antonii Relationem*. Quicquid autem exinde huc transcripsero, non mea sed sua fide dictum volo.

(23) Itaque is 16 Martii 1651, pridie quam Clanricardius solemni pompa Galviam intraret, ibidem Archiepiscopo Dubliniensi et Episcopis quinque, nempe Cluanfertensi, Immolacensi, Corcagiensi, Dunensi, et Cluanmacnosensi, suo contribuli, sub secreti juramento sui adventus causam et quae in mandatis haberet, aperuerat. *Quae asperiora eis visa quam ut aliis communicari possent.*

(24) Postea ad duos Episcopos, Dublinensem et | Tuamensem, aliosque Praelatos in eodem, quo ipse, oppido Galviensi se tenentes scripsit, rogans ad se aegrotantem venirent.

Qui Dunensem, Corcagiensem, et Cluainmacnosiensem ad eum destinarunt, petituri ejus litteras credentiales, quas ea lege tradidit ut intra tres horas sibi redderentur. Instructions autem suas mittere noluit, sed communicandas dixit, sicut negotium postularet. Deinde Tuamensi, Aladensi, Dunensi, Cluanfertensi, Corcagiensi, Cluainmacnosiensi, et Immolacensi Illustrissimi Domini Massarii epistolam tradidit. Cui fidem quidem habere, sed, quod expressum Summi Pontificis mandatum non contineret, haud morem gerere promiserunt, jussuruntque ut Cluanfertensis ad eam responsum daret. Cluanfertensis autem expresse dixit posse, qui vellent, latori fidem habere, sed de communi consensu peti non debere, et pro sua parte se fidem ei non habiturum, licet Antonio praecipuus author fuerit ut tam cito litteras illas traderet, ipseque, et Corcagiensis ac Dunensis in rationem addiderint, litteras illas cum protectionem alicujus externi Principis petendam monerent, id effecturas ut boni omnes ad pactionem cum Lotharingo concludendam animarentur. Duacensis autem et alii epistolam suspectam habuerunt, *utpote scriptam a parte, nempe a Decano Firmano.* Ac proinde cum in ea non esset haec, vel hujusmodi clausula (*de mandato Summi Pontificis*), se illi fidem non habituros responderunt. Nihilominus dicti Praelati *pro extrema ceremonia* ad Antonium se contulerunt. Quorum quotquot causae Catholicae zelo flagrarent non nisi clam se deinceps cum ipso acturos responderunt. Lecta autem coram omnibus epistola dixit Antonius se missum ut religioni et Patriae inserviret, omniaque Romam significaturum. Respondit Tuamensis eum petere non debere ut inter ipsos et Aulam Romanam mediator esset. Caeterum tunc duae concluserunt: 1m, ut Cluanfertensis genuinam status Regni relationem con texeret, eamque Antonio traderet, quo (credo) in Urbem transmittenetur. 2m, ut Praelatus Romam ad Suam Sanctitatem allegaretur, in quem finem Dunensem et P. Oliverum de Burgo nominarunt. Antonius autem monuit ut ante omnia irrogatam Nuncio et in Nuncio Sedi Apostolicae injuriam repararent, et solum Dunensem destinarent, sed *animadvertis* *deteriores ibi Praelatos dominari, nihil ulterius proponere voluit.*

(25) Die Martii 25^o Antonius Praelatis, quos zelos arbitratus est, haec capita dedit: 1^o. Ut fieret nova Confaederatio. 2^o. Ut Sedi Apostolicae ob injurias ei in suis ministris irrogatas plene satisficeret. 3^o. Ut pro mediis ad bellum prosequendum obtinendis in alicujus Catholici Principis protectionem venirent.

Ibid.

2154
v
Ibid.

Ibid.

4°. Ut Praelatus aliquis fidelis et nobilis Romam destinaretur.

(26) 3° Aprilis Antonius D. Stephano de Hennen, S. Catharinae Abbati et Lotharingi Legato, adventus sui causam aperuit, eique ostendit quantopere Sedis Apostolicae favor Lotharingo ad Iberniae expeditionem faeliciter suscipiendam esset necessarius, tum ut in ipsa Insula Catholici | Lotharingo fideliter adhaerent, tum ut exteri Principes et Potentatus Catholici ejus conatum vel secundarent, vel certe non impedirent. Cui Stephanus respondit Clerum Belgicum in ea fuisse sententia ut nullum Principem magis quam Lotharingum ad succurrendum Iberniae idoneum esse existimarint, deque hoc certiores factos Pontificem et Ducem consensisse, et se a Duce consulto missum ut nationis Ibernicae mentem penitus pertentaret. Itaque Antonius cum apud Clerum et Lotharingi Legatum pene nihil profecisset, litteris ad Primatem et P. Thomam Mackiernanum datis Galvia discessit. Porro circa Praelatum in Urbem mittendum (in quem articulum Clerus tunc consensit), et circa quaedam alia Archiepiscopus Tuamensis jam Galvia Tuamiam reversus Primi scriptis hanc epistolam.

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(27) “ Non ignorat Dominatio vestra Illustrissima quo modo hyeme proxime praeterita convenerint omnes Episcopi Regni Iberniae, paucis demptis, quorum infirmitas et temporum injuria impedita praealentiam apud Loghreagh in Comitiis ibi habitis, et quomodo postquam satisfecissent gravissimae querelae laicorum contra acta Jacobopolitana procurarint decreta Comitiorum de aliquibus mittendis Romam ad satisfaciendum pro ejectione Illustrissimi Domini Nuncii. Mittuntur Illustrissimus Dominus Episcopus Dunensis et R.P. Fr. Oliverus de Burgo. Pro qua missione D. Prorex media subministrat zelose, et omnia habet parata, instructiones scilicet et epistolas mittendas cum dictis Dominis. Dictarum litterarum per Praelatos scriptarum copias | de consilio omnium mitto ad Dominationem vestram Illustrissimam, precorque humillime ut dignetur subscribere, et ad me quantocuyus remittere transmittendas post dictos Dominos pro occasione data, nisi eos repererint Galviae. De hoc satis. 7a die Martii convenimus Galiae in appulsu D. Stephani de Henin, Serenissimi Duci Lotharingiae Legati, cum quo conventum est per D. Proregem super pecuniis recipiendis, assignatis Limerico et Galvia cautionariis pro iisdem. Praesentia subsidia suscepit Regnum. Si non recepit a meo discessu, futura speramus larga, quod

Ibid.

v

Deus det. D. Antonius Geogheganus, Prior Conalliae, tulit ad Clerum Regni litteras a D. Dionisio Massario, Decano Firmano, nunc Secretario de propaganda fide, quibus significat affectum et desiderium Sedis Apostolicae erga Regnum, et commendat ut Praelatus mittatur, futurumque promittit Regno honorificum et proficuum. Litteras videbit, ac proinde supersedeo. Sacras tibi manus deosculor.

Tuamiae 8° Aprilis 1651.

Dominationis vestrae Illustrissimae
Addictissimus servus,
Joannes Archiepiscopus Tuamensis."

(28) Ad hanc epistolam magno zelo, animi candore et prudentia respondit Ardmachanus, quod hic legas:

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

"Vestrarum datas 8 Aprilis tandem 22° ejusdem accepi, quibus significatum est gravissimae querelae laicorum de actis a Clero Jacobopoli conditis, in Comitiis Regni Loghreaghensibus hyeme praeterita habitis satisfactum esse, et impetratum ut aliqui Romam mitterentur ad satisfaciendum pro ejectione Illustrissimi D. Nuncii. Ut succincte aperiam, quid in hac re censeo, | doleo quod non unus et alter de Clero contemptui habeatur, sed totus simul, et quod immunitas ecclesiastica tam palam violetur. ab iis etiam qui vellent ejusdem patroni videri et nominari, *Quis peccavit ut caecus nasceretur* populus Iberniae, ut non laicus a sacerdote sed sacerdos a laico rogatur et ducatur? An laici Iberni sint doctiores et sapientiores Clero, ut quodlibet ejus decretum ad nutum et velle laicorum mutetur? Initio hujus belli res Regni de consilio Cleri tractabantur, et faeliciter nostri duces pugnabant. Nomen Iberniae gloriosum etiam apud exteriores nationes reddebat, sed adveniente illa, de qua D. Jacobus, terrena sapientia, tractatus de negotiis Regni in totum eruptus est de manibus Cleri et datus *filiis hujus saeculi*, quo misera Ibernia ad praesentem venit statum. Quod attinet ad satisfactionem datam gravissimae illae querelae laicorum, communiter fama fert acta Jacobopolitana Loghreaghi potius enervata et cassata quam defensa aut honori Praelatorum consultum. Quod vero ad missionem Illustrissimi Domini Dunensis et P. Oliveri de Burgo spectat, in Congregatione Cleri apud Clonmacnosiam deputati sunt duo, ut Romam eo fine tenderent. Qualiter sint impediti? nondum intellexi. Quare cum acta Cleri potius contemni videam et ad nutum laicorum mutari, quam executioni mandari, consultius duxi talibus

Ibid.

2156

supersedere, quam toties inutiliter me immiscere. Deinde esto quod aliqui in Urbem destinandi forent, tum ad excusandum Regnum de aspersione evictionis Illustrissimi D. Nuncii, tum ad praesens Catholicorum et extinctionis fidei periculum |

2156 v supersedentandum (quod existimo necessarium), consentaneum mihi tamen non autumno praedictorum commendationi subscribere, 1° ne videar contravenire decreto venerabilium Praelatorum praefatae Congregationis Clonmacnosiensis. Insuper non fui praesens in Congregatione Loghreaghensi, quod beneficii loco repono ob varias rationes, et maxime quod (ut intelligo) expulsio Illustrissimi Domini Nuncii ibi declarata est non fuisse actum hujus vel illius, sed totius Regni, quo afflita Ibernia ingemiscens (ut cum S. Hieronimo in simile fere occasione loquar) excommunicatam se esse miretur. Nec mihi aut verbo tenus significatum, quo fundamento electio a totius Regni Clero, unanimi consensu in caetu supradicto Clonmacnosiensi facta paucorum Praelatorum consilio mutata sit, nec mihi constat quid ipsorum de novo missio continet, quasve habent instructiones? Ulterius inconsultum est quod suffraganeus inconsulto suo Metropolitano opus arduum aggrediatur, Regnumque deserat. Nec mihi constat quod non pariter absque licentia sui superioris P. Oliverus sit discessurus e Regno. Oblatus est etiam antea P. Oliverus ad idem munus obeundum, sed ob certa motiva non est admissus, sed alias suffectus est. Ego perlubenter Illustrissimae Dominationis vestrae persuasione, cuius authoritas apud me plurimum valet, epistolis seu exemplaribus missis subscriberem, nisi obstarent praefatae rationes et aliae non nullae, quas praeterire volo, ne earum in hisce expressio multorum magis mihi odium, quod saepe veritas parit, quam gratiam conciliaret. Ex his tamen Illustrissima Dominatio vestra non intelligat, me non esse paratiissimum ad excusandum | Regnum eo meliori modo quo potest, et ad promovendum Serenissimi Ducis Lotharingiae negotium, prout fusius intelliget data opportunitate. Quare Illustrissima Dominatio vestra hac mea excusatione contenta esse dignabitur, et litteras Reverendissimi Domini Massarii per D. Antonium missas destinare. Quod expecto sicut et remitto exemplaria ad me missa. Sacras manus vestras deosculor.

2157 27 Aprilis 1651.

Illustrissimae Dominationis vestrae etc.

Hugo Ardmachanus."

(29) Suo loco vidimus Congregationem Cluanmacnosiensem

Episcopo Dunensi et D. Guillelmo Burgatto decrevisse hanc legationem Romanam, hactenus Ormonii et Ormonistarum artificiis suspensam, ac demum ita in Comitiis Loghreaghensisibus et in consessu Galviensi (sicut praelibatum est) ita mutatam, ut D. Guillelmo contra Congregationis Cluanmacnosiensis sententiam posthabito, P. D. Oliverus de Burgo Dunensi ad eam legationem obeundam in collegam destinatus sit, professione Dominicanus, Archiepiscopi Tuamensis et Episcopi Duacensis frater, qui antequam Duacensis in Episcopum salutatus esset, ita Vicarium Apostolicum Duacensem gesserat, ut eum quatuor Regni Archiepiscopi et septem ex Episcopis per litteras ad Urbanum VIII 20 Augusti 1643 datas in ejusdem diaecesis Duacensis Episcopum postularint, licet postea ille episcopatus ipsi exciderit, ejusque fratri decretus fuerit Nuncio procurante, in quem ejusque censuras postea anno 1648 latae P. Oliverus ad sui fratris Archiepiscopi Tuamensis mutationem insurrexit. |

Porro D. Guillelmus Burgattus quadam mea epistola, quam ad hujus Primatis Iberniae successorem, Illustrissimum Domini Edmundum O Rellium, anno 1664 Romam scripsi, Romae lecta, ad me ex Urbe 26 Junii 1664 Florentiam sribens : "Quod (inquit) scribit in sua ad D. Primatem de Tuamensis molimine ad sufficiendum fratrem suum P. Oliverum mei loco in ista missione : verum est, nec me tunc latuit, quamvis clanculum aliquos Episcopos in Comitiis Loghreaghensisibus ubi aderam etiam sollicitaret nec plures potuit in suam sententiam trahere. Rem tamen impedivit pro posse. Ipse viderit quam bene." Haec ipse Burgattus. Qui ita illa legatione quorundam machinationibus frustratus est, ut tamen eam Oliverus nunquam obierit, imo illa ad nihilum reciderit, sicut suo loco videbimus.

(30) Ad Lotharingi Legatum redeo. Qui mense Martio 1651 Galviae ex Lotharingi parte pecunias, naves, bellicos apparatus, et alia ad Regni defensionem necessaria obtulit subsidia certis conditionibus, quarum prima et praecipua erat ut Lotharingus in *Regium Protectorem* cooptaretur. Qua conditione concessa, alii diu ventilati et discussi inter Legatum, Proregem, et Regni ordines articuli, plerique communibus omnium votis ac suffragiis accidente Legati consensu confirmati et in instrumentum redacti fuere. Supererant aliae conditiones adjungendae, quae etiam postea utrinque pactae sunt, "ut ex instrumento (inquit Doctor Enos) super hac re duodecim articulos complectente, quod penes me habeo, constat. Rem totam confecit ipse Prorex,

2157
v

Just.
cap. 31.
num. 6.

- 2158 Excellentissimus D. Clanricardiae | Marchio publico conventionis instrumento 4 Aprilis 1651 confecto inter eundem Excellentissimum D. ex parte suae Majestatis, ejusque fideles subditos Regni Iberniae ab una parte de consilio et consensu diversorum Praelatorum, Procerum, Commissariorum fiduciariorum, dynastarum, et legatorum civitatis Limericensis et municipii Galviensis, et Reverendissimum ac Illustrissimum D. Stephanum de Hennin, Abbatem S. Catherinae, etc. ab altera parte. Quo instrumento conventum est 1°, ut idem Abbas in usum Regni ducenta florenorum millia mutuo daret. 2°. Eadem Duci Lotharingiae hypothecantur civitas Limericensis et municipium Galviense (quod Rex ipse civitatem vocat) pro restitutione dictorum 200000 florenorum. 3°. Quod nomine Majestatis et Regni delegabuntur ad Serenissimum Ducem, qui cum ipso tractabunt de refundendis, quae praeterea a Serenissimo Duce in usum Catholicorum effunduntur, pecuniis sive expensis. 4°. Indemnia conservabuntur loca hypothecata, totaque gens obligabitur. 5°. Loca autem cautionatoria pro sua duntaxat expensarum portione obligabuntur. 6°. Quod loca cautionatoria suas occupabunt fortunas, possessiones, jurisdictiones, gubernium civile etc. 7°. Serenissimus Dux fruetur justo Majestatis jure in hujusmodi locis hypothecatis in plenam satisfactionem dictae summae. 8°. Quod eidem Duci licebit nominare unum in utroque loco, qui militibus imperabit, quibus non obstantibus Prorex in utroque loco in casu necessitatis suo uti potest imperio etc. In fronte Instrumenti nomen suum et sigillum apposuit Prorex | sive deputatus Generalis Ormonii ex parte suae Majestatis ejusque subditorum fidelium in dicto Regno. In calce ejusdem Instrumenti subscripsit Richardus Bellingus. A tergo subscripterunt : 1°. Joannes, Archiepiscopus Tuamensis. 2°. Fr. Arthurus Magnesius, Dunensis et Connerensis Episcopus. 3°. Dillon. 4°. Oliverus Dromorensis. 5. Athunrius. 6°. Lucas Dillon. 7°. Nicolaus Plunkettus. 8°. Zepherinus Browne. 9°. Bartholomaeus Stacpol." Haec Doctor Enos. Itaque juxta haec pacta apud Iberiam absoluta allegantur ad Lotharingum Regni nomine Vicecomes Taaffus, Nicolaus Plunkettus Eques, et Zepherinus Brounus Armiger, quorum erat cum Lotharingo pacta omnibus numeris absolvere. His Prorex Clanricardius non nulla in monitis Anglice dedit, quae Latine verto :

" *Instructiones Vicecomiti Taaffo, Nicolao Plunketto*

*Equiti et Zepherino Brouno Armigero datae 12 Aprilis
1651.*

(31) " Ubi terra potiti fueritis ad Reginam (Angliae), Ducem Eboracensem, et *Proregem* destinabitis . . . qui traditis *Ormonium* nostris litteris unicuique eorum aperiet omnem hujus tractatus substantiam et circumstantiam.

(32) " Illum (Lotharingum) de ejus pecuniis et subsidiis rependendis securum reddetis, nec ulterius procedetis donec ad caetera potestas vobis facta fuerit sicut Regis Ministri vos direxerint.

(33) " Nec ulterius, nec aliter (excepto quod praestita cautione maiores suppetias procuretis) in hoc tractatu progressuri estis quam vobis scripto tenus a Reginam, Duce Eboracensi, et D. *Prorege* (*Ormonio*) commissum | fuerit. Cumque pacta perfeceritis, ad nos Reginae, Ducis Eboracensis, et D. *Proregis* ratificationem afferetis cum litteris ad nos ab eorum unoquoque dandis, per quas nobis praescribatur ut ea hic rata habeamus, et illis morem geramus.

2159

(34) " Si has omnes facultates et ratificationes prompte procurare nequiveritis, contenti eritis solius D. *Proregis* vel cuiusvis alterius ex Regis Ministris a Rege ad hunc tractatum celebrandum et concludendum particulari mandato muniti autoritate et ratificatione.

(35) " Henrico de Vit Equiti, Regis apud Bruxellas *Residenti*, vestram tractationem communicabitis, jamque ipsius, nec non cujuscumque alterius ex Regis Ministris cooperatione quam poteritis maxime corroborabitis.

(36) " In eos omnes, qui jam ex hoc Regno discedunt, diligenter inquiretis, quo quid egerint, aut quibus rebus se immiscuerint, pro viribus investigetis, et id D. *Proregi* ac nobis subinde notum faciat, in ipsos protestaturi, si quid ad hoc negotium spectans moliti fuerint.

(37) " D. Nicolaum Bodkinum, mercatorem, in iis omnibus negotiis, quae ipsi commisimus et credidimus, commendabitis, eique fidem astruetis, sicut occasio se obtulerit, et ubi opportunitas id postulaverit. Eos qui suppetias petierint ad calculos vocabitis, quibus etiam (si opus fuerit) fidem detrahatis.

Clanricardius." |

(38) Duae Catholicorum Iberniae partes, quibus inter se male convenisse saepius diximus, in hoc Lotharingi negotio (sicut

2159

v

etiam ex his Clanricardii monitis conjectare est) studia in contraria scindebantur, Ormonistis semper in alios solitam tyrannidem exercere cupientibus, et propterea Lotharingi favorem aucupari, atque alteri parti ejus benevolentiam praeripere conantibus, vel effecturis ut tractatus cum Lotharingo inchoatus incassum recideret, cum alii e contra totis viribus contenderent, ut Lotharingus in Protectorem accederet, et natio atque Ecclesia Ibernica ejus ope triumpharet. Quae partium studia adeo in ipso tractatus exordio palam innotuerunt, ut pars sincera ab Ormonistis *Lotharingi factio* vocitaretur. Qui etiam operam dabant ut suus Ormonius ante Lotharingi, qui in Iberniam trajiciendi spem faciebat, appulsum in Insulam remearet, ne ipsi a Lotharingo et parte sincera ad justitiae trutinam vocarentur, et paenas darent. Quare eorum quidam Galvia ad Ormonium in Galliam 12 Maii 1651 Anglice scribens: "Omnis (inquit) amici tui supra modum cupiunt, ut tua Excellentia huc quantocvus remigret, quod tua cunctatio eos periculosos paritura sit effectus, qui in annexa epistola continentur. Optime Domine mi dignare respondere nostrae expectationi, et favorabili, quae nunc se offert, opportunitati haud semper duraturae, a qua amicorum tuorum omnium dependet prosperitas aut ruina, et universae domus ac familiae tuae præservatio. Excusatum me habeas, quod sensa | exprimam tam ardentis animi affectu mihi expresso a flagrante cordis propensione, qua tuam incolumitatem et prosperum successum in votis habeo. Nec haec mea solius, sed communis tuorum amicorum omnium est sententia, de qua tua Excellentia propediem certior fiet, si litterae super ea re scriptae ad tuae Excellentiae manus tutae pervenerint. Quae semel acceptae id (credo) efficient ut non solum cum festinatione redeas, sed etiam remotis omnibus obstaculis imiteris illud laude dignum Henrici Borbonii consilium, qui uni interesse Missae quam perdendi sui Regni aleam subire maluit." Haec ille. Epistolam etiam huic annexam, et ad suum atque Ormonii contribulem, Eduardum Butlerum, Ormonio a cubiculo, indidem in Gallias 11 Maii 1651 Anglice scriptam, ex qua plurimas Ormonistarum tunc in Ibernia machinationes colligere est, hic habe, amputatis primis lineis ad rem non pertinentibus.

loquitur
de
Henrico
4°, Galliae
Rege.

(39) "Nobilis cognate Suae Excellentiae praesentia hic expectatur non solum a me sed etiam ab omnibus ejus amicis, qui nunc undeviginti vicibus plures sunt quam essent cum discederet, et omnium ipsi studentium coriphaeus se et illos

cum adhaerentibus omnibus perdendos non dubitat, nisi ille praesenti occasione responderit, quamdiu penes ejus amicos est civile et militare Regimen, qui certi sunt se spoliandos, si Dux Lotharingiae ipso citius huc advenerit. Communis enim omnium hominum quomodocumque affectorum sententia est eum ex ambobus qui prius appulerit prorsus dominaturum. Nec hoc solum metuendum est, sed etiam si Lotharingus prior accesserit, meliores suae Excellentiae amicos, qui ut ipsi inserviant, nullum periculum non subeunt, destruendos, | vel certe ad eum redigendos statum ut imposterum haud futuri sint idonei, qui ullum prorsus ei praestent obsequium. Nec omni, qua pollent, autoritate huic malo impraesentiarum obviare possunt p[re]a Limerici et Galviae adversus Regem obstinatione fota a pessimis quibusque utriusque loci civibus a sua Excellentia, si adesset, timore facile percellendis, praesertim cum ab universis viribus, quibus nunc ejus amici praesunt, secundaretur, et potentes utriusque loci cives ei studeant. Non nulli tamen ex suae Excellentiae fautoribus dubitant ne quis ponendus sit obex, nisi ante fidei Catholicae nomen dederit quam remigret, et arbitrantur eum invito Papa, Lotharingo et omnibus eorum fautoribus, sua consilia executurum et amicos omnes in tuto positurum modo redierit Catholicus, et sic vel per annum perseveraverit, ac Lotharingo prior huc accesserit. Muskrius non solum viribus sed etiam faelici rerum successu in Comitatibus Corcagiensi et Kierriensi praepolle[bit], et Cleri ibidem conatus cum duobus eorum strenuis instrumentis, Davide Rochaeo et Moriarto O'Brien, dissipavit. Ambo spei irriti Limericum venerunt. Portu-Castellanus in Tomonia haud inferioribus praevaleat, estque verisimile eum honesto Episcopo Limericensi suffragante Limerici prorsus dominaturum, et cum tempore Dominici Fаниngi autoritatem ejusque factionem depressurum, nec non moderni Praetoris fracturum arrogantiam. Jam Hugonis O Nelli imperium coercuit eo progressi confidentiae ut ei mandata miserit militaria per suum auditorem generalem, cui ille, quod | eo processerit audaciae, suspendium minatus est, animo inconcusso illi respondens se effecturum ut ejus herus, proinde ac infimus in exercitu decurio, sibi morem gereret, et intra bimestre amborum alter Momonia exploderet. Quod verisimile est jam executioni mandatum, Hugone O Nello jam jusso ut ad virium se expeditioni Ultonensi accingentium castra proficiscatur. Unde (spero) ad eum nidum nunquam regredietur. Sua Illustrissima Dominatio (Portu-

2160

v

2161

Castellanus) pariter in suo exercitu *Lotharingi factionem* gradatim suffocat. Ea animi magnitudine fuit, ut suarum virium ducibus in exercitus fronte dixerit, quod debitam Regi clientelam parva pecuniae summa extraneo vendere non deberent, nec erat qui ipsi contrarium respondere auderet. Regiminis corruptelis obviaturus *pueros otiosos* suos omnes subjecit imperio. In quibus a bono Episcopo Limericensi haud parum adjuvatur. Clanricardius simile in Conacia praestitit, et aliarum trium Provinciarum viribus imperat. Stratagema moliebatur in Conaciae partes occidentales, et Inisbofinniam, quo Lotharingi ibi factionem enervaret. Donatum O Conorum, Ranaldum Mac-Donell, et Richardum de Burgo, Chiliarchos, tria strenuissima Conaciae instrumenta, exauthoravit. Vicecomes Dillonus, Walterus Donganus, Thomas Esmondus, et Robertus Talbotus Equites, nec non Bagnallus omnes in Lagenia copias ducent. Barnevallus Mediae Occidentalis equitatui praeest, a nemine in universa Lagenia timendum praeterquam a Brienni Phele-miadis viribus. Sed et ipsae jussae sunt Athloniam versus movere ad praesentem expeditionem suscipiendam, a qua (spero) nunquam ad suum veterem Gleannmallieriae nidum redibunt, nec alibi, nisi | parum praestare poterunt. Exercitus 2161 v Ultoniensis in se fractus et sine praefecto generali divisus est, in quem Praelatorum nullus plus quam Dromorensis dominatur, vix non acturus alterum Clogherensem, non obstantibus clanculariis Ardmachani et Kilmorensis molitionibus. In Lagenia quoque Praelatorum caeteris praevallet, non obstantibus clandestinis Dubliniensis et Cluanmacnosiensis moliminibus. Tuamensis, ejusque fratres cum Aladensi et Finiboreni res ecclesiasticas in Conacia moderantur, licet Cluanfertensis et Doctor Kellaeus per privatas machinationes renitentur. Oliverus Romam destinatur, vix non futurus Episcopus Elphinensis. Honestus Doctor Desseus suo bono patruo nunc vita functo successurus Vicariatum Apostolicum illi strenuo Cleri instrumento, Doctori Plunketto, vix non praeripiet. P:ura suae Excellentiae scripta fuerunt a suorum amicorum pluribus, qui exactius et majore autoritate res judicare poterant. Eo tamen ego in suae Excellentiae prosperitatem zelo flagro ut haec nota facere ausus fuerim. Quamobrem humiliter veniam et finem facio." Hactenus ille.

(40) Harum duarum epistolarum machinationibus refertissimarum apographa Anglicana Romam tunc missa habeo, quarum primae ad ipsum Ormonium datae author non nisi

per has duas litteras *O R.* subscibit. In secundae autem apographo dies, annus, locus, et subscriptio librarii amanuensis culpa, omittitur; sed Doctor Enos supplet, affirmans Petrum Butlerum Galvia in Gallias ad suum cognatum Eduardum Butlerum, Ormonii cubicularium, 11° Maii | 1651 eam scripsisse, eundemque Petrum alterius epistolae pridie ad Ormonium indidem datae authorem fuisse consectaneum est. Ambas enim ab uno eodemque scriptas fuisse aliunde colligo. Quod si aliae litterae ab aliis Ormonistis (sicut hic habetur) ad Ormonium tunc ex Ibernia de suorum machinationibus exactius scriptitatae nos non laterent, suppeteret unde lectorem legendis tot tantisque eorum artificiis fatigaremus. Verum hae duae epistolae ab homine Ormonii et Ormonistarum studiosissimo, eorumque dogmatibus politicis addictissimo, nec non arcanorum conscio, adeoque a Cleri partibus pestilentissime averso missae non omnia quidem perversissima eorum molimina aperiunt, sed satis suggerunt, ut caetera, tanquam ex ungue leonem, ex his pessima fuisse conjectemus. Interea Catholicorum pars sana se sub Cromuellistarum et Ormonistarum tyrannide depressam, et nisi Deus eorum aerumnis opportune mederetur, magis magisque deprimentam videns, operam dabat ut se in utramque sub Lotharingi vexillis libertatem vindicaret, et Nuncii, inque eo Sedis Apostolicae honori, nec non causae Catholicae bene consuleret. Huc atque alio spectat decreta ab iisdem Ibernorum partibus P. Francisco Magruarco, strictioris observantiae Franciscano, Romam ex Ibernia iterum destinato legatio, quae sequens Iberniae Primatis epistola hic ex autographo Latino inserta te ex parte docebit. |

*Just.
cap. 21.
num. 10.*

2162

"Eminentissimis Dominis Cardinalibus Sacrae Congregationis de rebus Iberniae tractandis."

2162

v

"Eminentissimi Domini.

(41) "Quia plures hinc Romam petunt Suam Sanctitatem et Eminentissimas Dominationes vestras de statu Catholicorum Regni rebusque in eo gestis informaturi, et fortassis quaedam male sonantia ac Catholicae fidei praejudicantia aliquorum Praelatorum consensu et conniventia in Assemblaeis ac Congregationibus Regni facta toti Clero imputaturi. Hinc Eminentissimis Dominationibus vestris intimandum duxi, quod partim admonitus ab Illustrissimo D. Joanne Baptista, Archiepiscopo Firmano, Apostolico hic Nuncio, dum hinc discederet, partim quod per praesentiam meam nihil utilitatis rei Catholicae accedere sperarem, in Comitiis vel Congregationibus publicis

Regni non comparuerim. Ac proinde ne quidquam simile mihi vel aliis, qui sincere dicti Illustrissimi Domini Nuncii partes sequebamur, imputetur ac contra similia acta in Assemblaeis conclusa protestamur, ut mens et acta nostra Curiae ac potissimum Eminentissimis Dominationibus vestris plenius innotescant; discretum virum P. Fr. Franciscum Magruarc, Ordinis Minorum, in Urbem destinavimus, cui fidem quoad hos, qui a vestigiis praefati Illustrissimi D. Nuncii declinaverint, et quoad illos, qui iisdem adhaeserint, adhiberi desideramus. Absens tanquam praeiens Eminentissimarum Dominationum vestrarum sacras | manus deosculans semper permaneo

2163

Datum 24 Martii 1651.

Eminentiarum vestrarum
Devotissimus servus,

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus, etc."

(42) Notandum 1° Ardmachanum non suo solius, sed etiam omnium, qui Nuncio in Ormonistas atque haereticos adhaeserint, nomine hic loqui. Quare supponendum est ipsi factam fuisse hanc potestatem. 2°. Juxta hanc epistolam Nuncii partes in acta illa male sonantia, ac fortassis Catholicae fidei praejudicantia, aliquorum Praelatorum consensu ac conniventia (siquae talia lata fuerint) in *Assemblaeis ac Congregationibus Regni facta* nunquam consensisse, imo dissensisse. 3°. Ardmachanum hic intelligendum videri potissimum de Comitiis Loghreaghensis, et praesertim de epistola ab illo Conventiculo ad Ormonium 30 Novembris 1650 scripta, deque declaratione ab iisdem pseudo-Comitiis 7° Decembris 1650 condita, deque acto ad Clanricardii instantiam 24 Decembris 1650 ab iisdem Comitiis lato, ac denique de frivola submissione Loghreaghensi ad Suam Sanctitatem circa censuras anno 1648 ob armorum cessationem fulminatas, et circa controversias exinde natasmittenda, sed nunquam missa. Porro eodem spectant ad eandem Cardinalium Congregationem scriptae ex Ibernia ab Episcopo Kilmorensi litterae his verbis:

"Eminentissimi Domini.

(43) "Vestigiis inhaerenti mei Metropolitani, Illustrissimi Ardmachani, visum est mihi vestris Eminentissimis Dominis significare in Assemblaeis et Congregationibus hujus Regni multa determinari honori et immunitati Ecclesiae praejudicantia, quibus interesse nolui, videns meam praesentiam potius documento quam utilitati Ecclesiae futuram, ne consentire viderer, cum ob inaequalitatem suffragiorum praevalere

2163

v

non possem. Cum tamen praefatarum Congregationum acta edi et publicari dicantur nomine non solum laicorum Dominorum ac nobilium hujus Regni, sed etiam Praelatorum ecclesiasticorum; protestor me cum iis non assensisse nec modo assentire, qui paratus sum vivere et mori in ea opinione, quam cum Illustrissimis meis Dominis Nuncio Apostolico, Ardmachano, Dublinensi, aliisque non nullis Praelatis in initio hujus controversiae amplexus sum. Et ne aliter Sedes Romana aut vestrae Eminentissimae Dominationes informentur a non nullis, qui Romam petunt, nomine magistratus Regni et Praelatorum magistratui adhaerentium, existimavi omnia mea arcana in hac re communicare Patri Fr. Francisco Ma-Gruark, Ordinis Minorum, ut ea vestris Eminentissimis Dominis intimet, modumque proponat, quo honor Sedis Romanae et authoritas Nuncii Apostolici et Praelatorum sincerorum hujus Regni in tanta malorum inundatione indemnisi servetur, cui humillime rogo dignentur suae Eminentissimae DD. fidem adhibere, et sic vestrarum Eminentissimarum Dominationum manus deosculans cessat

Datum Kilmor,

2 Aprilis 1651.

Eminentissimarum vestrarum Dominationum
Humillimus servus
Eugenius Kilmorensis."

(44) De P. Francisci in Urbem profectione et reditu, nec non de iis, quae cum Lotharingo egit, suo loco | non nihil dicemus. Interea hic ex autographo subnecto, quae ad eandem causam secundandam, fundatissimae nobilissimaeque familiae suae Princeps, Vicecomes Rochaeus, Archiepiscopo Firmano tunc ex Ibernia in Italiam scripsit his verbis non eloquentiam Latinam, cujus defectum tantum dynastae quis vitio vertat, sed animi candorem et solitum causae Catholicae zelum spirantibus, non nullaque ad annos etiam superiores pertinentia, eaque scitu digna, perstringentibus.

"Illustrissime Reverendissimeque Domine.

(45) "Omitto particulares rerum eventus typis mandare, ne involvar inaudita prolixitate. At (rogo) credat omnia, ex quo Regnum sua Illustrissima et Reverendissima Dominatio reliquit, successisse ut praedixi Clonmelliae Reverendissimis quibusdam Episcopis contraria praedicantibus. Articulos edidi Kilkenniae, quos promissos observandos Episcopis oppositis vestrarum autoritati, reliqui Episcopo Fernensi, nuper tunc Kilkenniam a

2164

an. 1647.

an. 1648.

Roma appulso, cui ideo majorem fidem quam caeteris adhibui, et hoc eo magis, quia bonus Episcopus articulos detinens quatuordecim diebus, toto eo tempore apparebat cupiens, et promisit illos observare. Verumtamen ille cum caeteris Archiepiscopis et Episcopis me invito omnia concederunt ad nutum Dominorum Ormonii, Muskrii, et Insequin, quorum dispositioni et arbitrio omnia reliquerunt, nulla cura aut respectu habitis, nec competenti provisione facta pro sua Illustrissima Reverendissimaque Dominatione, caeteris nobilibus spiritualibus et temporalibus, gentilitia, civibus aut iis, qui omnia perdiderunt pro causa Catholica, quibus omnibus observatis, ante rerum finem aut publicationem, venia praehabita Ormonii, servus fidelis suae Illustrissimae Reverendissimaeque Dominationis Kilkennia | discessit. Tamen suos articulos in tuto conservat.

2164

v

Quibus in tempore apparebit quantum distant a concessis Cleri? Interim quamvis Clerus plurimas habuerit convocationes, tamen in nulla providetur aliquid, quo alicui ex vestris adhaerentibus provideretur, aut in gubernio civili aut martiali locus daretur. Imo e contrario omnia beneficia subsidiorum publicorum, terrarum subtractarum inimicis, et omnium locorum civilium et Martialis solis vestrae Dominationi et causae Catholicae oppositis exhibentur, a quibus non minori odio aut contemptu persecutionem patimur, quam a publicis inimicis, sic ut nisi sua Illustrissima et Reverendissima Dominatio aut Sanctissimus Pater noster Summus Pontifex praeveniat, brevi

Cromuel-
listas et
Ormon-
istas

supprimendi simus inter utrosque inimicos. Attamen Dei optimi maximique providentia et misericordia contigit, quod dum res nostrae ad nihil fere redigerentur, Hugo Rochfort, unus de generosis et legis peritis Comitatus Wexfordiae, petens aliunde subsidium suppressis Catholicis Iberniae, tandem adivit Ducem Lotharingiae, qui ei omni humanitate tractato promisit omne subsidi genus cum approbatione Serenissimi Regis et Ducis de Yorke. Quo hic auditio Ormonius et Insequin applicuerunt Dominum Taaff eidem Duci Lotharingiae, ut suaderet illi optimam de se ipsis habere opinionem, ne in discrimen perditionis tantorum beneficiorum publicorum ecclesiasticorum et laicorum, aut in scrutinium reddenda rationis tantorum subsidiorum quinque aut sex annorum, Principis tanti potentia adducerentur. Quare rogo suam Illustrissimam Reverendissimaque Dominationem ut aut personaliter aut per fidelem delegatum a Sua Sanctitate, aut sua Illustrissima Reverendissimaque Dominatione cum omni expeditione applicatio fiat

Excellentissimo Duci, qua sciat quibus fidendum, et a quibus
 cavendum sit, et hoc sub vestra cura, ut neque in civili aut
 martiali gubernio admittantur aliqui ex iis, qui his praeteritis
 quinque aut sex annis universum thesaurum Regni disposuerunt
 ad libitum, donec rationem reddant praeteritorum subsidiorum
 publici aerarii et eorum processum toto isto tempore. Praeterea
 sciat sua Illustrissima Reverendissimaque Dominatio pro
 certo quod Dominus de Insequin non obstante pace ipsius cum
 Concilio et tunc Confaederatis Catholicis contra Articulos
 publicatos inter ipsum et Concilium, *Custodio* concessit meas
 terras, uxore et liberis obsessis in meo Manerio, donec coactus
 fui emere praedictum *Custodium* a Willelmo Courtnay, Milite.
 Cujus *Custodii* fundamentum fuit (ut expressis terminis ejus
 patet) quia adhaesi vestrae Dominationi et Eugenio O Neill,
 quod ideo etc., et quod postea idem Dominus turmis suis
 equitum vinctos consanguineos meos Mac-Donogh et O Sullevan
 Bear Corcagiam deferri mandavit, ubi eos propter eandem
 causam incarceravit donec solvebant quantum bonum vide-
 batur Domino de Insequin sub nomine paenae pro suis liber-
 tatisbus. Et quod ego nullum omnino accepi beneficium a meis
 terris, his viginti praeteritis mensibus, ex quo Cromuellus in
 Momoniam venit, ubi meas terras concessit diversis *custodiis*,
 quibus voluit. Nuperrime lis orta est inter Dominum de
 Muskry et filium meum, Davidem, quia post concessionem
 gubernii utriusque Comitatus Cork et Kierry filio, cum *Regimento*
 equitum Joannis Barry et hoc cum consensu Ormonii et
 Insequin, Dominus de Muskry postea cum Ormonii commissione
 et gubernium comitatus Corck et *Regimentum* secum abstulit.
 Meus filius justitiam petens adivit Deputatum, Clanricard,
 cuius exiguum spem habeo, quia suspicantur eum ejusdem
 conditionis esse cum Ormonio, Muscrio, et Insequinno. Quam
 humiliter obtistor suam Illustrissimam Reverendissimamque
 Dominationem ut (si fieri potest) subventionem nobis procuret
 a Sanctissimo Patre nostro, et iis, qui Catholicam causam a
 suppressoribus et invadentibus tueri summa vi conarentur, et
 hoc tempori, optoque dirigi aut ad portum de Beerhaven aut Ken-
 mare. Quae omnia suae Illustrissimae Reverendissimaeque
 Dominationis sinceritati et integritati subjiciens veniam capit
 Beerhaven

29 Aprilis 1651.

Illustrissimae Reverendissimaeque vestrae Dominationis
 Servus fidelis et humillimus,
 Mauritus de Rupe et Fermoye."

2165

2165

v

(46) Haud dubitandum quin multi in hujus partis sanae et sincerae favorem suapte sponte Lotharingo multa suggesserint. Ex quorum numero fuisse video P. Patricium Hacquettum vel Hackettum, Dominicanum Ibernum, cuius ad annum 1647 haud semel nec perfuntorie fecimus mentionem. Is partium sincerarum assertor ex Ibernia in Belgium transvectus, inde Archiepiscopo Firmano hanc epistolam scripsit :

" Illustrissime Domine.

(47) " Etsi Ibernia de vestra Dominatione Illustrissima

2166 pessime merita sit, de vestra tamen sollicitudine | erga illam non possum dubitare, ac proinde de ea non scribere nequeo, cum sciam ipse vestram Dominationem Illustrissimam id officii a me expectaturam. Mense Septembri 1649 habita est Congregatio Episcoporum Limerici, in qua tam illi, qui V.D. Illustrissimae adhaesisse visi sunt, quam carbone notati promiscue pactum inierunt semper in futurum standi simul in quacumque occasione. Mense Decembri ejusdem anni, citati per Ormonium ac suum Concilium congregati sunt Episcopi totius Iberniae apud *Cluanmacnois*, ac opportune priusquam consedissent, P. F. Philippus Duyre, actionum mearum socius, qui per me vestrae D. Illustrissimae benedictionem humillime postulat, et ego praemonuimus, ne in iisdem actionibus communicarent cum excommunicatis, antequam debitam facerent submissionem, prae timore participandi cum illis in crimen criminoso, quod promiserunt firmissime. Nulla est delinquentium submissio facta, et ab omnibus in eandem itum est sententiam, et inter omnes tamen ibidem turpissime est erratum. Ab omnibus per declarationem Congregationis typis impressam insinuatum est populo, omnem controversiam circa cessationem et pacem fuisse sedatam, partiumque unionem factam. Quo nihil falsius. Ab iis, qui partibus vestris aliquandiu haeserunt, supplicatum est Suae Sanctitati pro absolvendis adversariis, qui neque adhuc aut submittunt se, aut absolvi desiderant. Ibidemque ab iisdem insinuatum est populo | vestram Dominationem Illustrissimam fuisse authorem D. v Eugenio O Nello pacisciendi cum Ormonio. Omnes tamen sinceri bene norunt non potuisse fieri ut V.D. Illustrissima suasisset actionem contrahentem tam supinum et palpabile perjurium. Mense Augusto praeterito multum arridebat toti Regno declaratio Congregationis Jacobopolitanae contra Ormonium. Quae tamen bonis omnibus aegre ferentibus subito per ipsius Congregationis delegatos revocata fuit ad aeternum

religionis et Regni detrimentum. Pridie vigilias natalitias ultimas in Assemblea de Loghreagh est declaratum et sancitum quod ecclesiastici neque deberent neque possent aliquas declarationes aut censuras aut contra praesentem aut aliquem futurum Proregem quacumque de causa promulgare, vel si facerent, quod laici possent eos juxta sua placita punire. Erant in hac Assemblea non nulli Episcopi. Cum illis tenentur caeteri concordare ex praevio pacto. Quaedam hic occurrerent dicenda ni vererer prolixitate molestus esse. Per hanc Assembleam designatus est Romam versus Fr. Oliverus de Burgo. A Jesuitis designatus est aliis. Populus Catholicus Iberniae non dubitat Romae in hos animadversum iri juste propter inobedientiam ab illis et caeteris suis vestrae Dominationi Illustrissimae exhibitam. Certe si (quod Deus avertat) tam impune redierint ac Carmelita *Roe* aut Carmelita Browne, qui hic nuperrime jactitabat se rediisse cum Suae Sanctitatis authoritate ad declarandum in Ibernia | Appellationem esse validam et Excommunicationem irritam, nonnihil dolebit totus populus Catholicus Iberniae. Timetur ibi fortassis si fieret animadversio debita in Praelatos delinquentes, ne tota terra in defectionem generalem haberetur. Laudetur Deus, qui S. Patricio promisit quod in Ibernia nunquam deficeret fides. Qui hucusque fideliter stetit promissis, non obstantibus tot et tantis persecutionibus a tempore Regis Henrici octavi. Etiamnum hodie nulla est defectio fidei in populo, etiamsi a Puritanis plusquam Turcice tractatur. Neque hactenus sub caelo visa est natio, cui tamdiu dominatus fuerit haereticus, quae non ad haeresim fuerit etiam ipsa conversa, praeter Iberniam. Ac proinde etsi in nihilum redigerentur isti Episcopi, nihil timendum esset de defectione Iberniae. Unde si visum est non conducere ut ex Ibernia vocentur, saltem (quod salvo maturiori judicio sit dictum) possent bene citari Fernensis Bruxellis et Waterfordiensis Maclovio. Immensam populo paeberet satisfactionem. Serenissimus Dux Lotharingiae suppetias destinare in Iberniam intendit. Cum eo tractaturus degit hic Vicecomes Taaff, qui quoquo modo poterit, omnia ad partes Ormonicas trahet, et consequenter ad Parliamentarias. Ego jam monui suam Celsitudinem, quod aversionem implacabilem populi sibi compararet tractando cum Taaffo. Idem facturus sum contra Fernensem ac Prestonum utrumque, qui huc venturi sunt. Precor ut V. Dominatio Illustrissima dignetur me adjuvare, vel | datis ad ipsam suam Celsitudinem vel ad Illustrissimum

2167

 ob pacem
 anno 1649
 conclusam.

2167

v

D. Internuncium litteris, vel ad me ipsum generalibus commendatitiis fidem mihi adhiberi suadentibus. V.D. Illustrissima author mihi fuit incipiendi hanc palaestram et, juxta Philosophum. *qui dat esse dat consequentia adesse.* Precor etiam ut procuret absolutionem, quam postulat D. Baro de Dunboyne, eamque cum benedictione ad me destinet, qui sum

Lovanii ex Collegio S. Joannis Baptiste Fratrum Ibernorum Ordinis Praedicatorum 21 Aprilis 1651.

Vestrae Dominationis Illustrissimae
Humillimus filiolus,

Fr. Patricius Hacquetus."

(48) Quod hic affirmat pseudo-Comitiis Loghreaghensibus interfuisse non nullos Episcopos, et Praelatos absentes ad concordandum cum ipsis fuisse obligatos, ex praevio pacto, intelligendum videtur de Congregationis Jacobopolitanae Commissariis seu Praelatis, quibus illa Congregatio ad acta sua prosequenda autoritatem delegaverat, sed non ad alia gerenda extra et contra mandati limites. Porro his addam sequentia monita Lotharingo Gallice tradita :

"*Monita Lotharingo tradita circa expeditionem
Ibernicam.*

(49) " 1°. Sua Celsitudo expeditionem Ibernicam non suscipiet nisi tanquam Protector absolutus, et ab alio nullatenus dependens.

2168 (50) " 2°. Sua Celsitudo nulli haeretico, quicumque demum ille sit, suorum exercituum imperium, locorum gubernationem, vel i aerarii dispensationem committet.

(51) " 3°. A Sua Sanctitate obtinere debet suam benedictionem, et ad hanc expeditionem, sua *Brevia*, quibus ad assistendum suaee Celsitudini in hac expeditione omnes Principes Catholicos exhortetur, ejusque litteras ad Nuncios residentes juxta Principes Catholicos, et ad omnes orbis Christiani Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Praelatos et Capitula, quo ab ipsis opem assequatur.

(52) " 4°. Classem quantocytus instruendam curabit, et abjecta cunctatione ad capiendas hostium naves mandata et facultates expediet.

(53) " 5°. Per viros integritate conspicuos atque in rebus Ibernicis probe versatos diligenter inquiret in capita sequentia.
1°. Qui ex viris conspicuis tam militaribus quam nobilibus et

aliis antehac fideles fuerint patriae et religioni? 2°. Qui factiones foverint et operam dederint ut Clerum atque ejus authoritatem et rem vilificarent? 3°. Qui ex ducibus digni sint, in quibus spes collocetur? Qui ea fide atque autoritate polleant ut vires contrahere valeant? Et qui sint, quibus milites adhaerebunt. 4°. Qui ex togatis ad reipublicae munia tractanda idoneis fidem mereantur, et ad obeunda officia cooptandi sint? 5°. Quis sit praesens rerum Ibernicarum status? 6°. Quae civitatum conditio et cordis propensiones. 7°. Qua ratione et quamobrem Marchio Ormoniae Ibernia deturbatus est? Quomodo regredi statuit? Quae mala exinde nascitura? Quo pacto curam adhibet ut ipse Ducis Eboracensis tutorem gerat? Cujus opera id conatur? Et quod inde sequetur? 8°. Quomodo in hac occasione cum sua Majestate Britannica et Regina ejus matre agendum erit?" Hactenus illa monita.

2168

v

(54) Vidimus Clanricardium Vicecomiti Taaffo, Nicolao Plunketto Equiti, et Zepherino Brouno Armigero cum Lotharingo pacisciendi fecisse potestatem, quorum duobus ultimis in Belgium hoc anno ex Ibernia profectis, et Taaffo ad annum superiorem misso ibidem associatis habita fuit ad Lotharingum Regni nomine, quam Nicolao ascribi video, haec brevis oratio:

"Serenissime Princeps.

(55) "Pervenit ad Dominationem vestram Serenissimam calamitatum, in quibus versabantur Iberni, rumor. Pervenit et ad eos vestrae potentiae virtutisque fama et gloria. Vidisti gentem nostram nefariorum haereticorum armis atque invidia humiliatam, et zelo Dei inflammatus sponte tua ad nos subsidia opportuna destinasti, in hoc majorum tuorum exempla secutus, et praeclare cogitans nihil posse honorificentius a Celsitudine tua agi, quam populum pervetuste Catholicum sub gladio at tyrannide haeretici hostis incurvatum et fatiscentem juvare et consolari.

(56) "Munificentia tua et subsidiis Iberni excitati amandarunt nos ad agendum gratias impensisimas Celsitudini vestrae nomine populi universi, quia ipsis subvenisti tunc praecipue, quando res eorum erant fere conclamatae. In illo temporis articulo, quo Iberni ab universa Christianitate omnino derelinquuntur, te potentem fortunarum, vitarum, et sanctae religionis defensorem inveniunt, dum generose offers tam vitam quam substantiam pro ipsis a servitutis jugo et haeresis lue redimendis. Hujus in religionem et populum amoris

2169

argumentum nobilissimum praebuit vestra Serenissima Celsitudo, quando misit ad nos Reverendissimum D. Abbatem S. Catherineae, virum probum, pium, et prudentem, popularibus etiam nostris ita gratum, ut omnes ipsum mente optima praeditum, et rebus Patriae quam optime consulentem amoris ulnis completerentur. Hinc factum ut eum receperit benigne et honorifice Excellentissimus D. Marchio de Clanricard Prorex, qui valde coluit et honoravit magnificam animi tui fortitudinem atque resolutionem defendendi pietatem jamjam eliminandam, terras, vitas, et libertatem populi universim Catholici. Unde jubemur ab ipso pro tanto beneficio tam Regis quam populi nomine Celsitudinem vestram prae omnibus mundi Principibus de ipsis optime meritam salutare. Conservabunt cum Dei gratia ecclesias, et quicquid sanctum aut charum est, subsidia a Dominatione vestra Serenissima opportune ad nos missa, donec venerint majores hominum, armorum, aliarumque rerum suppetiae.

(57) "Resolvit enim natio Ibernica cum tanto Principe in causa Dei et patriae aut vivere aut mori, neque alium in terris pro sancta religione restituenda ducem sequetur. Cum autem haec, cui summe faves, sit sancta Dei et religionis causa, | Sua Sanctitas et cuncti Principes Catholici deberent Celsitudini vestrae gratulari ob susceptam populi tam Catholici defensionem, atque in ea re operam strenuam collocare. Ipsorum enim jura et dominia, si illi perduelles non coarceantur, brevi poterunt invadi atque everti.

(58) "Haud dubium tecum erit Dei omnipotentis manus, et te ducet per aspera et inania, dum purpureum Christi Crucifixi vexillum expandis, sanctum Dei cultum augendo. Faxit Deus, ut Monarchae Europae potentissimi rebus suis male consulentes non videant brevi ignavia sua, vel potius male sana politia haeresim in suis Regnis dominantem, qui Catholicos modo ferro et flamma absumptos renuunt juvare. Tua sit gloria, Dux Serenissime, quod armis et pecuniis foveas atque juves populum Ibernicum extremo cum periculo conflictantem. In hoc piissimos proavos imitaris, qui contenderunt Jerosolymam, ut coronam Christi Servatoris spinis non gemmis obsitam infidelibus eriperent. Idem agis, Serenissime Princeps, dum cogitas religionis causa in Iberniam proficisci. Sic ingemiscenti et periclitanti Iberniae subvenies. Sic a sancta religione templis et aris ruinam arcebis. Sic salutem nostram a multis desperatam et fere ab universis neglectam reparabis. Sic populum Ibernicum cum fortunis pristinae pietati et libertati restitues." Haec ibi.

(59) Ad Lotharingum ex Ibernia allegatos fuisse invenio | non solum Nicolaum Plunkettum et Zepherinum Brounum, Vicecomiti Taaffo ante Bruxellis se tenenti ibidem associatos, unaque tres Clanricardii praesertim auctoritate munitos, sed etiam Episcopum Fernensem et Jacobum Prestonum, Equitem auratum, ab aliis destinatos. Quorum Fernensi Episcopus Limericensis, nec non Thomas Strech et Oliverus French, hic Galviae et ille Limerici Praetor, per communes litteras *credentiales* II Januarii 1651 datas rogarunt ut exteri Principes et Potentatus Catholici fidem haberent, et ad ejus instantiam Iberniae subvenirent. Eodemque die nominatim ad Lotharingum cum eodem Episcopo data fuit haec epistola.

"Serenissime Princeps.

(60) " Proh dolor ! Catholica Ibernia facta est nuper haereticorum libidini et malitiae tributaria. Quippe Arx Duncanan, fortissimum Regni propugnaculum, Waterfordia, Kilkennia, Wexfordia, maris Domina, Rossipontum, Clonmellia, et omnes Catholicae civitates atque oppida venerunt in potestatem ac ditionem hostis haeretici. Solae Catholicis reliquae manent civitates Limericensis et Galviensis, veluti emortuae religionis scintilla, quam sua Celsitudo augendo (propitio Deo) brevi in flammarum, grandemque ignem excitabit. Non enim alium authorem optat Ibernia avitae religionis atque pietatis restituendae reparandaeque, quam eximii atque piissimi Godefredi de *Bulloign* haeredem. Ad arduum hoc negotium (quod nuper caeptum fuit mandato et commissione Serenissimi Caroli, Regis nostri) tractandum hinc ad suam Celsitudinem pergunt viri negotio vere pares, nempe Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Nicolaus, | Episcopus Fernensis, praesul eximius, qui varia eaque publica pro Ecclesia et Regno munia pie, prudenter, faeliciter administravit, et ipsi colligatus D. Hugo de Rupeforti, homo spectabilis. Ut ipsis non nulla hujus civitatis nomine exponentibus sua Celsitudo plenam fidem adhibeat, summopere cupimus, hisce spondentes, et in nos suscipientes vice hujus Catholicae civitatis ea omnia praestare, quae nostro nomine ipsi promittent, aut agent. Nos interim vestrae Celsitudini multos annos, faelicitatemque apprincipantes, manemus Limerici,

II Januarii 1651.

Celsitudinis vestrae addictissimi humillimique servi.

Edmundus Limericensis Episcopus.

Thomas Strech, Major Limericensis."

2170
Poncius
*Vind.
Evers.*
p. 279.

ibid.
p. 281.

2170
v

Ibid.
p. 283.

(61) Similis epistola 20 Februarii 1651 data fuit, cui suo et suae urbis Galviensis nomine manus apposuerunt Oliverus French *Major Galviensis*, Joannes Blakus *Recordator*, Jacobus French Vicecomes, Franciscus Blakus, Thomas Linchaeus et Christophorus Frensh, Notarius publicus.

2171 (62) Postea vero in continentem transvecto Fernensi, et Abbe S. Catherinae ex Lotharingi parte in Iberniam misso, non nullisque pactis ibi mense Martio et ad ineuntem | Aprilim cum eo celebratis hoc mandatum conditum est:

“ In Dei Nomine. Amen.

Ibid.
p. 286.

(63) “ Memorandum quod anno Domini 1651, die vero mensis Aprilis 7^o, nos infrascripti tam nostro quam omnium fere procerum, nobilium, et popularium Catholicorum Regni Iberniae nomine et nominibus (quorum sensuum in hac parte et consensuum certam et exploratam notitiam habemus) nominavimus, constituimus, eligimus, et deputamus, omnibus quibus possumus modo, via, jure ac ratione, procuratores, *Agentes*, et negotiorum nostrorum gestores, generales et speciales, ita ut specialitas generalitati non deroget, aut e contra, conjunctim etiam et divisim, si ita opus fuerit, in casu mortis aut alterius inevitabilis necessitatis, Reverendissimum in Christo Patrem ac Dominum D. Episcopum Fernensem, et clarissimum ac nobilissimum Dominum D. Jacobum Prestonum Equitem auratum, ut supra, ad agendum, tractandum, consulendum, ac firmiter concludendum cum Serenissimo Principe Carolo, Duce Lotharingiae, quem in Regium Protectorem Regni Iberniae eligimus nostro omniumque praefatorum nominibus ad agendum cum praefata sua Celsitudine, tam in, et super negotio principali Protectionis memoratae, quam in, et de aliis articulis, propositionibus, et postulatis nostris, conventis, et non conventis, tale negotium quoquo modo concernentibus cum omnibus annexis, connexis, emergentibus, dependentibus, et aliqua ratione concernentibus; et generaliter omnia alia in praemissis agendi et faciendi, ac si nos ipsi | praesentes essemus. v Et quicquid in praedictis fecerint, concluserint, tractaverint, consenserint, et coinvenerint cum praefato Serenissimo Duce Lotharingiae, seu cum ejus haeredibus aut assignatis suis, seu cum ejus eorumve Agentibus, legatis, procuratoribus, seu aliis quibuscumque mandatum et potestatem ad id speciale habentibus, uno vel pluribus, nos ratum, gratum, et acceptum

habituros, promittimus per praesentes. Et ad id nos ipsos et successores, haeredes nostros, aliosque quos possumus, in perpetuum obligamus. Datum sub signis et sigillis nostris anno dieque, quibus supra, et in praesentia testium infrascriptorum Galviae in Provincia Conaciae, et Regno Iberniae, praesentis mansionis nostrae seu refugii loco.

Fr. Thomas Archiepiscopus Dubliniensis, Iberniae Primas. Robertus Corcagiensis et Cluanensis Episcopus. Fr. Antonius Cluanmacnosensis Episcopus, Procurator Primatis Iberniae. Walterus Cluanfertensis Episcopus, et Procurator Laghleniensis. Franciscus Aladensis Episcopus."

(64) "Et nos *Major* seu *Praetor Galviensis* confirmamus et nostris suffragiis ratificamus praedictum *Procuratorium*, et personas in eo nominatas nostros etiam procuratores, ut supra constituimus die et anno quibus supra cum infrascriptis de Concilio nostro." Hactenus illud mandatum, cui apud Poncium Praetoris atque aliorum Galviensium subscriptiones deesse video. Haec omnia mandata Fernensi et collegis clam | Clanricardio, quia in malae fidei et proditae ac prodendae patriae suspicionem vocato concessa fuerunt ut patriae causam apud Lotharingum potenter et sincere agerent, si Clanricardius suis partibus defuturus esset, sicut defuturum *Praelatorum* et laicorum plerique jure merito suspicabantur.

2172

(65) Allegatis ergo ad Lotharingum a Clanricardio tribus, nempe Vicecomite Taaffo, Nicolao Plunketto Equite, et Zepherino Brouno armigero, nec non duobus, nempe Fernensi et qui in Rochfordi locum substitutus erat, Jacobo Prestono, Equite aurato, ab aliis jam dictis, "res (inquit Poncius) hoc modo acta est. Commissariis a Clanricardio injunctum erat, ne quidquam concluderent cum Serenissimo Duce, nisi habito assensu Reginae (Angliae), Ducus Eboracensis, aut Ormonii (ad Regem ipsum non patebat tum aditus). Horum ergo consensum imploratus Bruxellis Parisios se contulit Taaffus. Ii vero, quod Rege in Scotorum potestate constituto, tutum non existimarent, in illo tractatu comparere, sine scriptura ulla oretenus solummodo consenserunt, ut quod magis esset salutare Regno sine regiorum jurium, aut praerogativarum praejudicio concluderent. Quare cum Commissarii pariter arbitrarentur Regiae Majestati nocere posse, si ipsius etiam Deputati, hoc est Clanricardii, nomine | convenient, abstrahere

Vind.
Ever.
p. 118.

2172

v

ab omni tali mentione consultius esse rati, totius Regni et populi Iberni nomine in articulos postea proponendos religioni, Regi, et Regno salutares cum Serenissimo Duce convenerunt tanto confidentius, quod antequam ex Ibernia discessissent, in satis frequenti Cleri et nobilium *Assemblaea* conclusum erat, ut cum eodem Serenissimo Duce quibusvis honestis conditionibus ad subsidia omnino necessaria ab eo habenda conveniretur, a quorum sententia non abiturum *Deputatum* sibi persuaserunt, meliorem de ipso, quam ipse postea se meritum fuisse ostendit, concipientes opinionem." Haec Poncii. Ex quo etiam, nec non ex Bellingo conventionis cum Lotharingo initiae articulos in medium produco.

Ponc.
Vind.
evers.
p. 124.
Bellingo.
Annot.
p. 195.

*"Articuli conclusi inter Serenissimum Lotharingiae
Ducem et Commissarios Regni Iberniae."*

(66) "Serenissimus Lotharingiae Dux in verum ac Regium Iberniae Protectorem (quod etiam ad ejus haeredes successoresque transbit) cooptabitur, assumetur, ac publice habebitur, collata in eum hoc nomine omnimoda Regni administrandi potestate, authoritate, caeterisque rerum apicibus ad Regium Protectorem rite spectantibus juxta conditiones subsequentibus articulis speciatim explicandas.

(67) "Ac primo quidem, cum in hoc tractatu potissimum religionis causa versetur, aequum paciscentibus | visum est ab imploranda Summi Pontificis benedictione opeque paternam totam auspicari. Quam opem ut sibi tum in divinis tum humanis non defuturam sperant: ita se in perpetuo Sedis Apostolicae Suaeque Sanctitatis obsequio ac fide constantissime permansuros protestantur.

(68) "Ad eam vero suscipienda a sua Celsitudine hujusc protectionis rationem, cum ea demum accesserit, ut in hostibus Regis Magnae Britanniae bello prosequendis operam quoque suam consociet, eique quantum in se situm erit, opituletur, tantum abest a consilio quidquam de ejus jure in eodem Iberniae Regno decerpendi, ut potius testatum velit parato se esse animo post restitutam in debitum statum Religionem, Regnumque, omni se in manus sua Majestatis autoritate abdicandi, refusis prius sumptibus in eam rem praeexpensis.

(69) "Quos ad exitus ut perveniri possit, praedictorum populi et Regni obedientia et fides sua Celsitudini addicetur alterius cujusvis superioritati nequaquam obnoxia. Sicuti sua

Celsitudo partibus suis non deerit ad expellendos inde haereticos religionis, Regisque perduelles, nec non ad res fidelium hujusce Regni subditorum recuperandas, tuendasque.

(70) "Supremum armorum in eodem Regno imperium tam praesenti quam futuro tempore, delectus militares, caeteraeque belli gerendi rationes a sola suae Celsitudinis persona nutuque dirigentur; aut alterius fidem Catholicam profitentis, quem in sui absentis vicem pro arbitrio subdelegare voluerit, seclusis omnibus quibuscumque.

2173
v

(71) "Praecautum quoque est et utrinque provisum, ne sua Celsitudo in Regnum, urbes, ac loca ipsi cautionis titulo concreda, quicquam novarum rerum inducat securitatibus, privilegiis, immunitatibus, proprietatibus, bonis, latifundiis, statibus, aut omnino primariis Regni legibus adversantium. Sed horum omnium fruitionem fidelibus Regni subditis integrum illibatamque servabit, retenta sibi, si quid deinceps in boni publici detrimentum acciderit, remedii ferendi autoritate. Quod ad judiciorum exercendorum rerumque civilium procurationem attinet, hoc etiam in Conventionem venit, omnia secundum fundamentales Regni leges, et formulas politiae a sua Majestate, Gubernatore, vel Comitiis institutae absque ulla innovatione processura.

(72) "Comitiorum autem habendorum ratio eadem, quae antehac, constabit, nisi quid, subortis adversus regimen querimoniis, aut urgentibus negotiorum momentis extra ordinem peragendum erit, quibus casibus quemadmodum prisca Regni jura privilegiaque deposita, praedictorum Comitiorum indictio penes suae Celsitudinis arbitrium erit. |

(73) "Postquam vero Deus optatos hoc in Regno successus religioni suae Celsitudinis armis indulserit: si Comitiis publicis operae pretium videbitur suppetias suae Majestati submitti adversus hostes in aliis suis Regnis rebellantes, ad id consilii jam nunc suae Celsitudinis animus incunctanter accedit.

2174

(74) "Quod si urgente rerum necessitate suam in Iberniam profactionem differre fortasse cogatur, in ejus delectu ac voluntate positum, aliquem Catholicae pietatis virum, quemcumque talibus curis haud imparem judicaverit, huic obeundo muneri substituere, eique summam armorum praefecturam committere, a quovis alio independentem. Qui etiam, si suae Celsitudini visum fuerit, in communionem omnium consiliorum sive ad statum sive ad politiam pertinentium, pari jure cum caeteris Consiliariis legitime constitutis adhibebitur.

2174

v

(75) "Urbes, Castella, et latifundia ab hostium manibus erupta ad legitimos dominos revertentur in partibus Catholicis constanter perseverantes sub imperio suae Celsitudinis, cuius utique erit, iisdem locis, aliquisque arcibus et munitionibus ad libitum, prout commode ac securitati Nationis, suaequ expedire censuerit, praesidia imponere. Quae quidem caeterae que copiae, atque adeo | omnia exercitus stipendia capient tum ex Regni vectigalibus, prout eorum ratio ferre poterit; tum supplementi loco, ex proprio suae Celsitudinis aerario, cauta hujusmodi pecuniae refusione, sicut et aliorum sumptuum, qui in similes usus insumpti sunt, aut in posterum insumentur, Hostium vero, et damnatorum bona, aut praedictis belli impensis addicentur, aut remunerandis iis, qui fortiter se pro religione Regnoque gesserint, prout suae Celsitudini aequum videbitur, consultis super hoc Comitiis generalibus.

(76) "Praeter viginti librarum Anglicarum millia jam in usus Regni numerato praeexpensa, sua Celsitudo eam pecuniae summam, armorum, navium, munitionum, omnisque apparatus, commeatusque bellici vim atque copiam suppeditabit, quae nec supra illius facultates sint, nec infra belli continuandi, Regnique recuperandi necessitatem. Cujus omnis pecuniae recuperationi, tum quoad sortem attinet, tum quoad proventus annuos in legitimam stipulationem deductos universa gens Ibernica ad ultimam usque solutionem, Celsitudini suae obligata subjacebit, in ejusque rei cautelam infradictae urbes, nimirum Galviensis, Limericensis, Sligoniensis, Athloniensis cum arce Waterfordensi, et regia Duncananae arx, si tamen ab hostium | occupatione liberabitur, in manus ac possessionem suae Celsitudinis, ejusque haeredum, ac successorum, consignata, ad integrum usque (ut jam supra expressum est) satisfactionem, permanebunt. Hoc insuper utrinque condicto, quod praedictae urbes, arces, Castella, debita adversus suam Celsitudinem, ejusque haeredes ac successores fide praesidia ab ipsis immissa, cum opus fuerit, admittere nullo praetextu detrectabunt, promptamque ipsis obedientiam, vigore praesentis tractatus exhibebunt. Cum vero collectae fient ad praedictam pecuniam tam summae capitalis, quam proventuum annuorum in legitimam stipulationem deductorum suae Celsitudini persolvendam, taxa privatorum bonis ac censibus imponetur, aequali proportione distribuenda. Praefati vero deputati cum sua Celsitudine convenient de certa methodo pro computo impensarum. Denique nec de induciis, nec de armorum

2175

Cessationibus, nec pace quicquam sua Celsitudo, dissentientibus delegato et Comitiis, nec vicissim delegatus et Comitia, reclamante sua Celsitudine difinite paciscentur. In cuius rei testimonium, etc.

C. Lorraine."

(77) Sicut Lotharingus subscrispsit huic conventionis exemplari | Commissariis Ibernis tradito, ita illos alteri vicissim Lotharingo a se tradito subscrispsisse reperio, quo facto conventionem ad Clanricardium in Iberniam transmiserunt. "Ille vero (inquit Poncii) semper in rejiciendis quibuscumque Reipublicae et Religioni salutaribus conventionibus et tractatibus constans, attractis etiam in suam sententiam quibus poterat viis, pluribus aliis ex sua factione, opposuerat se illis articulis." Sic Poncii. Qui tamen hanc ejus epistolam ad duos ex dictis Commissariis super ea re datam habet.

2175
v

Vind.
Evers.
p. 113.

"Nicolao Plunketto Equiti aurato et Zepherino Brouno
Armigero.

(78) "Vestrarum amborum decimi quarti Septembbris 7^o praesentis accepi simul cum charta aliqua, quam vos vocatis Conventionem cum Duce Lotharingiae, copiisque aliarum litterarum, quas vos asseritis esse suae Majestatis Reginae, et D. Locumtenentis, quasque producitis tanquam securitatem vobis ad concludendam dictam conventionem, simul cum relatione quam habuistis a D. Taaffo.

Ibid.
p. 114.

(79) "Ad primum aspectum dictae chartae ex ipso titulo apparuit illam nullam habuisse relationem ad meam Commissionem, aut | instructiones, quibus authoritas vobis commissa est cum Duce Lotharingiae tractandi, nec etiam ad ullam aliam autoritatem a sua Majestate concessam; sed factam fuisse nomine Regni et populi Iberniae, a quibus nec habuistis, nec habere potuistis facultatem cum ullo extero Principe tractandi, quandoquidem obedientiam profiteantur et gubernentur autoritate regia. Itaque existimo summum, quod ad defensionem vestram in maxima, quam quis imaginari possit, fidei in vobis repositae violatione adducere potestis, et

2176

istuc. quod ipsum potius illam aggravat, non posse esse aliud, quam secretum aliquod Instrumentum confectum, et *eo* ab aliis delatum, cum quibus (ut videtur) vos conjunxit.

2176 (80) "Cum vidi sem sequentes articulos, eos reperi tam transcendentis naturae, et tam oppositos ac incompatibilis cum Regis autoritate aut officio subditi; iisque modo nunquam adhuc viso ita abrogari omnia Regis in Regno jura ac prerogativas et etiam subverti fidelitatem, libertatem et jura incolarum omnium, ac consequenter eos ad perpetuum bellum et praesentia schismata et divisiones sic obligari, ut nihil mihi majori admirationi esse potuerit. Cum titulus, et materia sit hujus naturae, certior factus sum hunc tractatum non fuisse Parisiis | compertum initio ultimi Septembbris, quamvis D. v Taaffus tum ibi commoraretur; nec postea etiam Bruxellis cognitus erat ullis, nisi illis, qui eum occulte concluserant, quamvis perfectus fuerit mense Julio, ut ex contractu ipso manifeste constat, et ab eo tempore nihil de ea re Reginae aut D. Locumententi significatum fuerat, quamvis contrarium a vobis astute praetendatur et insinuetur in vestris litteris ad varias particulares personas hic, quo cooperiretis vestrum defectum. Nec nisi evidenter rationibus convincar, persuadere mihi potero D. Taaffum, in quem vos vestram securitatem refunditis, et qui Regiae Majestati tam obstrictus est, concurrere potuisse ad tam obscurum agendi modum; aut si tincturam aliquam habuerit, qua color ejus mutari posset, eum tanto tempore me id latere voluisse, cum tantopere Regem et Regnum concerneret. Differo antequam pleniores de toto negotio notitiam habuero, pro meo officio, reverentia et respectu erga nomina Reginae et D. Locumentensis a vobis sine dubio profanata, illa edicta contra vos publicare, quae talibus criminibus convenient; sed non protrahentur diu, nisi contrarium praeceperint suae Majestatis nomine Regina, et D. Locumentens, postquam de contractu vestro certiores redentur. |

2177 (81) "Sed pro meo erga Principes Regiae Majestati addictos respectu mearum esse partium duco interea admonere Ducem Lotharingiae vestrorum defectum, etiam quoad ipsummet, quo amplius non decipiatur similibus agendi modis; et nihilominus mea diligentia et mearum actionum et rerum proponendarum sinceritate ipsum invitare, et etiam (ut spero) ab eo obtinere, ut sit missurus subsidia certa et magna pro Ibernia et Regis juribus. Non habeo quod amplius dicam nisi

mihi nullam esse majorem afflictionem, quam amicitiam rumpere, et quod pro officio meo et communis consuetudine, in hoc rerum statu debeam me appellare.

Aghenuræ

10 Octob. 1651.

Vestrū servū
Clanricard."

(82) "Quis (inquit ibidem Poncias) non admiretur hanc ira et superbia tumescentem epistolam? Quis ferat sic tractari viros nobiles, qui quidquid in ipsis erat opera et industria, summa fide collocaverunt, ut patriae extreme laboranti, unica, quae reliqua erat, via succurrerent? Quis crederet viros, quorum fidei negotium tam arduum, quam erat de summa rerum cum tanto Principe tractandi, commissum erat, ita ab eo ipso, a quo destinati erant, traduci ut ipsi metu, et quidem nihil, nisi quod verum erat, sribentibus fidem non habeat?" Haec ille.

Ibid.
P. 117.

2177
v

(83) Clanricardius (sicut hic promiserat) scripsit ad Lotharingum significans illos articulos et conclusos sine debita autoritate, et nullo modo a Catholicis admittendos; instituitque ut pacto aliter et alio inito, in Iberniam subsidia nec parva transmitteret. Quae ejus praestigiae eo spectabant ut res in longum iret, et non ipse sed Lotharingus suapte sponte a pactis recessisse censeretur, atque Iberniae Catholicorum pars sincera his artificiis suspensa ad veterem confederationem non rediret, ne ipso exauthorato atque invito Lotharingum in Iberniam introduceret. Scripsit etiam ad suum Ormonium in Galliam de praefatis Commissariis ob conventionem illam cum Lotharingo absolutam queribundus.

(84) Interea in Ibernia hac aestate etiam ante receptam illam conventionem ita se gesserat, ut prudentiores eum tanquam patriae proditorem horruerint, et praesagierint ipsum de facto effecturum ut Lotharingus caeptis desisteret. Cui malo non pauci obviare conati sunt. Illo tamen artifia artificiis cooperiente, duo Episcopi, Limericensis et Cluanfertensis, nec non duo Limerici et Galviae Praetores pecuniam hoc vere a Lotharingo concessam saltem ex parte in milites distribuerunt, et in quatuor Regni Provinciis bellum instauratum est | eo majore cum expectatione, quod eodem tempore Rex ex Scotia bellum in Angliae Parliamentarios innovaret, quo illi domi suaee occupati haud tantas, quantas secus vires in bellum Ibernicum suppeditare valebant. Quorum etiam copiae antea anno 1649 sub

2178

Cromuello denique in Iberniam transmissae partim acceptis cladibus, partim climate Ibernicō Anglis recens advectis semper inimico, partim peste in ambas bellantium partes hactenus luctuosum in modum grassante, ita numeris decreverant, ut florentem exercitum in castris habere nequirent, praesertim cum jam quatuor Regni Provinciarum pene tres occupassent, et in tot locis conservandis magna eorum exercitus pars praesiadiarios ageret. Quibus tamen non obstantibus mense Junio Cootus antea in Ultonia rerum potitus cum duobus circiter peditum millibus et mille ducentisque equitibus in Conaciam penetravit, et captis ad utramque Sineni fluminis partem locis minoribus, Atloniam, tanti momenti propugnaculum ne obsessum quidem 8 Julii in potestatem recepit. Quare Vicecomes Dillonus, arcis praefectus, et Robertus Talbottus, Census equestris, cui Vicecomes tunc absens arcis praefeturam delegaverat, nec non Jacobus Dillonus Eques, Vicecomitis patruus, qui Roberto in propugnaculo assistebat, proditionis accusati sunt, sicut ex hoc libello supplici seu epistola Anglice porrecta liquet :

“ Excellentissimo Domino Marchioni Clanricardiae Iberniae Proregi.

“ Excellentiae vestrae placeat.

(85) “ Serio perpendentes quam ardentī zelo Excellentia vestra | inter ultima Comitia Generalia apud Loghreaghūm celebrata omne ineundae cum Parlamento Anglicano pacis consilium in ipso ortu praefocarit, et considerantes quanto studio Excellentiae vestrae Commissarii fiduciarii in singulos atque omnes, qui cum Parlamento jam dicto super quibuscumque conditionibus agerent, edictum promulgarint, ipsaque Excellentia vestra sanctionem eodem spectantem emiserit, id ipsum prohibens sub paena laesae Majestatis. In memoriam etiam revocantes quod actualis propugnaculorum ad suam Majestatem pertinentium deditio, aliorumque ejus castellorum, quae impensis publicis ad Regis obsequium sustentantur, permissio in hostium potestatem sit aliunde ex legibus patriis suprema perduellio, adeoque priore illa, cuius mentionem fecimus, gravior, per fidei utique in authoribus collocatae transgressionem facta horribilior. Hinc quo confirmentur in obsequio sinceri Regis subditi, et per severam in eos, qui jam Principem prodiderunt, animadversionem alii, quorum perversae sunt inclinationes, a defectione deterreantur, summopere expedire judicavimus Excellentiae vestrae supplicare, ut juxta priorem

illum ardorem et incensum sua Majestatis emolumenta in tuto ponendi desiderium, citra moram pronunciet Vicecomitem Costollochum, Jacobum Dillonum Equitem, et Robertum Talbottum militem Baronettum, in supremum Dominum et Regem nostrum proditores, quod nulla prorsus auctoritate muniti contra fidei et obsequii jura sua Majestatis munitionem Atlonensem in hostium manus permiserint, sed et rogamus Excellentiam vestram ut eadem sententia feratur in omnes et singulos Consiliarios, adjutores, instigatores, hospites, et fautores omnium et singulorum jam dictorum proditorum intra Regis dominia degentes, donec praefati malefactores suo tempore iuxta Regni leges judicati fuerint. Itaque non dubitantes quin Excellentia vestra in hoc negotio efficaciter processura sit, salutem plurimam dicimus, et manus deosculamur.

2179

Galviae, &c.

Excellentiae vestrae humiles servi.

Fr. Thomas Archiepiscopus Dubliniensis. Walterus Cluanfertensis. Richardus O Ferallus. Briennus O Nellus. Hugo Maguirius. Ludovicus O Morraeus. Rogerus O Morraeus. Briennus Mac-Phelim. Daniel Kevanagh. Moriartus O Brien. Arthurus Fox, cum multis aliis quorum nomina perscribere longum esset."

(86) Hunc libellum supplicem Antonius Martinus, Jurisconsultus Galviensis causae Catholicae studiosus composuit, et ejus apographum Anglicum, quod Latine transtuli, postea sua Ibernia exul Amsterdamo Romam ad Doctorem Enos transmisit cum epistola 13 Junii 1652 indidem scripta. Qua de illa Cooti in Conaciā irruptione, et de Atloniae ditione loquens: "Hostis (inquit) ex parte Boreali per totum Comitatum Galviensem grassatus est, omnibus munitionibus et castellis propria ipsius Proregis sponte deditis. Et quamvis universae vires Lageniae et Conaciae cum quibusdam Ultoniae turmis interessent, tamen neutiquam cum hostibus numero longissime inferioribus pugnarunt, imo ne illum quidem posuerunt obicem, quominus expugnaret. Et mandato Vicecomitis Costelloghi munitissimum Atloniae propugnaculum, vi nulla premente, a Jacobo Dillon et Roberto Talbotto, Equitibus auratis, communi hosti ultro deditum est. Quod quidem Vicecomitem Costelloghemensem non nisi jussum fecisse a multis creditur. | Idcirco annexa his epistola ab Illustrissimis Dominis nupero Archiepiscopo Dublinensi, et Episcopo Cluanfertensi, nec non

2179
v

cunctis ducibus militaribus, qui dominante ultimo execrabilis schismate Sedis Apostolicae partes seuti erant, subscripta, et ad Proregem (Clanricardium) missa fuit. Qui tametsi (prudens sciensque loquor, ut Comici verbis utar) a suorum Jurisconsultorum peritissimis didicisset libellum supplicem mea epistola comprehensum nec legibus nec rationi ullatenus refragari, nihilominus eum omnino declinavit. Quod procul dubio non fecisset, nec in tam urgente materia, in quali alii Proreges minora crimina morte multarunt, suo officio tantopere defuisset, nisi Vicecomitem Costelloghensem nihil absque sua authoritate et licentia perpetrasse." Sic ille testis locupletissimus nedum oculatus.

(87) Clanricardius tamen hanc causam Concilio bellico discutiendam commisit, qua per biduum agitata idem Concilium 24 Augusti 1650 sententiam in trigesimum Augusti differendam judicavit, quo Vicecomes Dillonus acta ad sui defensionem spectantia exhiberet, et jam dictum patrum suum, Jacobum Dillonum, sisteret. Idem etiam Concilium militare statuit, ut procerum et belli ducum Conaciensium, Ultoniensium, et Lageniensium numerus, tunc per capita determinatus die praestituta Clanricardio ad causam judicandam assideret. Id tamen certum est nec in Vicecomitem, nec in alios fuisse animadversum. Quod Poncii suo libello in Bellingi *Vindicias* Parisiis anno 1653 edito ita Clanricardio vitio | vertit, ut Bellingus suo libello in Poncium anno 1654 ibidem typis mandato contendat praesidiariis centum et sexaginta, praeter famulos arcis proprios, annonam non nisi octoginta militibus per quatuordecim dies alendis parem superfuisse, et omni subsidiorum spe interclusa praesidiarios statuisse ut potius arx dederetur, quam tanta temeritate hostem potentem et jam infensissimum magis irritarent. Quod totum ille non nullorum, quorum nomenclaturam habet, subscriptis litteris testatos fuisse docet. Verum multa suadent non his testibus rem in sui suorumque purgationem pingentibus, sed parti sincerae credendum, praesertim cum praesidiarii fuerint adeo turpiter ignavi ut nullum prorsus resistendi conatum adhibuerint, nec hostium insultum ne uno quidem die sustinuerint, nec offerendam a Catholicis opem expectarint, nec hostes locum obsederint, nec ipse Bellingus accusatos ulla sententia, ne a Clanricardio quidem lata, purgatos fuisse dicat, imo Antonius Martinus loco jam citato testetur Clanricardium omnino declinasse eorum libellum supplicem, quos institisse vidimus ut accusati paenas darent. Porro ex-

2180

pag. 191
et 192.

hac Atloniae proditione collendum est Eugenium O Nellum merito eam Dillon reddere noluisse.

(88) Eadem aestate Iretonus, hostilium in Ibernia virium Imperator, ex Momonia cum tribus peditum millibus et nescio quanto equitatu, quem tamen peditatu longe inferiorem fuisse conjecto, Sineni fluminis vado ad Killaloam in Tomoniam irrupit, duoque illi exercitus hostiles in unum coaliti Conaciae Provinciam et Tomoniam, territoria antea ex una parte longissimo, Sineni fluminis, flexu, et ex altera oceano a Cromuello et Cromuellistis eatenus tuta, deplorandum in modum vastarunt, Moriarto O'Brien Comitem Portu-Castellanum proditionis accusante, quasi sciens et prudens Iretono fecisset trajiciendi potestatem. De qua re Antonius Martinus sua epistola jam citata Romam scribens: "Comes (inquit) Portu-Castellanus, cui ex ultimorum Comitiorum Generalium praescripto commisum erat, ut cum suo exercitu Sinenum flumen ex Tomoniae parte tueretur, tantum abest ut id praestiterit, ut potius recesserit, et patentem hosti viam reliquerit, qua aperta statim hostes trajecerunt, Limericum undequaque obsederunt, et Tomoniam, nec non proximiores Comitatus Galviensis partes igne ferroque devastarunt. Et certe licet iste Portu-Castellanus eatenus fidem feellerit, nihilominus optime stetit promissis paulo ante Galviae a se factis. Ibi enim sermone suo contra Lotharingi incaepita Ormonizans a multis publice irrigus dixit se brevi eorum visum in fletum mutaturum. Quod illo suo facinore verissime peregit." Sic ille.

2180
v

(89) Hostes ubi Conaciam et Tomoniam diripuisserent, et loca ibi minora expugnassent, in duas se partes divisorunt, quarum una sub Iretono civitatem Limericensem, quam rebelles ex illa Sineni ripa Tomoniam attingente prius obsidere nequierant, ex utraque fluminis parte obsidione incinxit, altera sub Cooto Galviam ex una tantum parte obsedit, Clanricardio interea cum suis viribus pene nihil praestante.

(90) Inter hos Regiminis motus D. Antonius Mageogheganus, Conallae Prior, de quo superius mentionem fecimus, Clanricardio Proregi aperuit se missum in bonum et concordiam nationis, idque fidei causa, monuitque ut Prorex | Catholicus cum esset, Summi Pontificis, a quo Principes Catholici dependenter, benevolentiam promereretur. Respondit Clanricardius Praelatorum non nullos post faelicem aliquem rerum Ibernicarum successum in Urbem mittendos, ut Regni nomine apud Suam Sanctitatem legatione fungerentur.

*Anton.
Relatio.*

2181

(91) Antonius ubi cum Praelatis antea Galviae congregatis, deindeque cum Clanricardio nihil profecisset, ad alios se convertit. Inter quos Episcopo Laghlenensi displicuisse reperit, quod quidam Praelati in Comitiis Loghreaghensis ab iis, quae a Congregatione Jacobopolitana decreta fuisse vidimus, resilierint, eidemque vidit non arrisisse, quae Praelati mense Martio Galviae congregati gesserint. Itaque hujus Antistitis animi candore invitatus tam ipsi quam D. Jacobo O Diomasa, Vicario Apostolico Kildariensi, sua arcana communicavit. Inter haec recepit a Primate per P. Thomam Makiernanum litteras 10 Maii datas, quibus rogatus est ut eidem P. Thomae fidem haberet, et ipsum Primatem adiret. Cluanmacnosiensis etiam 30 Maii Primi scripsit quo pacto Antonii conatus Galviae irritus evaserat, monuitque (quod etiam Antonius P. Thomae faciendum respondit) ut Primas, quo Sedi Apostolicae satisficeret, suae Provinciae synodus in Conaciae finibus indiceret, dixitque se operam daturum ut sinceri aliarum Provinciarum Praelati accederent. In quem finem litteras ad Dubliniensem et Cassiliensem eorumque suffraganeos dandas postulavit.

2181

v

Ibid.

Cumque Clanricardius 1° Junii exercitui Catholico valedixisset, et se in Galliam navigaturum affirmans militiae Vicecomitem Dillonum praefecisset, Dillonoque abfuturo Richardum O Ferallum substituisset, ac denique Iretonum per tibicinem inducias, ut cum Parlamento interea de conditionibus ageret, rogasset, Antonius, qui tunc in exercitu Catholico se tenebat, egit cum P. Bonaventura O Mellaglin, ut ad Episcopum Laghlenensem pergeret, et cum P. Francisco Foxio ut ad Richardum O Ferallum (cui praeter praefatam substitutionem Clanricardius mandato Kalendis Martiis dato specialiter copiarum Ultoniensium praefecturam decreverat) et ad alios officiales sinceros se conferret, amboque sub secreti sigillo, quos expediret, praemonerent 2°, quomodo Athlonia per proditionem Carolo Cooto tradenda esset. 2°. Quo pacto per molitiones secretas ab iis, cum quibus commiscebantur, hostibus proderentur. 3°. Illam induciarum tractationem per tibicinem data opera fuisse excogitatam, ut ipsi Catholici inter se dividerenter. 4°. Unicum superesse remedium, nempe ut sinceri inter se confaederationem restaurarent, et cum jam Prorex abierit, posthabita aliorum belli finium mentione, in fidei causam defendendam jurarent. Dum autem haec in motu erant, Cootus (sicut jam dixi et Antonius praedixerat) Atloniam in potestatem recepit, et exercitus Catholicus ad tutiora Conaciae loca

occidentem versus movit. Porro Primas | his visis Provinciae Ardmachanae Concilium apud Petram Superiorem, vernacule Cloch-uachtuir, 29 Julii inchoandum indixit, eo solum fine ut Sedi Apostolicae satisfieri curaret et litteris Illustrissimi D. Secretarii de propaganda fide. Antonius autem tradit se ad Congregationem habuisse hanc oratiunculam :

(92) " Tanta est Sedis Apostolicae religionem Catholicam propagandi, atque ecclesiasticam libertatem propugnandi in Ibernia cura et sollicitudo, ut nullam non tentet viam, omnemque moveat lapidem, quo et utramque pristino possit restituere splendori, et Iberniam immani haereticorum tyrannide et gubernio concussam, et suorum clandestinis proditionibus in se convulsam, suis juribus et liberae conditioni restituat. Hinc tot beneficia hactenus ad belli sustentationem, tot privilegia et gratias concessit. Hinc talem ac tantum Nuncium extraordinarium, Illustrissimum D. Rinuccinum, misit, qui nisi gentis fatum execrabile et perfidia obstitissent, Iberniam liberasset. Hinc ex spe decretorum Jacobopolitanorum anno elapso erecta, ut esset a quo natio edisceret mentem Summi Pontificis, Congregatio Eminentissimorum me destinavit &c. Vos ergo O Ardmachana Provincia, quae et caeteris Provinciis et etiam Regnis ob religionis tenacitatem et libertatis ecclesiasticae asserendae constantiam in oculis Romanae Curiae praeluxistis, nolite, sicut alii antehac, despicere, sed totis viribus perficite, quae vobis proponit in irrefragibilis observantiae vestrae indicum et bonum vestrum." Haec ad Synodum Antonius. Porro hujus Congregationis acta tunc in Italiam | transmissa non ex Antonii Relatione a me saepius citata, sed aliunde hic habe :

" In Dei Nomine. Amen.

(93) " Incipiunt acta Congregationis utriusque Cleri Provinciae Ardmachanae, coactae die 29 mensis Julii 1651 in loco qui dicitur Clochuachtuir, diaecesis Kilmorensis, per Illustrissimum D. Hugonem Archiepiscopum Ardmachanum et totius Iberniae Primate, eidem Congregationi praesidentem, assistantibus Reverendissimis DD. Eugenio Kilmorensi et Antonio Cluanmacnosiensi, Episcopis, et Procuratore Reverendissimi Dunensis et reliquis.

2182
Antonii
Relatio.

ibid.

2182
v

(94) " In primis peracto Missae sacrificio et habita concione, pro quibusdam negotiis majoris momenti in Congregatione propositis, aliquot ex utroque Clero ad discutiendum et ponderandum rationes et motiva, et ad determinandum deputati sunt, quarum resolutionem ac determinationem ob rationes huic Congregationi visas hic inserere non fuit consultum. Deinde patres Congregationis ad alia procedentes decreverunt ut sequitur :

(95) " 1°. Statuimus et ordinamus ut deinceps omnes et singuli, qui agunt praedas, rapinas, vel furta ex bonis Catholicorum contribuentium ad utilitatem publicam, cujuscumque gradus vel conditionis illi praedones, raptiores, vel fures sint, in quartieris haereticorum vel extra, absque | authoritate publica Comitiorum Regni, vel Provinciae in qua degunt, ipso facto sint excommunicati, utpote Reipublicae perniciosi, tum quia exercitum Catholicum diminuunt et dispergunt, tum quia inter vicinos et amicos inimicitias excitant, idque sine ullo Reipublicae emolumento : emptores et receptores talis praedae, rapinae, vel furti, restitutioni obnoxios esse absque spe a proprietariis recipiendi pretii declarámus.

(96) " Insuper decernimus ut Colonelli, Capitanei, et Locumtenentes, qui vocati a potestatem habentibus ad castra, interim domi maneant absque licentia Proregis, vel Generalis, vel Provincialis Concilii, ipso facto sint excommunicati, sciantque in stipendiis receptis se restitutioni esse obnoxios.

(97) " Statuimus etiam ut quivis sacerdos, sive saecularis sive regularis, pro populo celebraturus ante Missarum solemnnia diebus Dominicis et festis comminatore promulget ut nullus officialis, eques, vel gregarius miles de exercitu Catholico divinis non intersit. Item promulgant ut nullus de populo victum vel hospitium taliter se absentanti suppeditet sub paena suspensionis a divinis.

(98) " Quia bonae memoriae Excellentissimus D. Eugenius O Neill, quondam Generalis exercitus Catholici in Ibernia, in ultima sua capitulatione cum Ormonio et sequacibus gloriose obtinuit quod antequam se illis conjungeret, se obligarent ad absolutionem a censuris Illustrissimi Domini Nuncii a Sua Sanctitate petendam, insistendum esse talis promissionis petitioni praesens Congregatio censem, et statuit ut nullus Episcopus hujus Provinciae in Assemblaeis | vel Comitiis Generalibus Regni assideat, nisi prius impetrato et obtento beneficio dictae promissionis. Hortatur etiam omnes et singulos

Provinciae nobiles (prout de honore tenentur) ut non assideant tanquam membra in aliquibus Comitiis, nisi prius requisito et obtento beneficio praefatae promissionis.

(99) "Praesens Congregatio declarat et protestatur ejectionem Illustrissimi Domini Nuncii Apostolici huic Nationi imputari non debere, cum major et sanior pars Regni, nobilium, Cleri, et populi in illam expulsionem non consenserit. Quae etiam sanior pars ad amussim censuras ejusdem Illustrissimi D. Nuncii latas observavit. Sed dicta ejectio facta est a quibusdam schismaticis in regime existentibus, qui a reliquis Confaederatis declinarunt.

(100) "Sub paena excommunicationis prohibemus ut nullus, sive clericus sive laicus, ab haereticis vel aliis usurpatoribus decimas conduceat sine titulariorum clericorum vel proprietariorum licentia et consensu.

(101) "Volumus et declaramus ut personis ecclesiasticis immunitas per Canones et Concilia Oecumenica concessa in hac Provincia observetur. Per hoc tamen non intendimus ut praefatae personae sint omnino immunes a contribuendo ad praesens bellum pro ratione facultatum, vel prout discretioni Ordinarii vel Metropolitani consentaneum videbitur, sicut nullus in his Regni angustiis a publicis contributionibus eximendus est, exceptis Mendicantibus.

(102) "Caeterum haec Congregatio censet et declarat Serenissimum Lotharingiae Ducem esse Catholicorum hujus Regni Regium Protectorem, eumque tanquam talem acceptat, et obviis ulnis amplectitur, et sub paena excommunicationis latae sententiae, ne ullus, cujuscumque conditionis vel gradu ille sit, attentare praesumat contrarium asserere per se vel per alium, directe vel indirecte, occulte vel manifeste, prohibet.

(103) "Statuimus et ordinamus ut acta hujus Congregationis singulis mensibus per singulos Regulares conventus et parochias hujus Provinciae inter missarum solemnia promulgentur, idque incipere debeant prima Dominica post habitam notitiam actorum. Injungimus etiam Ordinariis ut ea publicari curent. Die 29 Julii 1651.

(104) "De consensu omnium Reverendissimorum Dominorum et Patrum delegati sunt ex utroque Clero ad assistendum Illustrissimo D. Primi et Reverendissimo D. Kilmorensi in perficiendis et absolvendis reliquis negotiis; videlicet, e Clero saeculari R. admodum D. Thomas Brady, Archidiaconus Kilmorensis; R. Dominus Joannes Thie, Diaconus Clocherensis

et R.D. Donatus Geargan, Decanus Kilmorensis, vel, aliquo eorum deficiente aut impedito, R. D. Bernardus Relly, pastor Kilmorensis; e Clero vero Regulari R. admodum D. Antonius Geogheganus, Abbas de Kilbegan; R. adm. P. Thomas Makiernan, Minoritarum Exprovincialis; R. P. Jacobus Creilly, Prior de Carlingford, vel aliquo eorum impedito, R.P. Antonius Gavanus, Guardianus de Cavan. Caeterum omnes Congregationis Patres infrascripti gratum et ratum habituri sunt quicquid per tales delegatos determinabitur.

(105) "Praeterea iisdem delegatis Congregatio committit ut curam relinquant Reverendissimo Domino Cluanmacnosensi Episcopo et D. Nicolao Bern, Procuratori Reverendissimi Dunensis, et R. admodum D. Antonio Geoghegan Abbatii de Kilbegan, ut mentem et acta hujus Congregationis Praelatis sinceris reliquarum | Provinciarum intiment, eosque rogent ut dignentur sedulo in suis respective Provinciis formam horum actorum imitari.

(106) "Deinde Reverendissimo Domino Cluanmacnosensi et D. Nicolao Bern committenda est cura per delegatos, ut communicent nobilibus et primariis viris in exercitu Catholico decreta et acta hujus Congregationis. Die 30 Julii 1651.

"Catalogus eorum qui huic Congregationi interfuerunt.

(107) "Hugo Archiepiscopus Ardmachanus et totius Iberniae Primas. Eugenius Kilmorensis Episcopus. Fr. Antonius Cluanmacnosensis Episcopus. Antonius Geoghegan, Prior de Conalmor. Nicolaus Bern, Procurator Episcopi Dunensis. Antonius Geoghegan, Abbas de Kilbegan. Terentius Conally, Abbas de Cluaneis. Ferdinandus Forially, Prior de Druimleamh. Philippus Smith, Prior S. Joannis de Kills. Thomas Brady, Archidiaconus Kilmorensis. Bernardus Duffy, Archidiaconus Clogherensis. Donatus Geargan, Decanus Kilmorensis. Joannes Thy, Decanus Clogherensis. Patricius Daly, Vicarius Generalis Ardmachanus. Fr. Thomas Makiernan, Exprovincialis Minorum. Fr. Jacobus Creilly, Prior de Carlingford. Fr. Laurentius Ferallus, Prior de Longford. Fr. Henricus Mellanus, Ordinis Minorum Pater. Fr. Antonius Gavanus, Guardianus de Cavan. Fr. Franciscus Ferallus, Guardianus Montisfernandi, Provinciae Pater. Fr. Carolus Relly, Guardianus de Drohedaha. Fr. Jacobus Tirellus, Guardianus S. Joannis Baptiste. Fr. Lucas Tullius, Guardianus de Dundalk. Fr. Antonius Heslenan,

Guardianus de Muntireolius. | Fr. Malachias Corcoran, Definitor. Edmundus Mathaeus, Vicarius Mackererois. Tullius Conally, Rector de Golven. Fr. Bonaventura Hugonis, Guardianus de Lisgavail. Fr. Antonius Wardaeus, Guardianus de Monachan. Fr. Dionisius Meghy, Guardianus Dunensis. Bernardus Relly, pastor de Kilmor.

(108) "Dicto Te Deum Laudamus explicit haec Congregatio die 1st Augusti 1651.

(109) "De mandato Illustrissimi D. Hugonis, Archiepiscopi Ardmachani et totius Iberniae Primatis et Congregationis Praesidis, et reliquorum patrum.

Jacobus Gavanus, Congregationis Secretarius."

(110) Huic Congregationi (sicut video) haud aliarum Provinciarum Clerus interfuit. Porro institit in hac Congregatione Antonius ut tota natio ob censuras a Nuncio et Praelatis delegatis anno 1648 fulminatas, et alias ipso jure contractas, et ex eodem fonte derivatas se humiliaret, et a Sua Sanctitate absolutionem peteret "Verum Congregatio respondit non omnes in Regimine, sed partem tantum fuisse contra Illustrissimum D. Nuncium, et Regimen tunc fuisse nullum, sed fuisse dissolutum durante dissensione, et majorem partem fuisse pro Illustrissimo D. Nuncio, quamvis metu cadente in constantem virum inducti fuerint multi ad dissimulandum pro Concilio." Sunt Antonii verba. Alia vero per illam Congregationem diffinita, quae *ob rationes Congregationi* (sicut in actorum exordio legimus) *visas hic inserere non fuit consultum*, | Antonius suaे Relationi postea in Urbe porrectae ex parte inseruit his verbis:

*Ant.
Relatio.*

2185
v

" Primum Statutum Synodi.

(111) "Ad primum caput Instructionum (Massarii) quod est utrum Confaederatio Catholica renovanda esset et modernum Regni Regimen mutandum? Singulis unanimi voce annuentibus electi sunt ex utroque Clero, qui modum procedendi statuerent, imposito omnibus secreto sub excommunicationis interminatione, donec res effectum sortiretur. Modus hic propositus est: ut ex quavis Provincia eligant Praelati sinceri duos nobiles sinceros, quibus in qualibet respective Provincia incumbet Regimen in civilibus et bellicis negotiis totius Regni, et sic redibit pristina Confaederatio Catholicorum Iberniae, ita tamen ut omnia acta alicujus momenti sancienda per electos

*Ant.
Relatio.*

illos absque consensu Cleri coelecti aut partis eorum majoris sint irrita et inania, et secreti causa mandavit Congregatio ut hic actus hic seorsim ab aliis poneretur. Motiva hujus mutationis praecipua fuerunt, tum ut Sedi Apostolicae sese conformarent id cupienti, tum quia Confaederatio aliquoties jurata in Comitiis Regni Generalibus absque Cleri et populi authoritate fuit dissoluta, sed tantum vi armorum et metu amittendi bona deinde jurarunt se utique ad futurum liberum Parlamentum continuaturos confaederationem." Haec Antonius. Qui etiam ibidem nonnullis interjectis: "Statuerunt etiam (inquit) hunc esse modum mutandi regiminis, videlicet, ut ad tres alias Provincias tres destinarentur *Agentes*, qui Clero solum fideli 2186 acta | istius Congregationis intimarent et propositum mutandi gubernii, eosque inducerent ut vice et nomine reliquorum unum cum his suffragiis et instructionibus a singulis Provinciis mitterent, qui in locum unum convenientes ex iis quos in singulis Provinciis idoneos et sinceros in futuro Regimine existimaret Clerus, duos ex qualibet Provincia generosos eligerent, atque illos juramento novae confaederationis praestito in unum collectos pro concilio haberent, et per varia instrumenta confaederatio in omnibus Regni partibus renovaretur. Et ita 1° Augusti soluta et finita est Congregatio." Haec ille.

(112) Eadem etiam Congregatio seorsim condidit hoc actum, non nisi tempore congruo promulgandum:

"Declaratio et Excommunicatio Congregationis utriusque Cleri Ardmachani contra Clanricardium, eique adhaerentes.

(113) "Pastoralis nostri officii ratio exigit ut pervigili oculo perscrutemur, qua occasione et modo greges nostri divinum offendunt numen, ejusque iram et vindictam in se concitant, unde tot flagellis gladii, famis et pestis incessanter affligantur, ut cognita causa, tantis malis opportuna remedia adhibere conaremur, ne tanquam muti canes non valentes latrare, tantae animarum stragis authores arguamur, et pereuntium divina dispositione nostrae curae commissorum sanguis a supremo judice merito e manibus nostris exquiratur.

2186 (114) "Novit et admiratus est Christianus orbis quanta alacritate, quanta unione, quanta faelicitate natio | Ibernica prosecuta est sanctum bellum divino instinctu ad avitam

restaurandam religionem ac nationis libertatem vindicandam gloriose a se susceptum, et superno adjuta auxilio, multisque aucta victoriis contra Dei atque Ecclesiae hostes, Episcopatus aliaque beneficia ecclesiastica suis veris possessoribus restitui, reaeditari ecclesias et templa, Monachis et Religiosis repleri monasteria curavit, et (uno verbo) omnia sancte perfecit, nisi diaboli instinctu, et opera quorundam tepidorum Catholicorum in medio victoriarum primo cum hoste Dei, Regis, et Regni faedus iniisset, et tametsi ob id multis flagellis sint correpti, tamen authores illius faederis in nullo facti sunt meliores, sed potius pertinaciores effecti in tantam devenerunt caecitatem, Deo tantam impietatem persequeente, ut cum adhuc sceleratiore supradictorum hoste, Barone de Insequin, magis nefandam magisque damnabilem inierint societatem contra expressam voluntatem Nuncii Apostolici majorisque ac sanioris partis utriusque Cleri, qui dictam societatem ut religioni perniciosam et exitialem damnavit, et diris execrationibus animatbezavit. Cujus faederis impietatem ut ostenderet Deus, ita Ibernorum enervavit vires, et effeminavit animos, ut a die, quo nefandum illud faedus pepererunt, nihil gloriosum, nihil virile, nihil strenuum aut laude dignum effecerint, sed panico timore correpti faciem inimici ferre non potuerint. Multo minus non contemnenda pars tam Cleri quam populi eidem maledicto et execrato adhaesit faederi, reliquis in debita et avita erga sanctam Sedem Apostolicam ejusque ministros observantia firmiter permanentibus. Unde factum est ut natio misere in varias partita sit factiones. Nam authores et faventes iniquo faederi, aliis partim renitentibus, partim fraude et dolo circumventis, haereticum Ormonium contra juramentum associationis de conservanda fide Catholica, et istius Regis Regnique praerogativis vindicandis toties sancte susceptum in Proregem introduxerunt, caputque Regni constituerunt. Qui primo suo in Regnum ingressu, ne de ejus fide et intentione dubitari contingeret, publico scripto typis edito mundo declaravit et protestatus est se velle vivere et mori in religione Protestantica, eamque pro posse propugnaturum et propagaturum. Quod et aperte complere aggressus est. Cum primum clavum Regni suscepit, gloriosum nomen Confaederatorum Catholicorum, quo eousque tanquam titulo honoris et erga Deum fidelitatis nostri denotabantur Iberni, abolere et penitus extinguere conatus est. Tempa veris pastoribus erupta suis ministellis haereticis tradidit. Religiosos, sacras Deo virginis claustris

et clausuris deturbavit. Arces et Regis municipia, et ipsum Regni caput, Dubliniam, communi inimico vendidit et tradidit, et delecto Supremo Concilio Regni sibi accivit quosdam suae electionis et factionis commissarios, quibus ad nutum solum utebatur, ut continuis impositionibus totam Regni pecuniam et substantiam sibi corraderet, terramque licentiae militari committens, ut deinde salaryum et sustentationem milites extorquerent. Omnia pro libitu sursum et deorsum devolvit, donec tandem totum Regnum invisceravit et depauperavit, et non sine gravi | piorum suspicione inimico communi, Parlamento, subjecit.

2187
v

(115) "Nec faelicius agit ei substitutus, Excellentissimus D. Marchio de Clanricard, qui hucusque Catholico nostro faederi, licet varie ad id sollicitatus, nomen dare dignatus est, et semper ab initio huic sancto faederi extitit contrarius, et licet Catholicus, tamen in deprimente Ecclesia ejusque immunitate frangenda ipsi Ormonio palmam eripuit. Variis suis epistolis protestatus est se semper Ecclesiam ejusque procedendi modum oppugnaturum. Unde haud immerito Deus ei in Regimine suam denegat assistentiam, quia praeterea magistratum accepit ab Ormonio cum onere tantarum execrationum et anathematum ob impiam et condemnatam cessationem cum Insequinnio contractam, ob malitiose impediatam Synodum nationalem authoritate Summi Pontificis indictam, ob infamem et scandalosam ejectionem Illustrissimi Domini Nuncii Apostolici e Regno, ob tyrannicam incarcerationem et contumeliam personarum ecclesiasticarum, ad quae omnia ipse p[ro]ae omnibus principaliter concurrit. Haec et aliae enormitates in nos iram et vindictam Dei provocant, ut fame, peste, et gladio misere pereamus et affligamur, et tam viles et timidi simus, ut nec a longe inimicum aspicere audeamus. Si enim unus Achan anathemate adeo exercitum Israel enervavit, ut voce ipsius Dei stare non posset coram inimico, nisi ab eo auferretur, qui *anathemate fuit pollutus*, quid non possint in uno Regno aliquot praesules, multi magnates et nobiles, et ecclesiastici ex utroque Clero quamplurimi, qui supradictis anathematibus habentur infecti, quorum in Sedem Romanam inobedientia, et in ejus Ministros pertinax contemptus iram Dei | in nos et vindictam accedit. Quorum demeritis corpora nostrorum militum prostrata multis in locis inhumata jacent, templo multo sanguine nostro comparata, et haereticorum manibus erepta jam ab iisdem sacrilege polluuntur. Lugenda

Josue. 7.

2188

horrendaque sunt, quae oculati testes aspicimus. Undique vastitas ecclesiarum, squalor altarium, fuga Antistitum, Religiosorum et sacrarum virginum exulatio, profanatio mysteriorum execrabilis. Jacent passim caenobia semidiruta, dispersa sacerdotum collegia, et uno verbo, quicquid sacro-sanctum est in Ecclesia Dei pessundatur, vilipenditur, et contemnitur.

(116) "Quapropter nos infrascripti in hac Congregatione Antistites, Praelati, et ex utroque Clero Theologi, divino (ut credimus) instinctu moti, et continuis conscientiae stimulis agitati, ut tam luctuosae animarum stragi modus imponeretur, rem mature et pro pastorali nostra obligatione inspeximus, et quantum cum Deo potuimus, examinavimus, et unanimi consensu invenimus et judicamus supradicta anathemata esse causam nostrorum malorum et infortuniorum, omnesque nostras miserias et calamitates, tanquam ex fonte, ex dicta iniqua societate et contemptu Ecclesiae profluere et dimanare. Proinde censemus omnes, tam de Clero quam de populo, qui praedictis anathematibus agnoscuntur irretiti teneri in conscientia, tam pro salute animarum suarum, quam pro incolumitate Regni et ad avertendam iram Dei a Natione, humiliter et paenitenter se submittere Sedi Apostolicae, ab eaque petere absolutionem. Ad quod | eos in visceribus Jesu Christi 2188
v adhortamur. Sintque memores humanum esse errare, sed diabolicum perseverare. Specialiter monemus nostros confratres, Praelatos, omnesque ecclesiasticos, ut sicut suo exemplo, persuasione, et novitate doctrinae populum in dictos errores et enormitates adduxerant, ita Christiana humilitate, zelo fidei et charitatis, tanquam veri filii orthodoxae Ecclesiae, veri fidelium Pastores ac lumina, pro quorum animabus justo judici reddituri sunt rationem, se ipsos et eundem populum ad gremium et consortium matris Ecclesiae, a qua eos horrendum schisma et inobedientia avulsit, reducere cum effectu conentur. Quodsi his nostris fraternis ac salutaribus monitis (quod Deus avertat) acquiescere nolint, hoc publico scripto coram Deo protestamur et mundo, per nos non stetisse quin ad pristinam unionem et gratiam Romanae Ecclesiae redirent, nosque pro posse nostro in hac parte nostrae satisfecisse obligationi.

(117) "Insuper nos Antistites et Praelati in virtute Dei et potestate ordinaria, qua fungimur, omnibus nostris subditis, tam ecclesiasticis quam laicis, omni quo possumus rigore stricte mandamus, et sub paena excommunicationis latae sententiae

prohibemus, ne communicent aut se conjungant, sive in eodem exercitu militando, sive in eadem Assemblaea seu Concilio consultando, cum iis, qui saepe dictis excommunicationibus sunt infecti, antequam se Sedi Apostolicae submittant, eidem plane 2189 satisfaciant, et *|* absolutionem et gratiam accipiant. Nam ex tali consortio quotidiana experientia videmus, pertinaciam praedictorum firmari et indies crescere, nostros fideles decepi et corrumpti et contemptum censurarum Ecclesiae, et despectum Romanæ Sedis ministrorumque ejus augeri. Enixe in Domino hortamur omnes nostros fideles et obedientes, ut his nostris admonitionibus et prohibitionibus acquiescant et obedient. Nec desperent quod hac separatione autumnant, suum scilicet exercitum minuendum. Quia ex parte Dei illis promittimus pauciori numero electo, et ab omni censurarum contagione libero, sed in fide et obedientia firmato, victoriam fore magis certam, magis gratam, magisque gloriosam. Quod multis divini oraculi testimonii luculenter comprobari potest. Amasias 2. Paral. 25. Rex Juda congressurus cum Idumaeis conduxit ex Israelitis, qui cum impio Jeroboam a cultu veri Dei deflexerunt et aberraverunt, centum millia robustorum virorum, centum talentis argenti, et ne desperans de paucitate sui exercitus fidelis non obediret, simul intentatae minae. Subdit enim scriptura: *Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus.* Et rationem reddens: *Dei quippe est (inquit) et adjuvare et in fugam convertere.* Et hoc sive in multis sive in paucis. Paruit Rex. Contaminatum dimisit exercitum. Victoriam obtinuit cum suis paucis, quam alias amissurus erat cum impia multitudine. Pugnate igitur milites Christi eadem intentione, faelicitate, et alacritate, quae incepistis pro fide et patria, et *|* confidite in Deo vestro, et non in corruptibili brachio carnis. Sperate quod, qui vobis mirabiliter dedit bella Domini incipere, eadem misericordia et clementia dabit et perficere. Quod Deus faxit benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

v
Locus

+ sigilli.

(118) "De mandato Illustrissimi D. Hugonis Archiepiscopi Armachani, totius Iberniae Primatis, nec non delegatorum utriusque Cleri Provinciae Ardmachanae:

Jacobus Gavanus, Congregationis Secretarius."

(119) Hoc actum haud isto anno 1651 promulgatum fuisse

reperio. Quare de ejus promulgatione ad annum inferiorem agemus. Licit autem ex acti titulo et corpore atque aliunde colligam id ab hac Congregatione fuisse conditum, ex subscriptione tamen conjectandum videtur, ab iis conditum, quibus Congregatio suam causae pro ipsorum prudentia prosequendae potestatem delegaverat. Sed contradictionis apparentia tolli videtur, quod per subscriptionem sola forsan acti promulgatio, quam in annum inferiorem incidisse (sicut suo loco ostendam) crediderim, delegatis ascribatur. Porro inter haec acta hoc anno condenda et exequenda articuli circa tollendas censuras anno 1648 a Nuncio et Praelatis fulminatas inter Eugenium O Nellum et Ormonistas per ambarum partium | Commissarios 2190
 12 Octobris 1649 Finahae pacti apographum Anglicanum Antonio Mageoghegano atque aliis ab Ardmachano communicatum fuit fidem faciente his verbis: *Concordat cum originali. Ita testamur: Hugo Ardmachanus.* Communicandi ejus ratio fuit ut obtainenda ejus executioni insisteretur, sicut ab hac Congregatione decretum fuisse vides. Caeterum nullibi mihi occurrit id antea fuisse nec Antonio, nec aliis Regni indigenis, nec ab Ormonistarum Commissariis, nec ab Ultoniensibus communicatum. Imo hactenus delituisse videtur. Quare ego ex apographis hoc anno authenticatis suo loco ad annum 1649 Latine verti. Et ex praefato Ardmachani testimonio colligo autographum penes Ultonenses fuisse, qui utique id ab Ormonistarum Commissariis anno 1649 obtainuerint. De reliquo mirum non est quod multi multa circa hunc articulum a vero aberrantia in vulgus sparserint, eumque pluris quam esset fecerint, cum in medium productus non fuerit. Quintam in hujus Congregationis actis gratis dicitur Ormonistas illo articulo se obligasse *ad absolutionem a censuris Illustrissimi Domini Nuncii petendam a Sua Sanctitate.* Etenim vel ipse Antonius, qui articulum illum propriis verbis Anglicis suaे Relationi apud Urbem postea porrectae inseruit, et ibidem Latine translatum subdidit, clausulam eo spectantem sic habet: *Nos per praesentes pollicemur, seu in nos recipimus ex parte nuperi Concilii Supremi et Cleri, qui in opinione de censuris variarunt ab Illustrissimo D. Nuncio fore | ut Commissarii illi et Clerus pro se et caeteris, quos spectat, ad removenda omnia dubia suppliciter rogent Summum Pontificem, ut liberet Regnum ab his censuris, sive sint validae sive non.* Sic illa clausula ex ipso Antonio. Rogare autem Summum Pontificem, ut liberet Regnum ab his censuris, sive sint validae sive non, longe minus

2190

v

est quam petere absolutionem ab iisdem censuris, cum Regnum Sua Sanctitas ab illis censuris liberare posset per earum relaxationem, suspensionem, vel invaliditatis aut injustitiae sententiam diffinitivam, sine ulla absolutione vel petita vel concessa. Ipsaque absolutio sub conditione vel ad cautelam peti posset absque absoluta culpe agnitione, quibus omnibus modis Ormonistae ante contractum cum Eugenio illum articulum institerunt ut censuris illis liberarentur, usque adeo ut suapte sponte plus egerint quam Eugenio spononderunt. Denique ille Eugenii articulus quam parvi faciendus sit, suo loco demonstravi. Caeterum Ardmachanus et Episcopus Killmorensis ad Massarii litteras cum Antonio Mageoghegano missas responsum dederunt, et illos, quibus ab hac Provinciae Ardmachanae Congregatione commissum fuisse vidisti, ut sinceros aliarum Provinciarum Praelatos, nec non nobiles, ac primarios copiarum militarium duces ad ejusdem Congregationis acta amplectenda inducerent, suas deinde partes in | Lagenia et Conacia egiisse colligas ex duobus actis hic sequentibus.

(120) " Nos infrascripti testamur nos juxta mentem Congregationis Cleri Ardmachani, et mandatum Illustrissimi Domini Primatis, et reliquorum ab eadem Congregatione delegatorum, communicasse decreta et acta praefatae Congregationis omnibus sinceris Praesulibus et proceribus Provinciae Lageniae, nec non militum, qui ad sex millia sunt, jam conscripti, officialibus, qui omnes et singuli eadem decreta unanimiter uno ore tanquam a Spiritu Sancto dictata amplexi sunt, parati quamprimum in sua Provincia edere similia. Die 21 Septembbris 1651 in Insula Sanctissimae Trinitatis.

Fr. Antonius Geoghegan, Episcopus Cluanmacnosiensis.

Antonius Geoghegan Abbas."

(121) " Ego infrascriptus testor omnes sinceros Provinciae Conaciae ecclesiasticos et saeculares, nec non milites ad septem circiter millia conscriptos novisse se cum Clero et populo Ultonensi seu Ardmachano in dictis actis conformare. Datum eodem die et loco atque anno, quibus supra.

Nicolaus Bern Vicarius Generalis exercitus Ultoniensis."

(122) Haec autem, quo pacto in Lagenia progressum habuerint, exactius dicendum est. Siquidem Antonius Mageogheganus | in Lageniam ex Ultonia digressus Episcopum Laghlenensem atque e Provinciae Dubliniensis Clero alias 1° Septembbris 1651 in unum congregatos rogavit ut Congregationis Cleri Ardmachani acta secundarent. Verum Laghlenensis

respondit se anno superiori similem operam strenue dedit, ut juxta Congregationis Jacobopolitanae acta ad primaevam Catholicorum confaederationem rediretur. Ea mente conatum fuisse ut suis atque amicorum sumptibus exercitus conscriberentur, actaque Jacobopolitana ubique in praxim redigerentur. Sed successisse ut ex una parte nobiles et milites statuto tempore non accesserint, et ex altera alii Praelati eadem acta suspenderint, atque adeo ipse copiis, praeterquam iis, quas sumptibus propriis alebat, destitutus domi a suis irrisus et foris ab utroque hoste et Parlamentario et Ormonico impetratus fuerit. Se propter haec et Cleri nobiliumque *inconstantiam et dolos* amplius ipsis fidere nolle, licet a quibusdam recti habentur. Confaederationis denique renovationem, si non omnino impossibilem, certe fore difficilem, nec nisi cum magna rerum ponderatione molienda, cum turpe sit ardua tentasse et nihil praestitisse. Responderunt autem in contrarium multa allegantes, qui aderant, praeter Antonium D. Jacobus O Diomasa, Vicarius Apostolicus Kildariensis, P. Bonaventura | O Melaghlin, et P. Edmundus O Morraeus, quibus Episcopus ut Cleri Provinciae Ardmachanae acta superius posita et praestitutum mutandi Regiminis modum legerat, victas manus dedit. Verum Archiepiscopo Dublinensi, cuius esset in ea Provincia Clerum convocare, apud Galviam se tenente, nihil concludere poterant. Qui nodus dum ipsis negotium facesserit, audierunt Dublinensem decessisse. Quo factum ut Laghleniensis, inter Provinciae Dublinensis binos Episcopos tunc superstites se scilicet et Fernensem, senior, et Fernensi apud Belgium absente, amborum in Ibernia solus superfuerit, qui jure suo usus Synodum convocandam statuit, ipseque et alii P. Franciscum Foxium ad exercitum Lagenensem destinarunt cum hoc acto.

2192

" Per Ecclesiasticam Congregationem utriusque Cleri
Provinciae Dubliniensis habitam apud Beladroid
1° Septembris 1651.

(123) " Quandoquidem quibusdam actis, quae per Concilium Provinciale Ardmachanum conclusa et determinata sunt, receptis, non spernenda utriusque Cleri hujus Provinciae Dubliniensis pars 1° Septembris congregata est, quo commune religionis Catholicae et libertatis hujus nationis bonum procuratur illa acta prosequerentur, una consulerent et inirent

*Ant.
Relat.*



rationem, qua praedictum bonum commune promoveretur, et
 2192 v Concilium Cleri Lageniensis Provinciale indiceretur ad pro-
 ponendam | et ineundam viam, qua unanimiter cum Provincia
 Ardmachana consentirent, sicut et cum aliis postea Regni
 Provinciis in promovendis suis legitimis intentionibus. Quando-
 quidem etiam dictae utriusque Cleri Congregationi visum est
 quod ad solidam hujus negotii efficientiam tractandi et deter-
 minandi in proxime futuro Concilio Provinciali Dubliniensi die
 hujus mensis vigesima prima tenendo necessarium esset ut
 ejusdem Provinciae exercitus Catholicus atque ejusdem officiales
 sinceri a dicto Cleri Concilio Provinciali non discordarent,
 praesens Congregatio omnia et singula exercitus membra,
 quibus P. Franciscus Foxius Congregationis mentem aperuerit,
 rogar ut aliquem ex se ipsis virum integrum bene etiam in-
 structum, diligent, qui praefato Concilio Provinciali die praedicta
 habendo assistat, ut Clero et laicis inter se bene conveniat,
 sicut desiderant ut religionis bono prospiciatur, ipsorumque
 praedia et fortunae in tuto ponantur, quarum conservationem
 haec Congregatio summopere studet, et cordi habet. Datum ut
 supra.

(124) " De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini
 Fr. Edmundi Episcopi Laghlenensis et Congregationis Prae-
 sidis, nec non ipsis Congregationis :

Eugenius Duin Juris utriusque Doctor, Protonotarius
 Apostolicus, et Rector Ecclesiae de Gesil, Con-
 gregationis Secretarius." |

2193 ibid. (125) Exercitus autem duces annuerunt et in Villa de Killihy
 duos Tribunos, Rogerum O Morraeum et Bernardum O Birn,
 quorum alter, vel uterque Clero in praedictis assisterent, de-
 legerunt hoc instrumento :

(126) " Cum harum lator, P. Franciscus Foxius, Rossiponti
 Conventus Guardianus, a Provinciae Dubliniensis Congregatione
 utriusque Cleri, et ex ejus parte, ad nos missus, suas nobis
 instructiones ostenderit, et Congregationis pariter mentem, qua
 maxime et laetati et confortati sumus, nobis communicarit.
 Respondemus protestantes quod cum Clero nos jungemus,
 observaturi et defensuri totis viribus qualemcumque modum
 aut viam praefatus Clerus nobis proposuerit ad instaurandam
 Catholicam confederationem et unionem. Et ut Clero in hoc
 sincerius satisfiat, constituimus et authoritate munimus
 Tribunum Bernardum O Birn, et Tribunum Rogerum O

Morraeum, aut eorum alterutrum ad assistendum eidem Cleri Congregationi, ut nobis et praefato Clero, sicut idem Clerus desiderat, inter nos bene conveniat. In cuius rei fidem manus apponimus 7^o Septembris 1651.

Joannes Fitz-Patricius. Brian O Birn. Ludovicus
O Morraeus. Richardus Grace. Daniel Cea
Kevanagh. Carolus O Molous. Richardus O
Duin. Rogerus O Morraeus. Fiachus O
Tuahil. Thadaeus O Conorus. Christophorus
O Tuahil. Thomas O Birn. Avoil Walsh.
Daniel O Cearollus." |

(127) Itaque in illa Provinciae Dubliniensis Congregatione 2193 Ecclesiastica Killeneae 22 Septembris celebrato missae sacrificio,

v

et invocato Spiritu Sancto, Laghlenensis se, quo Catholici firmiori inter se vinculo colligarentur, et ad res praedclare gerendas magis animarentur, instante etiam per suas litteras Clanricardio, Provinciae Dubliniensis Clerum ad eam Synodus convocasse declaravit. Petuit autem Antonius ut, sicut in Ecclesiastica Provinciae Ardmachanae Congregatione factum fuerat, ita et ibi Massarii prius, deindeque Clanricardii Proregis litterae legerentur, quibus binis epistolis, quae in scopos longe diversos tendebant, illo ordine perfectis, ad Proregis epistolam responderunt ejus Commissarios de bono publico nihil sollicitos Lageniam taxis supra vires onerasse. Quare Congregatio a Provinciae Agentibus rogata postulavit in remedium, ut sua Excellentia unicuique Comitatui certum militum numerum sustentandum assignaret, quod id facilius et utilius foret, cum vectigalia publica difficiili negotio a populo jam exhausto exigenterent, et facili in privatos magistratus civilis usus converterentur. Ex qua eorum responsione colligere est quo Clanricardii litterae spectarint? Apud eum etiam institerunt, ut pars officialium exercitus Catholici censuris a Nuncio anno 1648 fulminatis obnoxia ad Suam Sanctitatem recurreret, et absolutionem postularet, addentes exercitum secus | nunquam prosperandum, et mala omnia, sub quibus natio ingemisceret, originem traxisse ex inobedientia erga Sedem Apostolicam, et contemptu praefatarum censurarum, quas validas fuisse affirmabant, tum quod is, qui autoritate ex Urbe derivata ad Regni Clerum missus esset, ita referret, tum quod Nuncii adversarii Appellationem prosecuti non sint, nisi cum fatale ejus tempus jam expirasset. Itaque suam Excellentiam id efficere debere ut in nationis bonum et conscientiarum securitatem

*Ant.
Relat.*

2194

omnis scrupulus per absolutionis impetrationem auferretur, deindeque Provinciae Dubliniensis Clerum facturum quicquid in se esset. Postridie ejusdem diei, deindeque per triduum Congregatio illa condidit acta, postea in Italiam missa, sicut hic vides :

" In Dei Nomine. Amen.

(128) " Incipiunt acta Congregationis utriusque Cleri Provinciae Dubliniensis coactae 23 Septembris in loco qui dicitur Beladrehad, diaecesis Kildariensis, per Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Fr. Edmundum Laghlenensem Episcopum sede vacante Archiepiscopi Dubliniensis vices supplentem, et Congregationi praesidentem, assistantibus ibidem Praelatis, Dignitariis, et Theologis infrascriptis.

(129) " 1°. Sacrosanctae Missae sacrificio et concione habitis, in primis statuimus et declaramus ut, qui haereticis | inimicis contributionem solvunt, possint authoritate Commissariorum pro disponendis praedis deputandorum, omnibus bonis spoliari, nisi infra quindecim dies post notitiam hujus actus conjungant se Catholicis defendantibus jura Regni et fidem Catholicam.

(130) " 2°. Insuper inhibemus ne Commissarii praenominati possint de istis praedis disponere sine consensu Ordinariorum respective locorum.

(131) " 3°. Ordinamus ut nullus sacerdos, sive saecularis sive regularis, post elapsum quindecim dierum supradictorum terminum Catholicis ab haereticis protectis sacrum faciat, aut sacramenta ministret sub paena excommunicationis ipso facto incurriendae. Praecipimus etiam singulis utriusque Cleri sacerdotibus, ut hunc et praecedentem actum inter Missarum solemnia singulis Dominicis et diebus festis sub excommunicationis paena publicent et promulgent.

(132) " 4°. Quia bonae memoriae Excellentissimus D. Eugenius O Neil, quondam Generalis exercitus Catholici in Ibernia, in ultima sua capitulatione cum Ormondo et sequacibus gloriose obtinuit quod, antequam se illis conjungeret, obligarent se ad absolutionem a censuris Illustrissimi Domini Nuncii petendam a Sua Sanctitate, insistendum esse talis promissionis petitioni praesens Congregatio censet; et statuit ut nullus Episcopus hujus Provinciae in Assemblaeis vel Comitiis

Generalibus Regni assideat, nisi prius impetrato beneficio dictae promissionis. Hortatur etiam omnes et singulos proceres sive nobiles (prout de honore tenentur) ut non assideant tanquam membra in aliquibus Comitiis, nisi repetito praefatae | beneficio promissionis.

2195

(133) "5°. Praesens Congregatio declarat et protestatur ejectionem Illustrissimi Domini Nuncii nationi imputari non debere, cum major et sanior Regni pars nobilium, Cleri, et populi in illam expulsionem non consenserit. Quae etiam sanior pars ad amussim censuras per eundem Illustrissimum D. Nuncium latas observavit. Sed dicta ejectio facta est a quibusdam schismaticis in regimine existentibus, qui declinaverant a reliquis confaederatis.

(134) "6°. Sub paena excommunicationis prohibemus ne quis, sive Clerus sive laicus, ab haereticis, vel aliis usurpatoribus decimas conducat sine titulariorum clericorum vel proprietariorum consensu, et expressa licentia in scriptis manu et sigillo firmata.

(135) "7°. Volumus et declaramus ut personis ecclesiasticis et ecclesiis similiter respective in nostra Provincia immunitas concessa per Canones et Concilia Oecumenica stricte observetur, praesertim illis ecclesiis de facto in Catholicorum districtu possessis, vel de futuro recuperandis, ut eadem immunitas servetur. Per hoc tamen non intendimus ut praefatae personae et ecclesiae sint immunes a contribuendo ad praesens bellum pro ratione facultatum, sed prout discretioni Metropolitani, Ordininariorum aut parrochorum, sive aliorum superiorum ecclesiasticorum consentaneum videbitur, sicut nullus in his Regni angustiis a publicis contributionibus exigendus est. Monemus tamen ut supradicti ecclesiastici, si sustentatio militum occurrentium aliunde haberi non potest, quam ex bonis, quae tutelae causa ad ecclesias confugiunt ut custodiantur, ecclesiarum respective superiores militibus causam Ecclesiae propugnantibus necessaria ex istis bonis impertinantur. |

(136) "8°. Decernimus ut nullus sit Vicarius generalis aut praedicator in exercitu Catholico spectante ad Provinciam Dublinensem, nisi ex institutione vel Metropolitani, vel senioris suffraganei sede vacante, vel Concilii Provincialis ejusdem Provinciae. Si quis autem aliter autoritate laicali sive Assembleae, sive Generalis exercitus, aut alterius saecularis potestatis illud munus assumpserit, aut assumptum exercuerit, ipso facto sit

2195

v

excommunicatus, et privatus omni officio, et imposterum inhabilis ad quascumque dignitates vel officia ecclesiastica. Et si quis tali autoritate istud munus hactenus assumpsit, iisdem paenitentia subjaceat, nisi monitus resipiscat.

(137) "9°. Decernimus ut si qui ausu temerario manus injecerint in illos, qui ex quarteriis haereticorum inimici protectionem fugientes ad nostra aut ad exercitum Catholicum cum bonis venire voluerint, aut eorum bona abstulerint, vel praedati fuerint, aut alio quovis modo graviter eos offenderint, ipso facto Anathemati subjaceant, nec absolvantur, nisi proprietariis integra et plena facta restitutione resipiscant. Insuper declaramus tales spoliatores indignos et inhabiles ad quaecumque officia aut munia Reipublicae civilia aut militaria.

2196 (138) "Ultimo statuimus et ordinamus ut acta hujus Congregationis singulis mensibus per singulos Regulares et parochos hujus Provinciae inter Missarum solemnia promulgentur, idque incipere debeant prima Dominica post habitam notitiam actorum. Injungimus | Ordinariis ut ea publicari curent, sicut et praedicatoribus in suis ad populum concionibus.

(139) "Dicto hymno *Te Deum* finit haec Congregatio die 26 Septembris anno ut supra."

"Catalogus eorum qui in Congregatione adfuerunt.

(140) "Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Fr. Edmundus, Laghlenensis Episcopus, Congregationis Praeses. R. admodum D. Antonius Geogheganus, Prior B.M. de Conalmor, missus a Sacra Congregatione de propaganda Fide in Iberniam. R. D. Jacobus Dempsey, Vicarius Apostolicus Kildariensis, etc. R. D. Edmundus Relly, Vicarius Generalis Dubliniensis. R. D. Nicolaus Redmonds, Vicarius Generalis Fernensis. R. P. Fr. Cornelius Geogheganus, Prior Kilkenniensis et Procurator Vicarii Generalis Ossoriensis. R. D. Terentius Dempsey, Procurator Ecclesiae Kildariensis, etc. R. D. Eugenius Duin, Juris utriusque Doctor, Rector de Gesil et Protonotarius Apostolicus. R. D. Richardus, Rector de G. R. D. Donatus Dullany, Rector de Clunenagh. R. D. Joannes Dalaeus, Rector de Lacoy. R. P. Fr. Paulus Brenan Com. V. per Lageniam. R. P. Fr. Redmundus Moore, Prior de Athey. R. P. Fr. Jacobus Fory, Prior de Mullingearr. R. P. Fr. Bonaventura Mellaghlin, Guardianus de Killighy. R. P. Fr.

Dominicus Dempsey, Guardianus de Iniscorty. R. P. Fr. Antonius Eustace, Guardianus Deserti. R. P. Fr. Franciscus Fox, Guardianus Rospondensis.

(141) "De mandato Illustrissimi et Reverendissimi D. Fr. Edmundi Laghleniensis Episcopi, et Congregationis.

Antonius Geogheganus Prior, et Congregationis Secretarius." |

(142) Praeter haec acta invenio condita fuisse et alia tunc 2196
secreta, quae observato dierum ordine ex Antonii Mageoghegani v
Relatione postea Romae porrecta, in medium produco.

(143) Itaque 22 Septembris 1651 circa modum, quo Provinciae Dubliniensis nomine cum Lotharingo agendum esset, hoc decretum emanavit, cui etiam instructiones eodem spectantes assuam :

" Per Congregationem Ecclesiasticam utriusque Cleri Provinciae Dubliniensis nec non per ejusdem Provinciae nobiles, generosos, et Catholici exercitus officiales.

(144) " Quoniam haud sine fundamento timere possumus ne quidam erga Regnum et rem Catholicam male affecti nos praeveniant apud Serenissimum Ducem Lotharingiae, Catholicon hujus Regni Protectorem clementissimum, aut suae Celsitudinis Deputatum, eum de gravissimis Regni negotiis male informando, Nos, Clerus et nobiles Provinciae Dubliniensis, seu Lageniae, duximus eligendos seu instituendos, sicut per praesentes eligimus et instituimus perillustrem et admodum R. D. Antonium Geogheganum, Prioratus insignis B. M. de Conalmor nostrae Provinciae Commendatarium perpetuum, atque admodum R. P. Fr. Franciscum Fox, Ordinis Minorum, Guardianum de Ross, viros non solum antiquae nobilitatis origine, sed fidei etiam zelo, integritate, atque in rebus agendis prudentia, et eximia circumspectione insignes, dignos qui ardua quaevi negotia tractent, | et propterea electos et constitutos esse declaramus nostros Agentes, ut vice nostra agant cum Serenissimo Carolo, Lotharingiae Duce, protectore nostro clementissimo, aut ejus substituto, mentemque nostram et propositum eidem suae Celsitudini, sive ejusdem Deputato

*Anto.
Relat.*

2197

proponant. Quibus proinde hac in parte fidem et favorem adhiberi volumus, hortamur et rogamus. Datum Beladrophid
23 Septembbris 1651.

Locus + Sigilli.

Fr. Edmundus Laghleniensis Episcopus Congregationis Praeses.

(145) " De mandato Congregationis :

Terentius Dempsy Vice-Cancellarius. Briannus
O Birn. Ludovicus O Morraeus. Terentius
Mac-Cochlanus. Rogerus O Morraeus.
Malachias O Morraeus. Fel. O Tuahil.
Joannes Fitz-Patricius. Richardus Grace.
Carolus O Moloyus. Conlyus Mageogheganus.
Theobaldus Magaulius. Robertus Fox. Artus
O Mellaglin. Ceallagh. O Mellaglin."

" *Instructiones pro Agentibus ad Ducem Lotharingiae.*

Ibid.

(146) " Primo, congratulentur salvo ejus adventui in Regnum, indicentque ei quanto affectu et observantia Clerus et populus Lageniensis eum prosequantur.

2197 v (147) " 2°. Proponant ei, ejusve Deputato, quantam in-
justitiam | in officiorum distributione atque aliis gravaminibus
ferendis sanior et sinceror Provinciae pars a Commissariis
nostris Regni Rempublicam administrantibus jamdudum passa
sit, et quod isti Commissarii eorumque fautores, sive ex in-
fortunio sive ex proditione omnia Regni praesidia et munimenta
in manus inimici tradiderint. Et quod pauci pro juribus aut
cautionariis civitatibus datis suae Celsitudini in ultimo cum suo
Agente tractatu, praeter generosos, et Clerum Ultoniae et
Lageniae, aliosque aliarum Provinciarum sibi adhaerentium
constanter steterint, reliquis omnibus vel in protectionem
hostium fugientibus, vel milites nullos aut paucissimos
habentibus.

(148) " 3°. Curent ut sua Celsitudo respiciat ad praesentem
Regni statum, animadvertatque quod pars sinceror Catholi-
corum, quae religionis Catholicae et Patriae assertioni nunquam
defuit, nunc sit magis considerabilis, et militum numero et
animo inserviendi, et rectitudine intentionis ac propensione in
suam Celsitudinem, ideoque Celsitudini suae videri debeant
qui prae aliis in officiis civilibus et militaribus constituantur.

(149) " 4°. Dicant qua iniquitate Confaederatio Catholicorum

Iberniae tot votis et juramentis confirmata, fraude quorundam haereticis et praecipue Ormonio faventium dissoluta sit contra mentem et voluntatem sincerorum Catholicorum, ac propterea nunc bonos Catholicos introductum, imo intrusum ejus et sequacium Regimen rejecisse, confaederationem | nuper renovasse et Consiliarios pro ejus sustentatione statuisse loco Commissariorum Ormonii.

2198

(150) "5°. Quod isti fautores haeresis, scilicet Commissarii supradicti, voluerint tractatum cum sua Celsitudine, sive ej Agente totis viribus impedire, ac proinde suam Celsitudinem illis fidere non debere, nec respicere ad aulica eorum verba aut adulationes, sed potius ad candidos et sinceros processus aliorum recte incidentium.

(151) "6°. Gravamina officialium sincerorum Provinciae Lageniae de tempore ad tempus recipient, et proponant suae Celsitudini, quae dicti officiales eis intimabunt. Item sit communicatio inter *Agentes* Lageniae et *Agentes* Ultoniae et sincerorum Catholicorum aliarum Provinciarum, et sint unanimes cum illis, et curent inclinationem dicti Ducis nobis saepius significari.

(152) "7°. Communicent Patri Hieronimo Dempsey, ejusque industria ad promovenda sua negotia cum Serenissimo Lotharingo utantur, et reliqua omnia, quae discretioni suae ad bonum nostrum tendere videbuntur, faciant." Haec ibi.

(153) Die autem 23 Septembbris aliud decretum conditum est, quod cum instructionibus ad ejusdem scopum pertinentibus subnecto :

"Per Ecclesiasticam Congregationem utriusque Cleri Provinciae Dubliniensis.

(154) "Animadvertisentes hujus afflictæ nationis miserias, et praesentem statum nimis deplorandum ex communi votorum Catholicæ Confaederationis tenendæ violatione et schismatici, si non haereticæ, Regiminis introductione | penitus evenisse, ad iram Dei nobis infensi quantocytus placandam et ad reliquias Catholicorum nostræ gentis conservandas necessarium duximus ut faedus cum Deo et inter nos Clerum et populum ineamus, renoveremusque (quantum in nobis est) Confaederationem Catholicorum. Quod cum sine industria et uniformi Provinciarum hujus Regni concursu fieri nequeat, visum est nobis

Ibid.

2198

v

authoritate nostra nominare, statuere, et delegare, sicut per praesentes nominamus, statuimus, et delegamus per illustrem et admodum Reverendum Dominum Jacobum Dempsey, Vicarium Apostolicum Kildariensem, de cuius sufficientia, zelo, integritate, atque solertia in omni negotio publico confidimus, ad tractandum simul cum reliquis aliarum Provinciarum delegatis, vel quot ex eis invenerit, de modo rejiciendi modernum Regimen, et Confaederationem renovandi, idque simul cum iisdem delegatis per censuras ecclesiasticas contra opponentes se nostris hac in parte, aut eorum conatibus, ubi et quando sibi et illis aequum et expediens videbitur, ratum et gratum habentes, et habituri quicquid pro nobis et vice nostra, quam in his ei committimus, fecerit. Datum Killineae, in loco qui dicitur Beladrohid, die 23 Septembris 1651.

Locus + Sigilli.

" Edmundus Laghleniensis Episcopus, Congregationis Praeses.

" De mandato Congregationis :

" Antonius Geoghegan Secretarius Congregationis."

" *Instructiones Synodi Provinciae Dubliniensis pro suo Delegato.*

Ibid.
2199

(155) " 1°. Ut significet reliquis delegatis aliarum Provinciarum | sibi obviis, qui sint, quos Clerus Apostolicae Sedi fidus et sincerus Provinciae Lageniensis tanquam Consiliarios elegerit pro Regimine moderno destruendo et novo erigendo in confirmationem Acti privati Provinciae Ardmachanae.

(156) " 2°. Curet cum illis Consiliarios ex singulis Provinciis vocari in unum locum, ubi concipere possent et formare instrumenta publica pro nova Confaederatione facienda, nempe instrumentum Juramenti associationis, instrumentum declarationis pro religione Catholica, eaque signata mittant ad Illustrissimum D. Laghlenensem, aut ad deputandos ab eo et Congregatione Ecclesiastica Lagenensi pro publicatione eorum exercitui Catholico hujus Provinciae.

(157) " 3°. Juramentum associationis et declaratio sint pro religione solum, nulla facta mentione alterius motivi, eo quod res ad tam desperatam conditionem redactae sint, ut a Deo solo remedium et Nationis salus expectanda sit, ac propterea illi soli innitendum, qui solus succurrere valet. Praeterea quod inter Catholicas nationes exteriores motivum religionis

nude plus praevalebit ad mittendas suppetias, quam si pro religione et aliis motivis simul declaretur. Nec per hoc quod pro fide praecise declaretur aliquid privilegiis regiis aut libertati Patriae derogatur, cum qui fidelis est Regi, et Patriae fidelis censeri debeat.

(158) "4°. Postquam Commissarii seu Consiliarii Provinciarum in locum unum venerint, incumbant alicui novae normae seu modo Gubernii pro Confaederatione renovanda, pro exercitu convocando et instruendo, et pro obsidionibus Limerici et Galviae levandis, | et aliis martialibus et civilibus negotiis disponendis.

(159) "5°. Statuant modum correspondentiae cum hac et aliis Provinciis in ordine ad promovendum suum Regimen.

(160) "6°. Benigne recipient gravamina officialium quorumcumque Catholicorum, et praecipue Joannis Fitz-Patricii et adhaerentium, eosque ad se allicant.

(161) "7°. In nullo contrarientur iis, quae Illustrissimus D. Secretarius Sacrae Congregationis de propaganda fide in mandatis dedit, sed potius ea promoveant et observent. Quod ut melius fiat, communicent D. Antonio ea, quae fecerint de tempore in tempus.

(162) "8°. Si opus sit convocare Comitia Cleri et populi ad promovendam et renovandam Confaederationem nulli ad ea convocentur, nisi qui hactenus fidi et candidi permanserunt, aut ii, de quorum conversatione constat, ne irrepentes factiones haereticis faventes faciant, et novissimus error sit pejor priore.

(163) "9°. Nullus recipiatur ad officium aut dignitatem in civili aut martiali Regimine ex iis, qui censuram Illustrissimi Domini Nuncii incurrerunt, nisi resipiscentes subsignent instrumento publico submissionis in dicta censura Summo Pontifici et Sedi Apostolicae, promittentes iisdem deinceps obedientiam et fidelitatem. Quod instrumentum a delegatis et Consiliariis Latine et Anglice formatum ad singulas Provincias per manus ecclesiasticorum industriorum, qui sollicitent officiales et generosos, quos juncturos se probabiliter speraverint, ad illud signandum mittatur.

(164) "10°. Instrumenta Juramenti associationis, seu | Confaederationis, pro religione tantum Catholica Latine et Anglice scripta, et signata manibus omnium Praelatorum ac generosorum Confaederationis mittantur quamprimum ad partes ultramarinas, ut ibi impressa et publicata allicant et moveant pios ubique Catholicos ad succurrendum miserae Iberniae.

2199

v

2200

Mittantur etiam ad Priorem *Conalliae*, ut ea Romae imprimi et publicari curet.

(165) " 11°. Curent ut in norma gubernii statuatur, ut omnes locorum Ordinarii, quamvis Episcopi non sint, neque Abbates, aut Piores, qui in Parlamentis Catholicis ante suppressionem Religionis sedere solebant inter Regni proceres, ad Comitia confaederatorum convocentur et ibidem vota habentes consultiva et decisiva sedeant, ne hoc amissio Clerus detrimentum patiatur." Haec ibi.

(166) Postridie ejusdem diei sequens actum latum fuit :

" *Per Congregationem Ecclesiasticam utriusque Cleri Provinciae Dubliniensis.*

Ibid.
 2200 v
 " Cum plerique nobiles, generosi, et incolae hujus Provinciae Lageniae (visa Dei vindicta in gentem hanc immissa causataque (ut concipiunt) ex violatione votorum, quae gens haec fecit Deo pro manutenenda ejus religione et causa in Catholica Confaederatione) sese nobis, Clero, in gravaminibus suis applicuerint, supplicarintque nobis ut viam aliquam investigaremus ad compescendam Dei iram, et ad conservationem reliquiarum hujus miserae Nationis, promittentes et protestantes se totis viribus prosecuturos justos nostros | in hoc conatus. Nos igitur, praefatus Clerus, examinatis et pensatis omnibus viis et modis, qui haberi possent pro conservatione causae seu interesse Dei, religionis, et Patriae, et serio animadvertisentes Confaederationis Catholicae dissolutionem, et votorum ac juramentorum in ejus sustentationem factorum violationem, ac introductionem schismatici si non haeretici et arbitrii Regiminis in gentem hanc Catholicam, ejusdem libertatum destructionem fuisse, et continuo esse justa divinae indignationis in nos motiva, officii nostri esse duximus amplius cum Deo aut grege nostro in tam severo ac pungente flagello non dissimilare, sed inire potius praesentem et efficacem viam, qua praedictae indignationis divinae justae causae submoveantur, et Dei interesse tractetur ineundo cum Creatore et conservatore nostro, et inter nos ipsos faedus in Catholica Confaederatione ad conservationem religionis, vitae, et immunitatum nostrarum, sperantes quod in humiliatione et conversione nostra ad Dominum Deum nostrum dignabitur a condigne nos puniendo desistere, et quod propter gloriam nominis sui nobis condonabit et parcer. At cum tanti ponderis negotium sub Deo

concinne tractari aut regi nequeat absque civili Regimine, sine quo justitia et aequitas omnibus Catholicis, qui de facto se jungunt aut imposterum se juncturi sunt in hoc sacro faedere et confaederatione, administrari non possunt, Nos Clerus Provinciae Lageniensis ex parte nostra, nobilium, et generosorum nobis adhaerentium, operaे pretium esse duximus eligere et constituere quosdam integros et qualificatos viros ad pangendum cum aliis, qui ad eundem finem in reliquis Provinciis fuerint electi ad rejiciendum et rumpendum schismaticum Regimen nuper intrusum, et ad renovandam Catholicam Confaederationem secundum nostram et associatorum aliarum Provinciarum mentem. Nos igitur multum fidei et confidentialae reponentes in integritate, zelo, mentis capacitate, ac solertia Reverendissimi D. Edmundi Laghlenensis Episcopi, Rogeri O Morraei, et Hugonis Rochforti, armigerorum, per praesentes ex parte nostra, Cleri scilicet Provinciae Lageniensis, et adhaerentium eligimus, constituimus, nominamus, et authorizamus praefatos Reverendissimum D. Edmundum, Laghlenensem Episcopum, Rogerum O Morraeum, et Hugonem Rochfortum, armigeros, aut quosvis duos ex illis (ex quibus duobus praefatus Reverendissimus Laghlenensis Episcopus semper sit unus) ad sedendum in concilio cum aliis aliarum Provinciarum, quibus obviam facti fuerint ad illum finem, et ad tractandam, determinandam, et concludendam normam et modum Regiminis, et renovationem ac formationem Catholicae confaederationis, dantes praefatis Reverendissimo Domino Edmundo Laghlenensis Episcopo, Rogero O Morraeo, et Hugoni Rochforto, armigeris, totam autoritatem et potestatem in civilibus et martialibus, quanta ad dicti finis consecutionem sit necessaria aut utilis, quam etiam Dominus Deus et natura in nostras manus remisit in tam desperata earum rerum conditione, quae ad ipsum Deum spectant, et ad hanc Catholicam nationem. Cautum esto tamen, quod praefati Consiliarii non diutius servabunt aut possidebunt hanc autoritatem, quam pacifice formata et stabilita Catholica confaederatione aequum et expediens videbitur libero assensui et consensui sincerorum hujus nationis Catholicorum vel majori parti. Actum in Ecclesiastica Congregatione de Beladrophid 24 Septembris 1651.

2201

“ Fr. Edmundus Laghlenensis Episcopus, Congregationis praeses.

“ De mandato Congregationis: Antonius Geogheganus Prior, Congregationis Cancellarius.”

2201

v

(167) Supererat ut haec omnia partim a Provinciae Ardmachanae, partim a Provinciae Dubliniensis Clero mense Julio et Septembri decreta effectum sortirentur. Qua ex parte eodem mense Septembri Ardmachanus in sua Provincia executioni mandare caepit, scripta Anglice hac epistola.

"Nobilibus, populo, et copiarum militarium Ducibus Ultoniae.

" Domini.

(168) " Inter ultimum nostrum ab utroque, saeculari scilicet et Regulari, Clero apud Petram—Superiorem 29 Julii ultimo elapsi celebratum Concilium nos aerumnarum hujus Regni singulariter miserebat, easque judicavimus originem traxisse ex irreverentia et injuriis illatis per Ministros Status, aliosque Sedi Apostolicae ejusque Ministris despiciendo eorum personas, et vilipendendo eorum mandata. Quae | sane crimina supremum numen impulerint ad animadvertisendum in hanc Nationem fame, peste, et gladio, timendumque est ne suam Deus protrahatur iram, nisi vera paenitentia et cordis contritione flectatur ad misericordiam. Porro tametsi haud existimemus ea vos delicta contraxisse, nihilominus ut iis, qui ea contraxerunt, conventione illa inter Marchionem Ormoniae et Praefectum Generalem, Eugenium O Nellum, mense Octobri 1649 celebrata coaluistis juxta articulum hoc fasciculo inclusum, sic etiam judicamus teneri vos ex conscientiae lege ad instandum ut dicti articuli executionem obtineatis, ne vestra in urgendo hoc negotio negligentia eodem vos peccato involvat. Nos ergo cum integritati nostrae rem totam eadem Congregatio crediderit exequandam, ut scilicet circa praefata nostram in vos autoritatem distringamus, obsecramus, idque ipsum exigimus, ut pro vestra virili cum D. Prorege, aliisque, quorum intersit, agatis, quo dicti Articuli beneficium impetratis, proindeque supremi numinis iram declinetis, et Nationi suus constet honos. Vestram in hac re obedientiam (ne Ecclesiam censurarum in vos severitate uti compellatis) expecto non minus quam promptam scripto tenus responsionem primae Cleri Synodo propediem celebrandae declarandam. Et sic in negotiis omnibus vos Deus dirigere dignetur, quod ut fiat quotidie orabit
Ex loco nostrae
mansionis 29
Septembris 1651.

Vestri studiosissimus amicus.

Hugo Ardmachanus." |

(169) Articulus tunc cum hac epistola ab Ardmachano missus, cujus executioni institit, est ille, in quem inter conveniendum cum Eugenio O Nello atque exercitu Ultonensi ambarum partium Commissarii 12 Octobris 1649 consenserant de modo, quo Ormonistis circa censuras a Nuncio anno 1649 fulminatas, et controversias exinde natas procedendum esset. Ardmachanus autem ad illas suas litteras 29 Septembbris 1651 datas responsum accepit hic ex ipsa respondentium epistola Anglicana Latine versum.

2202
v

"Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi vestrae placeat.

(170) "Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae epistolam hodie datam recepimus, qua nos rogas ut apud Dominum Proregem et alios, quorum interest, instemus ad efficiendum ut articulus (dum inter Marchionem Ormoniae et eos, qui tunc ad Regiminis clavum sederent, ex una parte, et Praefectum Generalem Eugenium O Nellum et adhaerentes ex altera, conveniretur) circa excommunicationem in multos ex hoc Regno fulminatam pactus praestetur. Secus Illustrissima Dominationi vestra nobis censuras comminatur. Nos praesentes nostrae nunc coitionis perturbationes adeo Illustrissimae Dominationi vestrae probe notas esse censemus ut tempus ad id idoneum esse non arbitreris. Quandocumque autem imposterum Illustrissimae Dominationi vestrae placuerit nobis praecipere, ut id prosequamur, ad obediendum parati erimus. | Sic remanemus 29 Septembbris 1651.

2203

"Illustrissimae Reverendissimaeque Dominationis vestrae servi humillimi :

Felix O Nellus. Philippus O Rellius. Turloghus O Nellus. Collus Mac-Mahonius. Philippus O Rellius. Hugo Mac-Mahonius. Maelmorrius O Rellius."

(171) Etsi Ultoniae Primores rem tunc differendam duxerunt, strenua tamen per vias secretas dabatur opera, ut juxta utriusque Provinciae Ardmachanae et Dubliniensis acta Ecclesiastica superius posita ad primam Confaederationem sub Lotharingo rediretur, et via ad ipsum Lotharingum in Protectorem introducendum sterneretur. Sed indies expectabatur (illa enim spes fiebat) ut ipse Lotharingus in Iberniam trajiceret, vel certe tales transmitteret vires, viros, et suppetias, quibus fieret ut omnes sinceri ad ea consilia palam exequenda animarentur. Lotharingus autem (sicut superius tetigi) cum

- Commissariis Clanricardii Proregis mandato munitis pactiones in Belgio absolvit, sed illi Clanricardii (juxta limitationes superius positas) consensum procurantes negotium protraxerunt. Semper tamen rei demum peragendae spem facientes usqueadeo
 2203 ut paulo post advectos ex Ibernia in Belgium | Commissarios v Lotharingus magno apparatu expeditionem Ibernicam ornare conatus sit, et ex Gallia, Hollandia, atque aliunde classem, quae etiam a pseudo-Reipublicae Anglicanae inimicis libenter offerebatur, procurandam duxerit. Verum cum Anglos hac aestate apud Iberniam in Conaciam irrupisse, Atloniam in potestatem recepisse, aliaque minoris momenti loca expugnasse, et Limericum ex utraque Galviam vero ex una parte obseditte didicisset, et pacto ex Commissariorum parte absolvendo tamdiu supersederi vidisset, ardor ille ita deferuit ut mense Augusto non nisi unam vel alteram navem cum subsidiis transmittere decreverit, in pactorum etiam in Ibernia perficiendorum expectationem. Alia quoque orta fuit difficultas circa censuras illas a Nuncio anno 1648 fulminatas, multis arbitrantibus expeditionem fidei causa non suscipiendam, nisi obtenta prius ab illis censuris absolutione. Ad quam a Sua Sanctitate Nationis nomine petendam Episcopus Fernensis tres Legatos a Clanricardo ad Lotharingum missos, Vicecomitem Taaffum, Nicolaum Plunkettum, Equitem, et Zepherinum Brounum Armigerum, exhortatus est litteris Anglice scriptis et Latine redditis.
- “ Illustrissimi Domini.
- (172) “ Reversus Roma comperiens Supremi Concilii membra cum adhaerentibus, quotquot cum D. Barone de Insequin inierant armistitium, excommunicata ab Illustrissimo Domino Rinuccino, Archiepiscopo et Principe Firmano, extraordinario |
 2204 Sanctissimi D. N. Nuncio (in Urbe namque jam eram, quando dissensio haec populo Iberno fatalis contigit) decrevi pro majori mei spiritus tranquillitate nullo modo memetipsum exponere pro defensione dictae censurae, aut pro prosecutione Appellationis a Concilio contra eandem factae, esto non nulli pro utraque parte Praelati conati fuerint me ad suas flectere sententias. Abstinui ab illa tunc controversia, ne vel conscientiam polluisse vel causam dedisse scandalo, abstinentia a Missis celebrandis in ecclesiis atque Oratoriis a praefato D. Nuncio interdictis. Quod et feci in Rossensi meae diaecesis oppido. Caeterum praedictam excommunicationem tanta prosecutus sum veneratione, ut et ipse et illustris admodum

D. Nicolaus Plunkettus, Eques auratus, meus olim Romae collega, obtinuerimus, Regno consentiente, exemptionem a prosecutione praefatae Appellationis factae contra D. Nuncium. Ego insuper omnibus promiscue mecum conferentibus de contentione ista, et sciscitantibus meum hac in re consilium libere narravi censuras sanctae Ecclesiae non esse spernendas et tutius fore obedire quam cum sacra authoritate contestari. Me enim haud parum perturbabat videre quosdam irreligiose et jurisdictionem et Ecclesiae conculcantes censuras, nec non prophane ostentantes se esse excommunicationibus impenetrabiles, seu nihili facientes talia fulmina, adeo ut in usum transierit et in gloriam tali insigniri titulo. Bene tamen observavi hos ostentatores censurarum fulminibus impenetrabiles hoste aggrediente, ne minime quidem sclopi restitisse glandulae plombeae, sed ei tunc | ut ante pietati et altari terga vertisse. Vidi post excommunicationis fulminationem et Ormonii introductionem vi et factione quorundam politicorum factam in praejudicium et contemptum ecclesiasticorum, quod mala omnia, clades, exterminia, et universalis obcaecatio instar diluvii inundaverint super omnes, ut in constructione tanti operis alter alterum non caperet propter Babyloniam confusionem. Miles depositus spem, viri vires, officiales et duces animum et conductum, Consiliarii prudentiam, qua vel gubernare vel justitiam administrare possent. Nullibi substitimus, nullam propugnavimus civitatem, nullam impugnavimus, nullum defendimus oppidum, arcem nullam, nullum omnino locum. Teterimam invidiam, rancorem, discordiam, et malignitatem in omnes evomuit infernus. Ecclesiastici impie tractabantur, contemnebantur, incarcerebantur. Abominabile quidem sed non nullis tamen pergratum. Altare erat contra altare. Religiosi inter se divisi violenta persecutione saeviebant, facti invicem tyranni, nihil omnibus magis corde fixum quam iniquitas et mutuae ruinae desiderium. Has omnes Cleri populique iniquitates, discordias, et blasphemias non sine maerore intuenti mihi animus dictavit atram divinae indignationis Iberniae impendentem nubem, quae nuper super universam nationem frigidissimas instillaverat aquas, aperte designare, Deum populo succensere, cum Parliamentariorum Praefectus Generalis, Iretonus, fluvium, Sinenum, trajecerit. Nonne in Lagenia Racram, in comitatu Galviensi | Loghrea-
ghum, Portumnam, Milickum, Balinasloam, et Gortam occupavit sine pugna et oppositione? Nunquis exercitus com-

2204
v

2205

paruit? An non Arx Atloniensis (si vera referuntur) turpiter hosti tradita est. Nonne ipse Iretonus cum suo exercitu modo ad Limerici portas stationem habet, et Carolus Cootus interea totam sibi Conaciam subdit et reddit tributariam? Ubi nunc Clanricardius? Ubi Portu-Castellanus? Ubi Dillonus? qui tantopere excommunicationem contempserant. Ubi viri, vires, et arma, pro quibus Regnum et Dux Lotharingiae suam numerarunt rem numariam? Evidem paenae illae et persecutio caelitus et merito immiscae certam mihi pariunt opinionem quod et lata excommunicatio fuerit valida, multique proinde procerum, politicorum, civium, militum, et haud pauci e populo, qui ei ab initio refragati erant, et adhuc in sua persistunt pertinacia, fuerint Sathanae traditi, et ei nunc permittantur, atque adeo sint a Deo derelicti, tanquam omnis victoriae divinaeque benedictionis indigni. *Omnis enim* (teste Augustino) *Christianus, qui a sacerdote excommunicatur, Sathanae traditur. Quomodo? Quia scilicet extra Ecclesiam diabolus est sicut in Ecclesia Christus.* Verum esse fateor, quod impia et acatholica illa epistola Comitiorum nomine Kilkennia 19 Octobris 1649 a Richardo Blako ad Illustrissimum D. Nuncium tunc Galviae residentem scripta, per quam et hic ejiciebatur toto Regno, et Apostolica impeditiebatur authoritas, et quam postea in ultimis Comitiis apud Loghreaghum habitis eorum nullus agnoscebat, utpote vilissimam, induxit excommunicationem super praefata Comitia. Haec enim fuit Sanctissimi Domini Nostri sententia P. Rouaeo nuper Romae declarata. Sed timetur ne in hoc sicut in aliis negotiis sibi commissis infideliter se gesserit erga eos, qui eum miserant, quibus illinc reversus spem fecit de validitate Appellationis licet non admissae, quod potius videtur esse censoriarum confirmatio. Proinde etiam usque modo Sua Sanctitas expectat ut Regnum se tandem submittat, quo ipse manum elevet, et apostolicam omnibus benedictionem elargiatur. Quantum attinet ad declarationem a Comitiis Loghreaghensibus contra illas D. Richardi litteras factam, valde conditionata est nec satisfaciens, et licet satisfaceret, nulla ejus praesentandae via superest. Differre autem tanti momenti negotium et periculosum est, et omnino cavendum.

(173) "Ex hac ergo suppositione validitatis excommunicationis, cuius timore perculsi jam plurimi ab ea privatum obtinuerunt absolutionem, meam profero cum omni animi candore et charitate sententiam, quid vobis in hoc negotio

faciendum, ut vestrum cum Duce Lotharingiae pactum et
 faelicem sortiatur exitum, et placeat Altissimo. Debetis itaque
 in humilitate cordium vos ipsos totius nationis nomine pro-
 stratos Suae Sanctitati submittere, et enixe supplicare ad
 obtinendam absolutionem et Apostolicam benedictionem, ut
 spiritus sapientiae et fortitudinis, Victoria, gratia, progressus
 et alia Dei dona antea habita super vos denuo descendant.
 Tantae postulationis necessitas eo nunc magis urget, quod
 ille, a quo authoritate muniti et missi | estis, varias ob causas
 sit a jure et homine excommunicatus, et Romae habeatur
 Nuncii Apostolici, nec non aliorum Episcoporum atque ecclesi-
 asticorum persecutor, et ecclesiasticae dignitatis ac jurisdictionis
 immanis contemptor, sicut ex ipsius litteris manifeste constat.
 Placeat (quaeso) recordari quod ille Marchio, quamvis plurimum
 alias sollicitatus, nunquam tamen se confaederatis Catholicis
 conjunxerit donec Summi Pontificis Nuncium opprimendi
 occasionem nactus esset, et Insequinniae Baronem, qui suas
 paulo ante Cassiliae in S. Patricii ecclesia tam sacerdotum quam
 innocentium cruento manus polluerat, adduxisset, ut sibi viris
 et viribus haereticis assisteret. Doleo harum duarum funestarum
 stellarum unionem fore Nationi nullius nec levaminis nec
 laetitiae praesagium. Putatisne, (nisi alias divinae nobis accer-
 sendae misericordiae ineatur modus) contractum talis personae
 autoritate initum secunda nunquam habiturum auspicia? Ut ergo quod prophanum est sanctificetur, quod diruptum,
 consolidetur, clamate Nationis nomine cum filio prodigo:
 Surgam et ibo ad patrem et dicam ei, Pater peccavi in caelum
 et coram te. Et sic nulla interposita mora Suae Sanctitatis
 Internuncium hic Bruxellis accedite, ut faelicem hanc
 concludatis submissionem; quia nescit tarda molimina Spiritus
 Sancti gratia. Sine hac submissione hic Catholicus Princeps,
 si rem recte intellexerit, cum legatis ab excommunicata et
 arida manu autoritatem derivantibus non tractabit. Sed post
 hujusmodi submissionem Deus Angelum mittet lucis et for-
 titudinis, qui denuo Iberniae praebit populum nunc magna
 ex parte in tenebris jacentem, et excommunicationum catenis
 ligatum. Si haec charitativa respueritis monita, memineritis
 me vobis | praedixisse hinc totum vestrum tractatum et con-
 conventionis articulos nullatenus vobis profuturos, sicut nec
 profuerunt aliae vestrae machinationes, quia non est sapientia,
 non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sed
 Dei omnipotentis et Sedis Apostolicae maledictio nos obruet.

Clanri-
cardius.
22062206
v

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Quod ad me spectat, si (quod absit) mihi hac in re aurem non praebueritis, tanquam de vestro successu desperans, ubi nulla gratiae spes extat, subtraham memet, et nullas in praesenti negotio vobiscum partes agere statuam. Imo Principi significabo se, etsi bona moliatur, omnia fabricaturum super lubrico fundamento, adeoque nihil effecturum. Adeo mei in hac causa vobis perspecta est animi integritas, ut non dubitem quin subituri sitis molestiam perlegendi has lineolas, easque sano modo sitis interpretaturi, quod scilicet hic nihil ex odio excommunicatorum, vel ex turpi Sanctitati Suae aut Nuncio assentandi studio scribo. Horum equidem mihi nihil in mentem venit, nec cupio molestiam procreare, quoad vixero, Papae aut D. Nuncio in nullo mihi impetrando favore, licet grege, Ecclesia, et civitate sim spoliatus. Tantummodo loquor in conspectu Dei, quae mea mihi suggerit conscientia, pro religione, natione, propria et aliorum salute aeterna, et in eodem animo persistens hic finem facio.

Bruxellis,

18 Julii 1651.

Vestri studiosissimus servus in Christo,
Nicolaus Fernensis."

2207

(174) Ex tribus Commissariis Ibernis ad Lotharingum allegatis, ad quos haec epistola scripta fuit, Plunkettus consenserat, | Brounus dissenserat, Taaffus se communi libello supplici in eum finem ad Suam Sanctitatem mittendo subscripturum dixerat. Sed deinde viso quod Brounus acquiescere nolle, deliberatione pendente, ex Belgio Parisios transiturus, chartam puram suo nomine signatam reliquit, ratum habiturus quicquid alii et Lotharingus in hoc faciendum statuerent. Verum Brounus flecti non potuit, ne a Lotharingo quidem quamlibet protestante se aliter Iberniae non subventurum. Submissionis tamen formula appositis Lotharingi, Episcopi Fernensis, Taaffi, Jacobi Prestoni, et Nicolai Plunketti, sed non Brouni nominibus hic habes tunc a Fernensi Aquisgranum ad Belgii Internuncium, et ab hoc Pontifici mense Septembri missam.

P. Ponc.
Vindic.
Evers.
p. 85.

" Beatissime Pater.

(175) " Cum Serenissimus Carolus, Lotharingiae Dux, zelo sanctae religionis accensus, Nationis Ibernicae defensionem

suscipiens, et eo nomine in Regni Iberniae Protectorem Regium cooptatus, ac a Sanctitate vestra approbatus, cum Theobaldo, Vicecomite Taaffe, et Nicolao Plunkett, Equite aurato, ab eodem Regno ad agendum et concordandum cum praefato Serenissimo Duce, eaque omnia praestanda, quae videbuntur expedire ad illum tractatum perficiendum, deputatis contractum invicit certis quibusdam articulis comprehensum, in quo inter alia haec verba habentur: *Ac primo quidem cum in hoc tractatu potissimum religionis causa versatur, aequum paciscentibus visum est ab imploranda Summi Pontificis benedictione opeque paterna rem totam auspicari.* Quam ut sibi tum in divinis, 2207 v tum in humanis non defuturam sperant, ita se in Apostolicae Sedis obsequio ac fide constantissime permansuros protestantur. Dicti Serenissimus Protector ac Deputati, nec non Nicolaus French, Episcopus Fernensis, et Jacobus Prestonus, Eques auratus, ab Episcopis Iberniae ad eundem Serenissimum Protectorem cum speciali autoritate amandati, Sanctitati vestrae exponunt, quod anno salutis 1648 Joannes Baptista Rinuccini, Archiepiscopus et Princeps Firmanus, tunc temporis in illo Regno Nuncius extraordinarius, fulminavit excommunicationem maiorem contra Supremi Concilii Iberniam regentis membra, aliosque ipsis adhaerentes, ob armorum cessationem initam cum Barone de Insequin, ut ex ipsis excommunicationis tenore latius patet, ac deinde aliqua loca ejusdem Regni fuerunt supposita Interdicto, licet magna pars populi dicto D. Nuncio semper fuerit obediens. Unde factum ut dicti Concilii membra ad Sanctitatem Vestram miserint P. Joannem Rowe, Carmelitam discalceatum, ad interpositam illorum nomine appellationem prosequendam, et impetrandam ejusdem sententiae nullitatis declarationem, qui nullum super illa controversia retulit decretum aut responsum in scriptis. Quae cum ita sint, praefatus Serenissimus Protector, ac omnes deputati praedicti, ut opere compleant, quod ore profitentur, omnisque pavor et inquietudo a conscientiis hominum circa illam controversiam tollantur, et res, initium sumens a timore Dei, felix fausta sit populo Ibernico peccatis et plagis valde humiliato, omnes absentes tanquam praesentes dicti Regni nomine ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti humillime petunt absolutionem a dicta excommunicatione pro omnibus illa innodatis ut et ab omnibus aliis censuris a Jure vel ab homine, quas populus ille vel illorum aliqui incurserunt. Ac ut personas actionesque illorum pro sua paterna | benignitate benedicere 2208

dignetur, ut Sanctitate Vestra mediante, Patri caelesti reconciliati, ejus aspirante gratia, in sanctae religionis propugnandae proposito faelicius insudare mereantur.

C. Lorraine. Nicolaus Fernensis. Taaffe. Jacobus Preston. Nicolaus Plunkettus."

Belling.
Annot.
P. 75.

Ibid.
P. 203.

(176) Taaffus se hanc epistolam non nisi typis mandatam vidisse, et suum calculum absque Brouni subscriptione appositorum conquestus est, eoque ventum ut inter alia Fernensis ad Taaffum Parisios litteras 10 Augusti 1651 scripserit, quibus quid ei significarit, et quid Taaffus responderit, sequens Taaffi ad eum epistola, quam ex Bellingi libello deprompsi, te docebit: "Domine.

2208

v

(177) "Vestrarum 10 hujus mensis datas hodie accepi, quae me in ipso limine fluxae fidei hominem et promissi immemorem praedicant. Fateor quidem quod dixerim me omni ad Sanctitatem Suam mittendae submissioni subscripturum, sed cum Dominus Brounus in eadem authoritate socius, formam illius vestrae submissionis improbasset, rei optime consultum arbitrabar quod huc veniens chartam puram meo nomine signatam reliquerim. Impossibile quippe videbatur duos, qui reliqui erant, Commissarios de inscribendis, cum res adeo necessaria esset, dissentire potuisse. Quod meum factum Dominatio vestra, si aequus esset arbiter, proculdubio approbasset, ipse, quae gessi, nequaquam extollam. Ut vero ab iis, quae Dominatio vestra minus civiliter scribit, me vindicare possim, hoc unum | dicam, non alium, pro meo captu ecclesiasticae jurisdictioni lubentius obedientiam praestitisse, meque majori fide, honestate, et honore paci nationis meae sub legitimo imperio et Catholicae religioni in ea stabilienda studuisse, quam alium quemquam, qui me injuste et imprudenter crimine arguerit. Verum quidem est me absolutionem ab illa excommunicatione metu potius quam conscientia delicti petitam impetrasse, sed nec compertum habui unquam eam formidinem eorum animos pervasisse, quos tu meos vocas consortes, qui nec ingenio, nec prudentia sunt vestra Dominatione inferiores. Clerum dico, qui si se illis censuris innodatum crederet, supplex et festinus absolutionis petendae causa ad Suam Sanctitatem recurreret. Sed qui fit ut tam vehementer Dominatio vestra contendat submissionem nomine Iberniae ab illis extorquere, quibus certo novit nullam petendae absolutionis facultatem a nostratis concessam fuisse.

(178) "Dominatio vestra in suam potius quam in gentis

infamiam scribit, nationi in omnibus animos et fortitudinem deesse, praeterquam in contentionibus adversus sacram et apostolicam autoritatem. Huic imprudentiae, qua gentem nostram tam dishonestis et barbaris stigmatibus notatam exponit, functionis suae privilegium patrocinatur. Mihi vindictae loco sufficiet, quod hanc sententiam minus prudentis viri malitiae attribuam, qui de unius fama hominis nequaquam est competens judex, multo minus de honore nationis, quae, si operae pretium judicaverit, haec illi objicere poterit. Quod ad illam clausulam, qua scribis Ormonium devenisse idolum et adoratum fuisse, neminem profecto novi, qui in id pronior fuit quam Dominatio vestra. | Nonne hoc Suae Sanctitatis responsum ad vestram et D. Nicolai Plunketti legationem per vestram Dominationem accepimus, illam scilicet, dum discordiis distraheremur, nullas daturam suppetias. At si essemus uniti et debitam Regi nostro obedientiam exhiberemus, quod tunc vestris petitionibus annueret. An quisquam quam Dominatio vestra ad pacem faciendam majori industria laboravit. Nonne in Marchionem Ormoniae, dum res secundae essent, tota sedulo incubuit. Nihil de excommunicatione neque privato sermone, nec pro suggestu eo tempore audivimus. At cum adversa successit fortuna, tunc novo excommunicationis fulmine prolapsum onerare, et populum in partes distrahere contendit. Quo viso Marchio Ormoniae ex Ibernia sponte recessit, sperans gentem in unum coalitaram, et Regis viro Catholico autoritatem (quod primum in eo genere exemplum fuit) delegavit. Me excusabit Dominatio vestra, si litteras, quas petit, non remiserim. Illis enim quaedam insunt clausulae, quae nequaquam suppressimenda sunt. Primo, mei puto officii esse nationi indicare, quo suo periculo se submittunt Regimini Marchionis Clanricardii, cuius *arida et maledicta manu*, quae tua verba sunt, nihil prospere geri potest.

(179) "2°. Velim ut notum fiat, quibus rationibus mihi et Commissariis sociis meis persuadere contendit absolutionem a Sua Sanctitate petendam, nempe minando te nec opera nec consilio nobis subventurum, et Ducem Lotharingiae impediturum, ne suppetias in Iberniam mittat, si quaecumque Dominatio vestra scripserit non simus habituri rata. Si hic sit pius et ingenuus hominibus persuadendi modus, penes eos qui | audierint, sit judicium. Scribit Dominatio vestra innotuisse avunculum meum, P. Georgium Dillonum, et P. Carronum animi mei sententiam mutasse, ne illis ad Suam Sanctitatem

2209

nota.

2209

v

litteris subscriberem, se tamen existimare quod facinoris tanti vel opinionis talis authores non audeant in conspectum comparare. Ego confidenter dixerim illos neutquam meae voluntatis mutandae authores extitisse, licet si quis in materia fidei aut conscientiae scrupulus supervenisset, illorum potius quam Dominationis vestrae opinioni et monitis acquiescerem. In Curialibus negotiis ex usu vestra Dominatio magis forte est experta. Mordacem vestrarum litterarum partem, qua illos invadit, ipsis relinquo, ut ad eam respondeant.

Parisiis,

20 Augusti 1651.

Vestrae Dominationis

Servus humillimus

Taaffus."

(180) Litteras, quas Fernensis sua epistola a Taaffo petierat, et (sicut hic legimus) Taaffus restituere noluit, illas fuisse video, quas Fernensem ad Taaffum, Plunkettum, et Brounum 18 Julii 1651 scripsisse vidisti. Unde colligendum videtur Fernensem doluisse, non quod eas scripserit, sed quod eas incassum scripserit, et timuisse ne Clanricardio et aliis Ormonistis innotescerent. Quos utinam Fernensis adeo metuisset, sed sancta illa praedicandae veritatis libertate, quam in Evangelio Christus Apostolis ac eorum successoribus, Episcopis, praescribit, quamque Fernensis demum in illa sua epistola ex parte exercuit, | ipsos a suo ex Urbe in Iberniam reditu anno 1648 reprehendisset, exindeque eorum machinations palam improbasset, quibus suis partibus quantopere tunc in Iberniae ruinam defuerint, ipse demum sera nimis experientia compertum habuit. Unde Praelati et alii ecclesiastici epistolae 12 Februarii 1651 Archiepiscopo Firmano scriptae et superius positae authores: "Fernensis (inquiunt) resipuit, et publice quod contra nos fecerat retractavit. Sed de nimia facilitate et timore arguitur ut indulgens est laicis aliquando, ne causa videretur dissidii inter cives et discordiae." Haec illi. Verum ille paci et concordiae perniciose discordiam sanctam prae-

Aug. ad
Lothar. et
habetur
23. 9. 5.
Qui vitiis.

tulisset juxta illud Augustini, "qui (inquit) vitiis nutrientis parcit et fovet ne contristet peccantium voluntatem, non tam est misericors quam qui non vult cultrum rapere pueru ne audiat plorantem et non timet ne vulneratum doleat vel extinctum."

(181) Ex praefatis Taaffi litteris 20 Augusti datis liquet Taaffum circa petendam Nationis nomine a Sua Sanctitate absolutionem mutasse sententiam, et a prima mente, qua in

Belgio fuerat, resiliisse, usqueadeo ut (sicut indidem colligere est) Fernensis sua epistola 10 Augusti data eam ipsi animi mutationem improperarit. Hoc tamen anno P. Oliverus Walshaeus, Carmelita discalceatus, natione Ibernum, a Lotharingo ex Belgio in Urbem missus est, ut juxta libellum supplicem vel epistolam Suae Sanctitati scriptam, et superius positam, cui ipsius Lotharingi, Fernensis, Taaffi, Prestoni, et Plunketti nomina | apposita fuisse vidimus, generalem absolutionem procuraret. "Nec (inquit Doctor Enos) impetrare difficile erat quod postulaverant, si votis delegantium responderent gesta delegati, sed delatam ab excommunicatione absolutionem juxta praescriptionem et formam, quam ipsemet Illustrissimus ac Reverendissimus D. Nuncius Romae, antequam ad suam provinciam Firmanam se contulit, delineavit, pessime consultus respuere visus est. Per quam tamen formam ad nihil aliud tenebantur excommunicati, quam ut seriam et dignam agerent paenitentiam, et pro virili sua pro irrogatis damnis facerent satis. Quae paena pro gravitate peccatorum Commissariorum levis erat et moderata. Minime enim dubitandum est plures ob peccata longe minoris gravitatis longe gravioribus paenis fuisse multatos. Exempla afferre placeret, si opusculi exiguitas id permitteret. Cessit ille Roma anno (ni fallor) 1652, re infecta, de episcopatu assequendo, quem a septennio ante ambierat, quam de salute animarum magis sollicitus." Haec ille, cuius testimonium eo pluris faciendum est, quod et ipse hoc anno Romam petierit, ibidemque, quae hic refert, testis oculatus didicerit. Porro cum Taaffus (sicut ipse sua epistola ad Fernensem 20 Augusti 1651 data et superius posita testatur) et alii oratores Iberni nullum petendae ex Nationis parte absolutionis mandatum receperint, mirum non est quod Sua Sanctitas illum libellum supplicem parvi | fecerit. Quomodo enim absolvitur nisi qui absolutionem sibi petit, vel alium ad eam sibi petendam mandato munit et (quod plus est) paenitentiam profitetur. Quae conditiones cum hic non intervererint, non video quid per absolutionem hic petitam intelligi potest aliud quam censurae relaxatio, quam Ormonistae saepiuscule postulaverant, et nunquam non anhelarunt. Quare mirum est quo pacto Fernensis tam ludicram et nugatoriam absolutionem obtinere conatus est, idque Regni nomine in Regni injuriam, cum potius vel Ormonistarum vel nullius nomine illi petitioni insistendum curasset, quod non. Natio sed Ormonistae illo fulmine percussi fuerint. De reliquo

2210

v

Just.
cap. 4.
num. 12.

2211

Prorex Clanricardius, receptis in Ibernia ex Gallia conventionis cum Lotharingo a suis Commissariis apud Belgum transactae ac superius positae, nec non illius epistolae a Fernensi ad eosdem Commissarios circa absolutionem a Pontifice petendam 18 Julii ex urbe Bruxellensi scriptae, si non autographis, certe litteras, apographis, dedit in Ibernia ad Episcopum Dromorensem quas in Antonii Mageoghegani Relatione Latine versas habe.

“Reverendissime Domine.

(182) “In prosecutionem prioris discursus breviter exarati meis litteris 8° hujus mensis datis, necessarium duxi hic inclusum Dominationi vestrae Illustrissimae mittere exemplar partis epistolae ab Episcopo Fernensi ad D. Taaffum, Nicolaum Plunkettum, Equitem auratum, et Zepherinum Brounum, uti Commissarios per me authorizatos et destinatos,

2211 scriptae, nec non apographum | alterius chartae, cui titulus:

v *Articuli Conventionis cum Duce Lotharingiae*, ut ex his Dominatio vestra Illustrissima colligat efficaciam spiritus illius Praelati ad persuadendum dictis Commissariis, atque ad eos adducendos ut violarent et proderent fidem, quam in illis ex parte suae Majestatis collocavi, et (quantum judicium meum et observatio ferre possunt) ad vendendum seu potius confiscandum regium interesse in hoc Regno, gentis fidelitatem, libertatem, et nativa jura absque ulla autoritate, nulla adhibita cautela in ulla ex propositionibus, qua supportentur, aut in obedientia aut in rebellione, sed potius evidenter sequatur fore ut perpetuo bello involvantur, et proculdubio praesentissima ac fatali divisione et coactione. Si in Comitiis proxime celebrandis judicatum fuerit me in Regni conservationem non futurum amplius utilem, conabor me subtrahere. Quod tamen firmiter non propono, sed potius contrarium, si alii possint induci ut suam conditionem ponderarent, et ita partes agant suas, ut suae tutelae et successus maximam dent probabilitatem. Ad quod ratione et aliis mediis operam navabo ut adducantur. Expecto tamen ut Dominatio vestra Illustrissima, atque alii Reverendi Praelati et ecclesiastici in quamcumque ex his sententiam ivero, id faciant justitiae, ut testimonium ferant | qualem in meo procedendi modo, pro quo tot calumnias passus sum, habuerim autoritatem et quales religionis formulae meam duxerunt et attemperarunt dispositionem, qui sum Aghenirae,

2212 16 Octobris 1651.

Dominationis Vestrae Illustrissimae
Studiosissimus et humilis servus
Clanricardius.”

(183) Ex hac epistola Ibernis constitit Clanricardium nunquam consensurum ut Lotharingi conventio staret; de qua ejus mente parum etiam ante dubitabatur. Porro inter has opinionum et litterarum digladiationes contigit ut Angliae Rex Carolus 2us, quem anno superiori in Scotiam trajecisse vidimus, eam subierit aleam, quae totam pene expeditionis Ibernicae a Lotharingo suscipienda spem accidit. Rex enim hoc anno in Scotia ritu solemni coronatus, post multas sui exercitus ex dicti Regni Calvinistis compacti, atque a Cromuellis copiis Anglicanis praepediti cunctationes, demum illis viribus Scoticis vallatus in Angliam irrupit, ibique subitanea multorum Anglorum praesertim Catholicorum in Monarcham et Monarchiam bene affectorum, et pseudo-Republicae tyrannidem pertaesorum, coalitione exercitum auxit. Verum paulo post Cromuellus cum numerosissimo bustuariorum et sicariorum rebellium exercitu rebus omnibus ad praelandum necessariis atque utilibus abundante supervenit, commissoque praelio | exercitum Regium partes suas segniter agendum cecidit, cepit, 2212 dissipavit, Rege ipso, quem regicidae tota Anglia ad securim diligentissime conquisierunt, post miram animi magnitudinem in illa pugna demonstratam, apud Angliae Catholicos, quibus se potius quam suis haereticis credendum duxit, aliquandiu delitescente, ac speciali Dei cura ac singulari Catholicorum fidelitate in Galliam dilapso. Quo factum ut insolecens victoria Cromuellus totam etiam Scotiam facili negotio debellarit, Deo justissime permittente ut illa Calvinistarum Scoticorum in Angliam expeditio funestum exitum sortita sit. Quod ejus secundandae causa Rex maligno eorundem Scotorum consilio inductus pacem suo ipsius mandato cum Ibernis anno 1649 conclusam, deindeque a se, etiam patre securi percuesso confirmatam impio edicto 16 Augusti 1650 apud Scotiam edito refixerit, et in blasphemum ac sacrilegum Puritanorum faedus Catholicismo et Monarchiae exitiale solemniter jurarit.

(184) Hic novus regicidarum in Anglia Scotiaque triumphus effecit ut Anglia jam a Rege et bello Scotico sibi nihil metuens totas pene terra marique vires in Iberniae Catholicos, etiam antea ad statum prope desperatum redactos convertere potuerit, proindeque Lotharingus omnem fere triumphi in Ibernia conficiendi animum desponderit. Haud tamen a pactis antea provectis recessit, sed indies urgebat ut utrinque perficerentur | et praestarentur. Rege autem jam in Galliam regresso, non 2213 Reginae Angliae, nec Ducis Eboracensis, nec Ormonii in Gallia

v

exulantium, nec aliorum Ministrorum regiorum, nec Clanricardii, a quorum omnium nutu legati ex Ibernia ad Lotharingum missi anterius pendebant, sed solius Regis consensus expectabatur. Verum cum Clanricardius, aliquie Ormonistae timerent, ne Lotharingus ipsorum in Ibernia adversariis, sincerae Catholicon partis, patrocinaretur, metuerentque ne sub ejus imperio justissimas tot delictorum paenas fuerent, ante dilapsum in Gallias Regem et post pactis illis cum Lotharingo perficiendis intercesserunt, praesertim cum talia forent quae in eum scopum Lotharingo viam regiam aperirent. Denique ita Iberni in hoc negotio studiis manifeste diversis occupabantur ut in duas factiones, Ormonicam et Lotharingicam, dividerentur, licet Ormonius et Clanricardius infinitis artificiis simularent et dissimularent, et praeseferrent pactorum absolvendorum desiderium ut Lotharingum et partes ipsi in Ibernia studentes dilationibus fatigarent, reique demum peragendae spe lactarent ac suspenderent, ne se invitis, nedum inconsultis, Lotharingus et Iberni inter se convenienterent. Nec in Belgio defuere, qui de Ormonistarum artibus Lotharingum monuerint. Quarum ille |

2213

v

partem suis tandem expensis didicit. Nam (sicut in litteris ex urbe Bruxellensi Romam 4° Augusti 1651 scriptis lego) ex pecuniis in bellum Ibernicum a Lotharingo datis: "fuere (inquit epistolae author) sena librarum sterlingarum millia cum P. Georgio Dillon, Observatino Iberno, transmissa, quorum turpem rationem reddidit. Quamobrem, nec non ob alia animi abjecti et perfidiae capita Lotharingus ipsum, ejusque nepotem, Taaffum, de suo libro delevit, nec solum ipsos, sed etiam universam eorum factionem." Haec Anglice Edmundus O Meara, Doctor Medicus, et ipse Ibernus.

(185) Rex autem Angliae in Galliam dilapsus haud sperabat futurum ut Lotharingi subsidiis Iberniam Parliamentariis eriperet, imo timebat ne Lotharingus Iberniae coronam affectaret et per ipsos conventionis articulos superius positos latam sibi ad Regnum usurpandum viam muniret, circumstantiis forsan suffragantibus, praesertim ex parte Summi Pontificis, Cleri populique Ibernici, quorum plerisque magis cordi esset, ut sub Lotharingo, Principe Catholicō, Praelatis, sacerdotibus, Monachis, et aliis ecclesiasticis, nec non dynastis et aliis inferioris conditionis laicis partim sub Anglicana atque haeretica tyrannide antea spoliatis sua restituerentur; partim a pseudo-Republica Anglicana, alias ad incitas redigendis sua | in tuto ponerentur; fides in throno collocaretur; Ecclesia Ibernica

2214

restauraretur; natio refloresceret; et hanc libertatem semel adeptam semper defensaret, quam priorem, imo priore in spiritualibus et temporalibus longe duriorem servire servitutem sub crudelissimis et nunquam sive horrore nominandis regicidis Anglicanis, Cromuello et Cromuellistis, quibus absque potenti Principis externi patrocinio et subsidiis necessario succumbendum esset, cum Rex, nec sua, nec subditorum in Regno jura defensare valeret. Nec Regem sibi ab hac Lotharingi mente affectandi Regnum imprudenter metuisse sustinet Bellingus variis rationibus ab ipsa conventione superius posita petit, cuius ille in hunc finem facit anatomiam, quam huc non transfero quod nemini non sit obvium articulos proprio judicio ponderare. Poncius autem fuse demonstrare conatur Regi nihil fuisse a Lotharingo timendum.

(186) Itaque nec Rex, jam in Galliam refugus, illis articulis, nec aliis eo spectantibus subscrispsit, malens permittere ut Angliae Parliamentarii quamlibet infensi Iberniae Catholicos prorsus exterminarent quam Lotharingus illis legibus ad opem ferendam introduceretur, quod Rex Iberiam sibi aliquando hac ratione potius quam Lotharingi auxilio restituendam expectaret, et futurum speraret ut populus Anglicanus depresso vel aliquando mortuis seditionis Principibus demum resipisceret, atque ad obsequium rediret, adeoque Anglii latrones, Iberiae possessores, suae Angliae ad se redeuntis consensum, sortem et fortunam sequerentur, saltem ea lege ut illi Regem agnoscerent, et Rex illis Catholicorum possessiones confirmaret. A qua lege Regem haud multum abhorruisse suo loco videbimus.

Ponc.
Vindic.
Evers.
p. 130,
etc.

2214

v

(187) Itaque quotquot ob has rationes politicas Regi authores fuerunt ut nec his, nec aliis articulis Lotharingicis subscriberet, totius Cleri populique Ibernici vitas et fortunas omnes, fidei quoque atque Ecclesiae in Ibernia causam, et continuo aeternam animarum, quibus impossibile est sine fide placere Deo, salutem deseruisse, et inauditae Cromuellici ac Cromuellistarum tyrannidi haereticae mancipasse videntur, ut recuperandi olim in Ibernia juris Regii viam non certam, nec tunc probabilem, sed ipsorum judicio minus desperatam amplecterentur. Quod funestum Regiae voluntatis experimentum docuit Ibernorum multos se justo Dei judicio a Rege in tantis angustiis fuisse ita desertos, quod in illo bello Deum Caesari ad annos anteriores posthabuissent, secus patriae et religioni facillimo negotio antea prospecturi.

(188) Dum Rex Angliae hunc in modum Ibernos desereret, Ormonistarum, Ormonii, et aliorum haereticorum consiliis ductus, et tamen Lotharingum per legationes et dilationes, ob rationes politicas, consensus a se praebendi spe lactaret, dicens ex Belgio Parisios Episcopus Fernensis D. Edmundum Tirellum, sacrae Theologiae Doctorem, natione Ibernum, cui facilis ad Regem accessus esset, misit qui suam Majestatem 2215 rogaret ut | Fernensem ad audientiam admitteret. Cui Rex respondit sibi relatum quod Fernensis cum mandato Regni in exterum Principem transferendi ex Ibernia venerat, ideoque se ipsi sui copiam non facturum, antequam tanti momenti negotium maturius examinaret. Jussit autem ut Tirellus Ormonium, qui ad Regem in Galliam ex Anglia dilapsum se mox contulerat, ejusque benevolentiam ita aucupatus erat, ut in eum exinde dominatus sit, conveniret, ab eoque totius facti rationem exploraret. Porro Ormonius Tirello respondit sibi visum ut Fernensi ad Regem aditus paecluderetur, donec quid in mandatis haberet, aperuisset. Bellingus quoque, qui post perditam suis et collegarum perjuriis ac malis artibus Iberniam mense Junio in Galliam trajecerat, ab Ormonio suo advocatus et rogatus dixit nullam (authore Episcopo Dromorensi) Fernensi de ejusmodi re agendi factam fuisse in Ibernia potestatem. Quibus Regis, Ormonii, et Bellingi responsionibus a Tirello relatis, Fernensis hanc epistolam Tirello scripsit Regi comunicandam :

“ Sapientissime Domine.

(189) “ Sua Majestas informata (ut dignata est tibi dicere) quod ex Ibernia cum commissione Regnum illud tradendi Serenissimo Lotharingiae Duci veneram, me, antequam rem tanti momenti examinaret maturius, ad praesentiam suam admittere non judicaverat aequum. Interea autem te ad Marchionem Ormoniae remisit, ab ipso rationem totius facti exploraturum. Haec (salvo suae Majestatis honore) cum a male affectis procedat calumniatoribus, causa | non videtur sufficiens me ab eo officio paestanto excludendi, quod aliis subditis permittitur. Et fortassis sagitta illa in me projecta ad caeteros meae nationis Episcopos dirigi videbitur. Talem commissionem nunquam ab Episcopis, Clero aut ulla illorum parte habui. Si qui tamen ex amaritudine cordis sui tale quid suspiciati sunt vel fixerint, credo Regiam Majestatem ad justitiam ita propensam esse, ut non sit existimatura ipsorum suspiciones aut fictiones valida esse ad condemnandas meas

actiones aut intentiones argumenta. In omnibus Episcoporum Iberniae Congregationibus, in quibus semper fere Cancellarii honore donatus eram, nunquam ulla propositio aut consultatio facta fuit de eo Regno ulti externo Principi tradendo. Certe Episcopi nostri non minus studuerunt juxta Evangelicam Christi Regulam (*reddite quae sunt Caesaris Caesari*) Caesari nostro quidquid honoris et reverentiae Regi debetur, cognoscere, quam qui Regi proximiores vane et jactanter praeseferunt majorem, quam nos, fidelitatem; licet contra communem hostem regias civitates, oppida, arces non defenderint. In Congregatione Episcoporum Waterfordiae habita, quando prima pax cum Marchione Ormoniae inita rejecta fuerat, fecimus et typis mandavimus *manifestum* (ut vocant) nostri zeli et obedientiae erga Regem his verbis: *Ulterius protestamur, juramus, et vovemus reddere Caesari nostro, Regi Carolo, quod debetur Caesari, exhibendo fidelitatem et debitum obsequium ipsi, suis legitimis haeredibus et successoribus, revelando et subvertendo omnes conspirationes, conventicula, et prodiciones, quae contra ipsius personam, coronam, et dignitatem iniri cognoscemus, ac defendendo totis viribus etiam vitae ac fortunarum periculo, omnes ipsius regias dignitates, praerogativas et Monarchicum gubernium contra omnes aggressores et invasores sive externos sive domesticos, privatos et publicos, notorie cognitos aut juste suspectos.* Reliqua pars orbis cum intelligeret pavorem nostrum et pericula, quae nos ad bellum suscipiendum et continuandum impulerunt, admirata est nostram (quam forsan non imitaretur) constantem erga Regem, quamvis in hostium potestate constitutum, tum fidelitatem tum obedientiam. Huic tamen nostrae protestationi Aula Anglicana tum ad S. Germanum residens fidem habuisse non videbatur, semper aliqua apud eos suspicione de fidelitate nostra haerente, ut vel ex eo conjicere licet quod neminem ex nostra religione Concilium illud judicaverat satis fidum, cui Regni nostri gubernaculum committeret, sed unum adversae religionis, eundem ipsum Ormoniae Marchionem, praefecerat, quamvis totius Regni Episcopis et universo Clero merito invisum.

(190) "Qui me et alios similes subditos ab accessu ad suam Majestatem avertunt, eo fine duci possunt, ut | videret quidem Rex, sed ipsorum oculis, audiret, sed ipsorum auribus. Spero tamen suam Majestatem ea indole et prudentia imbutam ut se amplius decipi non sit permissura. Principes debent esse instar publicorum fontium, ad quos subditi jure suo accedere possint,

Ormon-
ium.

2216

2216

v

justitiam, quando opprimuntur, postulaturi, et cum Principis jura periclitantur ac subditi sunt exterminio proximi, auxiliorum suorum obsequia delaturi. Quoties Princeps in communi naufragio ducitur certis Consiliariis praesertim populo suspectis ac invisis, ac iis suarum aurium ac cordis clavem committit, non est verisimile ut de malis Reipublicae impendentibus bene informetur, nec ut recte de rebus gravioribus statuat, paucorum opinione deceptus, et sufficienti periculorum ac remediorum notitia privatus, quam alias facile posset acquirere.

(191) "Qui sunt Principibus a consiliis et omnia ad suum nutum peragi volunt, operam omnem impendunt, ne qui viis suis non ducuntur, nec in veneratione habent, quicquid ipsi proposuerint, praesertim integroris genii homines, qui intrepide veritatem loqui non verentur, ad Principem habeant accessum. Haec non dico ulla invidiae erga eos, qui prope Regem sunt, passione ductus, sapientissimum ratus eum qui dixerat: *Elongavi fugiens et mansi in solitudine, quoniam vidi contradictionem et iniquitatem in civitate*; sed optimo in Regem affectu, et desiderio reliquias trium Regnorum adhuc salvas praeservandi, | praesertim cum intellexerim Regis, patris ipsius, exitium non aliunde magis ortum habuisse, quam quod quorundam iniquiori consilio, qui rebus suis, non Regni aut Regis utilitati prospexerant, se totum regi permittebat. Quodsi Regiae Majestati mihi pericula, quae timeo, et fortassis inventientur nimis vera, significanti fidem habere non placuerit, adhuc liberavi animam meam, et fidelis subditi munere functus sum. Quantum ad Lotharingiae Ducem, testis mihi est Deus, me nunquam in illis propositionibus, consultationibus, aut resolutionibus coram ipso habitis reperisse aut olfecisse alium in ipso animum, quam religionem Catholicam in eo Regno stabiliendi et populum Catholicum ab extremo, quod imminebat et adhuc (proh dolor) imminet, periculo vindicandi, ac praeservandi Regiae Majestatis jus ab infensissimis inimicis, nisi ipse vel alias quispiam tempestive succurreret, usurpandum, sua Celsitudine nihil aliud praetendente, quam ut expensae, quas faceret, liberato, si Deo placeret, Regno restituantur. Quibus omnibus fidem facient Commissarii ad suam Celsitudinem ex Ibernia destinati; quorum etiam testimonio, proditorne ego an fidelis in toto eo tractatu fuerim, remitto? Si sua Majestas ejus esset religionis, quam professus est S. Eduardus Confessor, olim Rex Angliae, nulla ullius invidia ita apud ipsum

praevaleret, ut Catholicum Episcopum ad debita suae Majestati obsequia praestandum non admitteret. Fieri posset ut, | quae ego egeram, cum ad nos in Ibernia pervenisset suae Majestatis declaratio facta in Scotia contra pacem inter Confaederatos Catholicos et Marchionem Ormoniae initam alienis coloribus depicta sint. Mea sententia tunc temporis et aliorum plurium notae integritatis et judicii fundabatur in hoc dilemmate. Haec declaratio et juramentum pro faederis illius (Puritanici) observantia quod vocant *Covenant*, a Rege susceptum, aut sponte ac libere ab ipso processit, et sic Catholici Iberniae ab ea pace observanda liberantur, ac ad confaederationem priorem redire possunt, aut alias sibi, ut inspirabit Deus, providere. Principes enim eo privilegio non gaudent ut a contractibus resilire possint, aliis ad observantiam obstrictis. Id enim legi naturae adversatur. Imo pro dignitate Principum major ab ipsis expectari debet fides quam ab aliis inferioris notae. Sin ad illam declarationem faciendam et juramentum suscipiendum a Scotis coactus fuit, excusanda quidem est sua Majestas. Sed mihi, ut et multis aliis, consultum videbatur ad pristinam confaederationem redire, et apud nos (ut ante fecimus) regiam pro ipso autoritatem et praerogativas conservare, antequam esset constitutus in sua libertate, et ad nos redire posset; cum tamen hoc non obstante, communiori Commissariorum suffragio contrarium determinaretur, statim acquievi.

(192) "Quod sua Majestas te ad Marchionem Ormoniae pro ulteriori informatione dictae fictitiae | Commissionis remiserit, existimo nihil ab eo adduci posse in praejudicium meum, quod sufficientis argumenti vim habeat, quandoquidem ipse sit omnibus Iberniae Episcopis hostis declaratus, nec certe ejus opera unquam cogitaveram ad suam Majestatem accessum habere, ratus ad hoc sufficere et benevolentiam Regis et conditionem subditi, et denique quod sua Majestas in articulis ultimae pacis dignata fuerit omnibus Catholicis Iberniae Episcopis jura Praelatorum concedere.

(193) "Quoad Bellingum, qui, cum conversareris cum Excellentissimo D. Marchione, supervenerat, et nullam me a Clero Commissionem habuisse asseruerat, dicat ei (si placet) a me, Praelatos et Clerum Iberniae eam de ipso opinionem concepisse, ut nullam, quam darent, Commissionem, ejus fidei committerent. Ille ipse est (ut a quibusdam fertur) qui mihi prodictionis crimen inferendo hoc venenum auribus Regis infudit. Quod si ita sit, velim intelligat nullam esse tam firmam

2217

v

2218

araneae telam Regio affixam muro quam innocentis Episcopi integritas perrumpere non possit. Tuum, clarissime vir, obsequendi omnibus viris probis studium te impulit, ut discere conareris regiam hac de re voluntatem, et particularis notitia, quam de mea integritate habes, effecit ut meae innocentiae patrocinium susciperes contra eos, qui me denigrare
 2218 praetendebant. Utrique titulo non habeo | quod repandam;
 v nisi summas gratias, et ad te hanc sinceram voluntatis meae declarationem mittere, ut te eam Regi significante nulla fidelitatis meae apud ipsius Majestatem haereat suspicio. Crediderim quod suae Majestati me ad obsequia subditi praestanta admittere non placeat, futurum esse adversariis meis non exiguae voluptati ac superbiae etiam incremento, ut et mihi innocentiae meae conscientia posset esse molestum. Scis tamen probos sacerdotes nec ipsis Regibus adulari debere, sed primo omnium Deo, quae ipsis sunt, reddere, deinde Principibus (quia sic a Deo praeceptum est) reverentiam et obedientiam ipsis debitam. Me certe utrumque officium a teneris annis parentes docuere, cui semper satisfacere conabor, nec omittam etiam, si suam Majestatem nunquam video, orare pro ipsis prosperitate et perenni faelicitate, ac praecipue, ut cito in Catholicorum Regum catalogo apponi mereatur. Vale.
 Parisiis

ii Novembris 1651.

Dominationis vestrae sapientissimae
Addictissimus servus,
Nicolaus Fernensis."

(194) Hanc epistolam dum Fernensis scribebat, ipse et Tirellus, ad quem eam dedit, Parisiis se tenebant. Quare Anglice scriptam fuisse video, ut Regi, cum ad eum Fernensi aditus non pateret, a Tirello ostenderetur. Reque ipsa Regi ostensam fuisse testatur P. Poncius in sua ad lectorem praeicatione sita in limine Relationis rerum Ibernicarum tunc Archiepiscopo | Parisiensi a Fernensi dedicatae, ad cuius Parisiis typis mandatae calcem Poncius hanc epistolam Latine (ut inserui) versam una in lucem edidit. Cum autem epistola illa Regis animum adversus Ormonium non flexisset, Fernensis tum ut in Ormonium apud Regem praevaleret, tum in alios fines a lectore facile augurandos, sequentem Relationem a se Latine compositam paucis diebus interjectis Archiepiscopo Parisiensi exposuit, et Poncius una cum epistola jam inserta nec non cum duabus epistolis superius in medium productis,

quarum unam Lotharingus Innocentio X^o, alteram Iberniae Ordinibus scripserat, Lutetiae typis mandandam curavit.

(195) " *Deplorabilis populi Ibernici pro sancta religione, Rege, et liberitate contra sectarios Angliae Parliamentarios depugnantis status, Illustrissimo ac Reverendissimo Ecclesiae Principi, D. Joanni Francisco de Gondis, Archiepiscopo Parisiorum, expositus per Reverendissimum D. Nicolaum, Episcopum Fernensem, et Sacrae Capellae Pontificiae Comitem assistentem, 18 Novembris anno Domini 1651.*

(196) " Quod orbis Catholicus populo Ibernico sanctum, justissimumque decennii bellum sustinenti auxilia non contulerit, sed fatigatum perduellium sectariorum armis permiserit superari, nemo est qui non ingemiscat. Non tamen ego propterea Principes Catholicos impietatis incuso, sed potius opinor persecutionis nostrae ac durae servitutis ignorantiam illos tenuisse. | Ut autem tanto malo in posterum occurratur, et Ibernia, olim Sanctorum patria, insciis Catholicis Principibus praesulibusque (quod cum lachrymis dico) non evadat haeretica et fiat insanabilis, statui ego praesul, exul et vagus et purpuram dignitatemque tuam multum suspiciens, imprimis Dominationi tuae Illustrissimae, et per te Lutetiae, qui parvus mundus et magnus mundi ocellus est, tam virtutibus quam divitiis praepollenti (ut tandem miseris nostris ultimaeque necessitati subveniatur) tria coram efferre, nimirum intentionem Serenissimi Ducis Lotharingiae in mittendis ad Iberos sub-sidiis; deinde afflicti populi nostri pavorem et consternationem; ac demum Illustrissimae Dominationis vestrae in promovenda Dei atque religionis causa implorare opem atque consilium.

2219
v

(197) " Ut exordium sumam ab ipsa potentissimi Ducis intentione conantis religionem in Ibernia collapsam restaurare, atque sacra omnia Beati Petri clavibus submittere, pura omnino est. Hujus veritatis clarissima sunt testimonia, commissio ab ipsius Celsitudine data Reverendissimo nobilissimoque D. Stephano de Hennin, Abbatⁱ a S. Catharina, ab intimis ipsis consiliis, ad Catholicos Iberniae ordines legato, litterae ad ipsos ordines exaratae, atque epistola admodum Catholica ad Sanctissimum Dominum nostrum Innocentium Papam Xum; his argumentis animum ipsius sincerum serenumque exploravimus. Non affectat ille dominationem ut callide fingunt veterni quidam Nationis nostrae inimici, qui religioni et populo illius |

2220 protectionem invident. Sed cogitat de defensione fidei orthodoxae, fortunarum, vitarum, et libertatis populi constanter Catholic. Non involat in Regis autoritatem. In accolas nihil imperii vel juris praetendit. Nihil praemii deposit nisi mutuatarum pecuniarum, revocato religionis splendore, solutionem, paratus, iis solutis, Regi tradere civitates, quas habet, pro cautione. Hanc propitiam, benevolamque mentem abunde confirmavit, ingentem pecuniae vim effundendo pro stipendio exercitus nostri, coemendisque armis, pulvere tormentario, frumento, quibus populus universus ab hostis rabie atque internecione servatus est. Hac clementissimi Principis voluntate ullane res potest esse sanctior, ulla purior? Habet igitur, nobilissime Antistes, Celsitudinem tanti Principis humeris suis portantem ecclesias, altaria, sacrificia, sacerdotes, ipsamque Sanctorum Insulam, et facinore hoc nobilissimo in se rapientem oculos Christiani orbis.

(198) "Nationis Ibernicae pavor ingens est, et lamentabilis conditio brevi (ni opportune a Catholicis Principibus praesulibusque juvetur) ab hoste haeretico et efferato interiturae. Ipsa haeresis rebellio quaedam est contra caelum et Ecclesiam Dei, post se trahens turbas, discordias, sanguinem, necem. Hujus flamma Ibernorum viscera modo pervadens, nisi lympha desuper depluente restinguatur, haud dubie universam gentem aduret. Nihil est videre in illa patria praeter vastitatem, desolationem, orbitatem. Civitates, oppida, arces, omnia venerunt in manus hostium spatio unius anni, gubernante infaeliciter Marchione Ormoniae. | Reliquae manent Catholicis duae tantum civitates, Limerici et Galviae, jam a sex mensibus obsessae ab hoste. In quibus sunt gubernatores, viri fortes, rei bellicae periti, cum praesidiariis fidis et pugnacibus, quibuscum clausi sunt quinque Episcopi cum octingentis ecclesiasticis, militibus animos dantes et una cum eis exilientes atque in hostem irruentes. Hucusque ingenti omnium labore et fortitudine salva sunt omnia, et civitates defensae cum magno hostis damno et clade. Verum haec fortitudo, desperatis ab orbe Catholic auxiliis, paulatim languescit, et tandem civitatibus vi captis aut hosti deditis, omnes illi ecclesiastici, duces, militesque cum plurimis Catholicorum millibus victimae cadent pro Deo et religione, aut certe in perpetuum mittentur exilium, uti nuper accidit cunctis Waterfordiae, pervetustae et nobilissimae civitatis, incolis. Nec hostis erit mitior in Limericenses Galviensesve, qui magna obsidentium clade eum concitarunt ad vindictam, quam erat

in Wexfordienses, filios et cives meos, quorum vi captorum ingentem numerum Cromuelli gladius percussit. Imo hostis efferati ferocia tot occisorum sanguine minime satra, duabus post expugnatam civitatem mensibus, spatio trium dierum ex ea proscriptis et ejecit ad emendicandum panem sex civium millia, ita ut in ea tam nuper opulenta urbe, ut viginti amplius animarum orthodoxarum millia numeraret, non vivant hodie viginti Catholici, omnibus aut Cromuelli gladio plexis, aut sententia hostis in exilium actis, aut peste, quae post gladium venit, sublatis. Quod facit ut tristis et squalidus ego hodie lugeam, civitate, | populo, ecclesia orbatus. Spectabuntne Principes Catholici siccis oculis ac dolore otioso adeo prodigum Christiani sanguinis profluviu[m] et miserabilem gentis Catholicae ruinam? Cui ut jam succurrere possunt, ita extinctam suscitare nequibunt. Faxis Deus nostris tandem sapient malis et melius religioni rebusque suis consulant, qui nos usque ad sanguinem et necem neglexerunt.

2221

(199) "Ut conditionem belli attingam, hostis habet ex Anglia militem, annonam, pecuniam, et bellicum commeatum. Nostris desunt omnia, et ideo nisi ipsos hactenus aluisset spes suppetiarum a Serenissimo Duce submittendarum, jamdudum cum hoste aliquas faederis conditiones inivissent. Sunt quidem multae nostratium copiae in variis Regni partibus armis instructae, magnum hostium numerum caedentes, ex quo Serenissimi Ducis adjutae sunt pecuniis. Sed in unum coalescere exercitum non possunt, quod stipendiis et commeatu careant, nedum diu stare aut contra hostem progredi, devastata circumquaque patria. Una autem res omnibus praecipuo timori est, ne hostilis exercitus sex millium veteranorum ex Anglia jamjam mittendorum numero auctus universae nationi exitium afferat et ruinam. Vident itaque vestrae Dominationes Illustrissimae in quanto versamur periculo. Hostem habemus haereticum, barbarum, pugnacem, opulentum; auxiliorum spem valde exiguum. Sanctissimus Dominus Noster nequit solus a ruina nos servare; aliis vero Principibus Catholicis, nactus occasionem nobis opitulandi, libenter se conjunget. Ad Imperatorem vix pervenit calamitas nostra. A Rege Daniae, Regina Suecica, Ordinibus Hollandiae, et Principibus Lutheranae aut | Calvinianae professionis in Germania sperari non potest auxilium pro fide Catholica. Polonus cum suis habet bellum intestinum. Hispanus conjunctus est hosti faedere et amicitia. Gallus turbas habet domesticas sedandas. Rex

2221

v

noster Magnae Britanniae gladium habet et fortē animū, sed desunt illi pecunia, arma, exercitus, quibus possit tam superbū hostem domare. Neque duci fertur consiliis eorum, qui cordi habent rem Catholicorum, utens Ormonio aliisque consultoribus multum invisis Catholicae religionis professoribus. Solus in arenam Sanctorum sanguine (ut ita dicam) cruentatam descendit Dux potentissimus Lotharingiae, et quia sentit se solum bello sustinendo imparem contra hostem milite et pecuniis tam potentem, implorat opem Catholicorum Principum, Rerum publicarum, Episcoporum, et omnium, qui volunt religionem contra haeresim, et Ecclesiam contra potestatem tenebrarum salvam, sed absque Regis Galliarum, e cuius portibus Iberniae propinquis omne genus commeatus bellici exportandum est, conjunctione aut saltem permissione, non valebit sublevare. Sed ingens derepente oboritur timor Iberni, praesertim in hac civitate habitantibus, ne rursum Serenissimus Rex noster in Iberiam mittat cum potestate Ormonium, quod, eo facto, actum sciant de patria et religione, quia verendum est ne Serenissimus Dux statim, ea re accepta, desertis rebus Ibernorū, alio animum et vires convertat. Sub Ormonio enim (nihil certius), licet milite, ferro, pecuniis vallato, peribit Ibernia, et religio Catholica, quam cum magno fortunarum | dispendio in tot abominandis haereticorum persecutionibus constanter jam per annos pene centum et triginta professi sumus et defendimus, penitus extinguetur, fiemusque nos mancipia haereticorum saevitia et tyrannide Turcis pejorum, ac Regia authoritas sanguine nostro diu defensa transibit propediem ad hostem. Nam contra Parliamentarios stare aut quidpiam defendere nescit Ormonius, quibus ignave permisit Pontanam, Wexfordiam, Ros pontum, Waterfordiam, Arcem *Duncanan*, Petram fortissimam, aliasque civitates, oppida, et arces. Corcagiae autem civitas eodem tempore et oppida Yogheliae, Dungarvan, Kinsaliae cum arce pervetusta (omnes portus maritimi) cum aliis quamplurimis minoris notae oppidis prodita sunt a perfidis praesidiariis sectariis, qui ante pacem initam sub vexillis Baronis de Insequin militarunt, et ad eum diem a pace inita se regios simularunt. Alii jacturam hanc gravissimam rejiciunt in Ormonii perfidiam in Regem. Verum ego ab iis in hoc dissentio, putoque illum Regi fidum, sed erga religionem Catholicam ejusque professores male affectum. Alii in defectum experientiae militaris, qua carebat ille, ut et virtutibus imperatoriis, quae Ciceroni pro Lege Manilia sunt labor in negotiis,

fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in confiando et consilium in providendo. Quibus an praeditus fuerit Ormonius, dicant mihi vel ipsi ejus assentatores? Mittet iterum Rex in Iberniam Ormonium Dubliniae traditorem, et Insequinnium tot civium caede et Religiosorum effuso sanguine et ignibus crematorum execrabi fama | notum? Hos violentos sectarios sacerdotum sanguine maculatos dabit Rex pro medicis sacerdotum et Romanae pietatis? Ut scilicet per ipsos causa Dei et religionis atque populi Catholici vitae, fortunae, libertas conserventur. Non essem Pastoris dignus nomine aut honore, si non clamarem contra hos lupos ad Catholicas oves rursum (uti fertur) mittendos, quorum flagitia, aliter a me tacenda, coram Dominatione tua Illustrissima tam magno fidei periculo sine scelere et scandalo non potui silere. Hinc constat Regem non posse sapientius inire consilium, quam si animum mutando, nullam populi Catholici curam his Dominis committat, utpote quibus Episcopi Iberniae, ipsorumque greges non audent religionem aut libertatem concredere. Et certe longe utilius erit Serenissimo nostro Regi, ut privatus absque imperio degat Ormonius, imo potius pereat unus ille, quam unitas Iberniae. In hac re gravissima, si Serenissimus Dux Aurelianensis (tua Illustrissima Dominatione sugerente) velit operam collocare et admonere Regem de periculo, in quo versatur Ibernia, si his Consiliariis credatur illius administratio, verisimiliter Rex convertatur ad cor. Quod ut melius fiat, sua Celsitudo poterit ipsi intimare, non fore Ormonium aequum Episcopis judicem, quos tenet omnes reos laesae Majestatis. Crimen autem ipsorum est quia unanimi universi Cleri sensu declararunt regiam autoritatem non esse amplius ab ipso sustinendam, excommunicando scilicet omnes et singulos, qui ipsius parerent | imperio, licet hoc decreverint, perditis ipsius culpa ecclesiis et civitatibus. Ob hoc crimen tanquam praedo involavit in pecuniam et bona D. Joannis, Episcopi Laonensis, Doctoris S. facultatis Theologiae Parisiensis, cui quatuordecim millia florenorum cum equis et supellectile abstulit, ipsumque, infirmum licet et sexagenarium, per prophanam militis haeretici manum in carcerem conjecit. De hoc eodem crimine me modo traducit coram Rege, cuius autoritati hucusque tantum detulit sua Majestas, ut me ad exhibendum subditi obsequium in conspectum admittere recusaverit, et ita inauditus a meo Principe condemnatus sum. Licet autem haec suae Majestatis sententia sit quoddam genus exilii, et

2222
v

2223

exilium sit scelerum paena, ego tamen (salvo Regis honore) gero me in hac causa omnino insontem, et contendo non debere accipi contra me absentem hac in re Ormonii testimonium. Nam more majorum comparatum est (ait Cicero) ut in minimis rebus homines amplissimi de sua re non dicerent testimonium. Hic autem de sua re contra me apertissimum testimonium dicit Ormonius, et me reum coram Rege vult probare, quia ipsius iniquae gubernationi et malis facinoribus cum reliquis Episcopis me opposui. Non deberet tamen haec inimiciiis patere via, ut quem quisque odisset, eum testimonio posset tollere.

2223 Insolebet forsitan ille de hac vana | Victoria contra Episcopum in patria Catholica, quia Victoria insolens et superba esse solet. Me tamen non vicit. In judicio enim qui non auditur nunquam vinci potest.

(200) "Quam fideles Regi decennii bello extiterint Episcopi Iberniae, orbis novit? In publicis Comitiis, in arcanis consiliis, in omnibus populi conventibus, etiam publice e pulpitis anunciamus Caesari reddendum quod suum est, omnes adhortando ad obsequium et obedientiam. Si aliter sensissent et docuissent Episcopi, non esset hodie sermo de Regis autoritate in Ibernia. Accedit quod multi nostrum pro fide et Rege a Parlamentariis gravissima passi sint. Episcopus Rapensis, plusquam septuagenarius, biennii carcere, squalore et fame maceratus, non desit esse regius. Waterfordiensis Antistes sexagenario senior, capta ipsius civitate florentissima, Regi imprimis fidelis, pulsus est in exilium. Venerabilis admodum vir, Praesul Ossoriensis, Kilkennia, civitate ipsius, subjugata, tremulus et decrepitus, annum agens supra octogesimum secundum, expiravit inter manus hostium Regi devotissimus. Ipse, qui haec scribo (sine jactantia dicatur), populo meo a Cromuello percutto, et Wexfordia, civitate mea, expugnata, quinque continuis mensibus erravi cum milite in campis, sylvis, et montibus (dum procul ab hoste Ormonius inter ludos et convivia tempus tereret), et publicis concionibus tam populum quam militem sum hortatus, ut starent pro religione, libertate, et Regis praerogativis. Si laborassem populum Parlamentariis conciliare, forsitan in illo tractatu potuisse | rem illam persuadere, sed fortiores in Regem fidelitatis testes illi sint, qui in servitio publico sanguinem cum vita profuderunt. Talis erat Archiepiscopus Tuamensis, vir magnificus, Parisiensis Academiae Doctor, qui occisus est a Parlamentariis prope oppidum Sligo. Talis Episcopus Rossensis captus cum turma

equitum et suspensus. Talis Episcopus Clogherensis, et ipse Imperator post gloriosissimae memoriae Eugenium O Nellum exercitus Ultoniensis (ipsius etiam Ormonii diplomate), vir sapiens et fortis, in praelio captus et postea suspensus, qui moriens sic publice locutus est: hic contra jus gentium (quia scilicet violata est fides illi data pro vita) morior Episcopus Catholicus et subditus Regis Angliae. Omnibus tamen his nihil juvantibus fidelitatis in Regem argumentis, si Ormonius vel alius quispiam Minister Regius nos agat injuriarum, causa nobis cadendum est, in hoc infaelicibus, quod quicquid a nobis geritur amore pietatis, modo regiorum ministrorum, qui nostram religionem et ordinem persequuntur, consiliis repugnet, id totum nobis vitio vertatur. Et eapropter jura nostra ac Ecclesiae immunitates dum defendimus, reputamur regiae authoritatis usurpatores, hincque nobis cum ministris illis (si nos accusent) dimicantibus minor solet haberi fides et honos, cum tamen reo magis quam actori favendum sit.

(201) "Hoc Episcoporum crimen idem est cum peccato Michae, quando viri de tribu Dan ipsi sacerdotem et deos abstulissent, qui cum respexit (nempe viri de tribu Dan) dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? Quid clamas? Quibus respondit: deos meos, quos feci mihi, tulistis, et I sacerdotem et omnia quae habeo, et dicitis mihi: Quid tibi est? Cum Ormonius non deos, quos fecimus nos, sed veri Dei altaria, ecclesias, sacramenta, et omnia nostra everterit, non licebit nobis coram Rege et mundo clamare: ecce, Illustrissime Ecclesiae Princeps, magnum scelus Episcoporum, nempe regiam autoritatem manibus Ormonii (ut ad hostem non transiret una cum Regno) excutere et ipsum, qui fere patriam totam perdididerat, declarare indignum, qui ultra Rempublicam administraret. Quod ipsum non nisi necessitate urgente decrevere Antistites, quibus nullus fuit ad Regem accessus, qui tunc temporis erat in manu Nationis Scoticae, ubi impia Puritanorum secta, apud illum populum potentissima, impulit Regem (ut fertur) diu multumque ipsorum vi et impietati resistantem ad Puritanicae conventionis juramentum (vocant vulgo *Covenant*), quod est faedus quoddam omnino sceleratum, quo se astringunt ad extinguendam Catholicam religionem. Erat insuper coactus edere infame decretum publicatum Dumfermilini in Scotia 16 Augusti 1650 contra religionem et Iberos, pacem cum ipsis antea initam velut impiam rescindendo, et ipsos tanquam perfidos et laesae Majestatis reos a sacra legum Regisque pro-

2224

v

tectione, quod subditorum asylum esse solet, abjiciendo. Judicet jam orbis universus, si remedium salutis nostrae, hoc est Ormonii exauthoratio, differendum erat donec Rex ita coarctatus consuleretur, aut pro crimine habendum, quod non habuerimus ipsius assensum, qui sui juris non erat, sed in potestate sectariorum Scotiae, ubi nihil pro gente nostra poterat statuere salutare, liberum, bonum, decorum, | nihil aliud facere, edere, jubere, quam ex nefario ipsorum dictamine religionis orthodoxae subversionem, populique eam profitentis servitutem atque excidium. Quod si fontem veneno purgare, aquam, quae navim submergeret, ejicere ; ignem extinguere, qui domum combureret ; si scelera haec sunt, omnes Episcopi illis involvimus. Si conatus proscribendi e patria ruinae et exitii publici authorem, quo res moderante Episcopis Ecclesiae, Regi civitates, populo fortunae et libertas erepta sunt ; per quem nullum stetit justitiae tribunal ; a quo data est commissio Francisco Darcae, pyratae, praedandi naves et bona subditorum (quod factum est clara luce, spectante populo, in portu Galviensi), sub quo consumpta est pene tota subditorum substantia, et quidem longe major pecuniae vis in Regno perdendo dilapidata, quam effudit hostis nos superando. Si talis (inquam) conatus sit crimen laesae Majestatis, ecce Rex habet Episcopos crimen fatentes. Haec satis sint ut sciatur mundus Episcopos Iberniae contendentes cum Ormonio, patriae eversore, non fuisse sceleratos aut Regni proditores ; ut etiam constet universo orbi, quam *bene* erit religioni Catholicae, si Ormonius aut aliquis aliis ejusdem professionis et invidiae in ecclesiasticos rursum sub Rege rerum potiatur in Ibernia. Et si justus hic pavor tantorum malorum ab Ormonio, Insequinno, et similibus viris Clero et populo Catholicoo impendentium non permoveat Regis animum ad aliter sentiendum, non aegre ferat sua Majestas, si pastores animarum et populus nimis afflictus | concordiam ineant cum Parliamentariis. Hoc ipsis permittit lex suprema, quae est salus populi, et certe longe erit consultius quam sub Ormonio, duce infaelicissimo, ab hoste vinci, et ingenuos homines fieri mancipia absque spe religionis aut pristinae libertatis obtaindæ.

(202) " Quid in his populi afflictissimi angustiis consilii capi possit ? dictu difficile est. Id autem ausim intrepide asserere, si ullus uspiam terrarum populus acerba unius aevi persecutione, fortunarum jactura, ac proprii sanguinis profusione pro vera religione a Principibus Catholicis praesulibusque Ecclesiae

Dei gratiam et auxilia promeruit, Ibernicus est. Belli nostri justitia et honestas summa est, populi autem conditio deplorabilis, ut cui certum imminet exitium, cuique brevissime aut moriendum aut in exilium eundum est, nisi imminentem cervicibus tempestatem Omnipotens avertat. Converte itaque (si placet) oculos, Illustrissime Praesul, in meretricem magnam, quae sedet super aquas Iberniae, cum qua fornicati sunt Parliamentarii Angliae. Haec est Babilon magna, mater fornicationum et abominationum terrae. Haec est mulier ebria de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu. Vere tempus est, vere voluntas Dei est, ut illa luat paenas pro sanguine servorum Dei in Iberniae occisorum. Id autem optime fiet armis, milite, auxiliis Principum et Praesulum Ecclesiae Dei. Ipsorum mora erit nobis ruina. Malum et morbum Ibernorum aperio. Affer, vir magne, remedium. Non magis ulla re eget Iberniae suprema necessitas quam piis promotoribus, qui magna pollent apud omnes gratia et autoritate. Et si tu | illius suscepferis patrocinium, haud dubie bona mente et munifica manu duces post te nobilissimos potentissimae hujus civitatis dominos dominasque devotissimas et precibus tuis moti venient in auxilium nostrum Illustrissimi et Reverendissimi Galliarum Praesules sapientia splendescentes et charitate Dei inflammati, cum augustissimo Clero Gallicano, quos non latet quam decorum et Deo gratum sit bellum nostrum pro religione susceptum piis largitionibus contra haeresim fovere, Episcopos ecclesiis, sacerdotes altaribus, silentio et disciplinae restituere monachos et myriades animarum Dei Filii sanguine emptas a ruina vindicare.

2226

(203) "Macte itaque animo, nobilissime Ecclesiae Princeps, multos et potentes causae nostrae patronos tu concilians exemplo, ad quod obsequium religioni et calamitati nostrae debitum incitant omnes zelus Dei et studium pietatis. Ut autem ego extorris, nimiumque consternatus Praesul hominum animos ad misericordiam inflectere queam; in conspectu omnium, qui habent in se Dei timorem, tanquam aquam effundo lachrymas, vota, preces, suspiria, ipsasque animas sacerdotum, viduarum, infantium, et egenorum omnium in Insula Sanctorum, cum periculo et ipsa morte conflictantium, te, omnesque alios, quos tangit amor Dei, in nomine Crucifixi Jesu obtestans et conjurans ut non sinatis populum Catholicum sub perduellium haereticorum gladio perire. Non patiantur Illustrissimi piissimique Praesules, Clerus augustissimus, et

2226 nobilissimus populus Gallicanus ultra in gente nostra Dei
 nomen blasphemari, neque alteri dari gloriam ejus, sancta
 v Dei tempa pollui, et bestiis tradi animas Sanctissimo Deo
 confitentes, sed eripiant e faucibus haeresis Iberniam, quae
 ut a centum annis sectariorum rabiem toleravit et saevitiam,
 ita olim Galliae totique Europae Sophiae greges et Sanctorum
 examina effudit." Hactenus illa Fernensis Relatio.

(204) Hic Fernensis Iberniae ruinam Ormonio imputans: "alii (inquit) jacturam hanc gravissimam rejiciunt in Ormonii perfidiam in Regem. Verum ego ab iis in hoc dissentio, putoque illum Regi fidum, sed erga religionem Catholicam ejusque professores male affectum." Sic ille. Quae de Ormonii in perdendo Iberniae Regno mente intelligenda sunt, quasi Fernensis credidisset Ormonium Ibernam perdidisse, non ea mente ut Regi noceret, sed ut suum in fidem Catholicam ejusque professores odium exerceret. Hunc esse Fernensis sensum ex iis, quae cum aliis Episcopis in Ibernia Ormonio objecerat, et ex multis hujus ipsius Relationis locis antecedentibus et sequentibus colligendum est, quibus subinde Ormonio Iberniae excidium vitio vertit, instatque ne iterum in Ibernam Prorex destinetur, alias magis magisque ejus culpa evertendam. Simili quoque interpretatione intelligo Comitiorum Loghreaghensium (sicut alibi tetigi) actum 7º Decembbris 1650 latum, quo de Ormonii fideli in Regem mente testimonium perhibetur. Verum licet in confessio haec de Ormonii mente testimonia ponerentur, absolute tamen loquendo in Regem, qui fida mente esse potuerit, qui Regnum ipsi integrum sua culpa perdiderit, sive id Regis, sive Catholicae religionis, sive ejus professorum odio patravit?

2227 Quare | Fernensis perfidiosam potius in Regem mentem Ormonio objecisset, quod ab ea mente non declinarit, qua atque ejus executione factum, ut nedum Catholicis et Catholicae religioni contra pacis cum ipso initiae articulos, sed etiam ipsi Regi Regnum perdiderit. Haec accusandi apud Regem Ormonii norma fuit Fernensi tenenda, qua ob ridiculam illam Ormonii in Regem fidei interpretationem neglecta suam apud Regem causam jugulavit. Meminisset declarationis Jacobopolitanae, qua ipse atque alii Iberniae Praelati 12 Augusti 1650 edita: "Itaque (inquiunt) tam nostro quam aliorum Catholicorum Regni nomine declaramus contra dictum Marchionem Ormoniae, quippe qui malo suo Regni gubernio, infausto regii exercitus ductu, violatione publicae fidei erga populum, specialiter in

multis articulis pacis, reddidit et exhibuit se incapacem continuandi illius magni depositi, quarum omnium injuriarum et mali gubernii reus tenetur respondere coram sua Majestate, in quem effectum nos cum aliis Regni membris contra illum agamus, sua illa crimina coram sua Majestate objiciendo, et justas illorum paenas exposcendo": Haec ibi. Quibus Fernensis per reliquas suae Relationis partes ita generose instituit, ut tamen praefatam clausulam de fida in Regem Ormonii mente gratis et absque fundamento prolatam non inseruisset. Nec dubito quin Fernensis magnis lateribus Iberniae Episcopos, eorumque in Regno fautores de Ormonii exauthoratione atque explosione Regi purgasset, et eo animo Ormonium apud eum tot proditorum postulasset, nisi Ormonius sibi tot criminum conscius, et sagacissime cavens, proindeque Regem solitis artificiis occupans, antistitem audientia intercludendum curasset. Quae sane ulterior Ormonii ars plurimum probat Iberniae Clerum haud eum in Ibernia fuisse calumniatum, sed justissime et justo tardius effecisse ut tanquam infamis Regni proditor exploderetur. Secus enim Ormonius tantum abest ut Fernensem aditu ad Regem intercludendum curasset, ut etiam citasset tam congrua gavisurus occasione, qua, Fernensi auditio, et controversia apud Regem discussa, suam innocentiam demonstrasset, praesertim cum eum anno 1650 exeunte in Ibernia hac de re adeo sollicitum viderimus, ut omnes suae et sagacitatis nervos et factionis conatus intenderit, quo se accusationum capitibus aliqua demum ratione expediret. Porro Fernensis id per illam Relationem assecutus est, ut nemo exinde non crediderit eum Ormonio atque Ormonistis anno 1648 coaluisse non voluntate ipsorum praemiis empta, sed improvida. De reliquo eum Ibernis suppetias obtinuisse non reperio, quas sua Relatione petiit.

2227

v

(205) In Ibernia Muskrius, viribus in utroque Kieriae et Corcagiae Comitatu conscriptis, urbi Limericensi ab hostibus obsessae opem latus movit. Verum Brohillus, Comitis Corcagensis filius, illorum proditorum, qui anno 1649 in praesidiis Momoniensibus a Rege et Prorege ad Cromuellum turpissime defecerant, princeps, ipseque haereticus, cum iis, quibus in ea Provincia sub Parlamento Anglicano imperaret, copiis Anglicanis in eum processit. Cumque alter alterius itinera aliquandiu observassent, et meliorem semper pugnandi occasionem expectassent, demum Muscrius in Brohillum impetum fecit, et ita acriter dimicatum est, ut tamen haeretici

2228

victoriam reportarint, et Catholici, non paucis suorum caesis, vulneratis et captis, receptui cecinerint. Quo die praeter alios ex Muscrii parte paeclare dimicans occubuit Florentius Mac-Cartius, Mac-Finini, Vallis Ruachiae dynastae ex Dermitio filio nepos et Mac-Finini in hoc bello nominati patruelis, vir nobilis, magnanimus et magnificus. Porro Muscrius deinde operam dedit ut numeros suppleret, et illatam sibi jacturam ulcisceretur. Alias hujus anni in Ibernia velitationes et belli vices, quae in diversis Regni partibus successerunt, discas ex sequenti epistola, quam Hewsonus, Dubliniae sub Parlamento Anglicano Gubernator, ex Ibernia in Angliam Anglice scripsit.

“ Domine.

(206) “ Hostibus sua diversa agmina, quo Limerico subvenirent, in unum corpus congregare molientibus ipse eorum consilium paepe diturus Atloniam versus movi. Cumque Clanricardius, Dunganus, et alii cum eorum exercitu in Conacia se tenerent, Dominus Praeses in ipsos processit. Verum illi Jacobopolim fugerunt, et ex eorum exercitu non nulli ad Comitatum Longfordensem venerunt, qui in *Castro-novo* et quibusdam aliis illius territorii locis praesidiarios collocarunt. Sed Theophilo Jonio Equite a me misso, qui *Castrum-novum* expugnaret, id illi | deseruerunt, et in paludes aufugerunt.

2228

v

Cumque me Ballimoram tendere didicissent, flumen ad Beallalegam trajecerunt. Ballimorae aegrotavi. Commissarius Generalis Reynoldus, ad nos veniens Athlonia Beallalegam versus movit. Unde Clanricardius cymba dilapsus, dominique ei assistentes Jacobopolim evaserunt, et Dunganus cum suo equitatu peditatuque fluvium transmisit. Commissarius Generalis Reynoldus Beallalegae castellum occupavit, et Dunganus recta in Comitatum Regium movit. Ubi autem Venabus, Tribunus (ex Ultonia) ascendisset, in Concilio castrensi decrevimus ut Venabus cum duobus equitatus et peditatus millibus Ruropolim (Baille-na-cairrige) expugnandam aggrederetur, et Commissarius Generalis Dunganum in Comitatu Regio vires cogentem insequeretur. Dumque abessem hostes duo vel tria praesidiola ceperunt, et non nulla mala ad Dubliniam perpetrarunt. Jam, Dungani viribus dispersis, Commissarius Generalis Kilkaeam, unum ex nostris praesidiis nuper perditis, obsidet. Scotorum profligatio corda nostra consolatur. Spero Tarquinium juniores esse modo captum vel reperiendum, ut recipiat quod scriptum est Isaiae xiv 20, 21.” Haec ille 15^o Septembris 1651.

(207) Hic Hewsonus ex sutore Anglicano miles, deindeque collectitiae latronum manus Tribunus, ac demum Dubliniae sub regicidis Gubernator, quanto | rebellionis aestu et furore Regem, Carolum 2m, tunc ejus exercitu Scotico recens caeso in Anglia apud Catholicos delitescentem, et a suis subditis carnifices induitis ad securim diligentissime conquisitum vocat *Tarquinium Juniorem*, proindeque innuit se patrem ejus, Carolum primum, vocare Tarquinium Seniorem? Quanta etiam impudentia ac rabie dicit se sperare Carolum secundum tunc captum vel reperiendum, ut reciparet, quod scriptum est Isaiae xiv 20 et 21. Quem sacrae paginae locum, ut non solum illius nefarii nebulonis, sed etiam pseudo-Reipublicae Anglicanae, cuius autoritate publica illa epistola tunc Londini typis libentissime mandata fuit, crudelitas in domum regiam innotescat, hoc transfero: “Omnes (inquit ibi propheta Isaías) reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo sua. Tu autem projectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis pollutus, et obvolutus cum his qui imperfecti sunt gladio, et descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum. Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura. Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. Non vocabitur in aeternum semen pessimorum. Praeparate filios ejus occisioni in iniuitate patrum suorum. Non convergent, nec haereditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.” Hactenus propheta.

(208) Inter alia loca ab hostibus in Conacia hac aestate capta Loghreaghum fuisse reperio. De qua re | Doctor Enos: “Accidentem (inquit) Carolum Cootum cum mille equitibus ad municipium Lothreaghense anno 1651, ubi tunc erat ipse Excellentissimus D. Clanricardius cum potenti militem manu, milites accensis ad pugnam animis aggredi voluerunt, opportunamque occupantes stationem rejecerunt. Ne tamen ultra progrederentur, idem Excellentissimus Marchio prohibuit, calvam hanc allegans excusationem: nolumus nostras in discrimen deducere copias, sed expectabimus suppetiarum Lotharingicarum adventum, et tunc unitis viribus hostem aggrediemur. Cedens ergo municipio cum suo milite, illud hosti imbelli reliquit. Interim, quibus poterat, summis conatibus dictarum suppetiarum adventum impedivit. Quam est haec sincera erga Regem et coronam fidelitas.” Haec ille. Qui subjungit splendidum esse mendacium, quod Bellingus in suis Annotationibus tradit, Cootum scilicet cum iis copiis Logh-

2229

2229

v

Just.
cap. 31.
num. 13.

reaghum obsedisse, quibus Clanricardius resistere non valeret.

(209) Aliae hoc anno belli Ibernici vices fuere, quibus minoris momenti loca, praeter ea, quorum expressam mentionem fecimus faciemusque, ab hostibus expugnata sunt. Ex quibus non nulla nunc a nostris recuperata, nunc ab hostibus iterum ad ditionem coacta. Multi etiam a nostris et ab hostibus adhibiti sunt conatus, ut alii alios praeliis superarent. Sed Iberni a Clanricardo atque aliis Ormonistis plerumque ducti ita pugnam subinde declinarunt, ut tamen hostes metu continuo suspensos crebris insultibus fatigarint. Sed tempus est ut ad obsidionem Limericensem, quae expeditionum Ibernicarum hoc | anno ab hoste susceptarum praecipua fuit, redeamus.

(210) Civitatem illam hostes, Waterfordia et Duncania captis, anno superiori ex australi tantum parte obsederant, sed obsidione deinde soluta, commeatu et commercio civitatem ex eadem parte intercludere conati sunt. In quibus illi parientis incommodis etiam hoc anno perstiterunt. Sed demum cum Henricus Iretonus, Cromuelli gener, et pseudo-Republicae Anglicanae in Ibernia *Deputatus*, ex Momonia Sinenum, flumen, quod civitatem Limericensem velut insulam ex utraque parte ita alluit, ut infra muros denuo solidum ac coalitum mari immergatur, hac aestate exordiente vires trajecisset, Limericum ex utraque parte obsideri caepit.

(211) Circa hanc obsidionem mihi praemanibus est ipsius Iretoni epistola Limerico 3° Novembbris 1651 Londinum ad Parlamenti Anglicani Prolocutorem, Guillelmum Lenthalum, scripta, eidemque annexi ditionis articuli, et quarumdam rerum ditionem securarum relatio, omnia tunc Londini typis mandata, nec non P. Fabiani O Mulreani, Dominicani Iberni, qui pendente obsidione se in civitate tenebat, Relatio MS., postea ab ipso Romae Latine contexta. Ex quibus, atque aliis non nullis actis integrum hic conficio illius obsidionis narrationem.

(212) Multum causae Catholicae, et antea, et in hac occasione | nocuit ipsorum Limericensium discordia. Quorum alii causae v jam dictae fautores mente integra, alii Ormonii dogmatibus imbuti constuprati erant, usque adeo ut ipse Iretonus civitate jam dedita praefatis suis litteris 3° Novembbris datis Parliamentum Anglicanum in ejus Prolocutore alloquens: "Multi (inquit) nunc civium, et inter eos non nulli viri haud obscuri sunt, qui semper, et particulariter in hac ditione, ita Anglos

et rem Anglicanam se gesserant, ut digni sint, quibus hic persistendi potestatem faciat, et cum illis favorabiliter procedatur circa eorum possessiones." Sic Iretonus. Ex quo ejus loco constat Limericensium multos, et ex civitatis primoribus non nullos fuisse pestilentissimos patriae et causae Catholicae proditores. Et P. Fabianus: "maligna (inquit) pars civium praedictae civitatis tractatum de ditione tertia die obsidionis incepit. Tantus erat ardor illorum, ut non suis viribus, sed illorum ausibus et malitia usus Iretonus obsidionem incepisse crederetur. Sed Episcoporum et aliorum cura ac diligentia primus hic impetus effectum non habuit. Postea clanculariis interlocutionibus cum inimicis mussitantibus illis in civitate cum numero adhaerentium crevit audacia, ut inimicum de nocte inducerent ut mactaret, perderet, et trucidaret. Hujus rei gratia portam unam civitatis nuncupatam *Aquae portam* nocturnis | egressibus aptiorem quasi ex privilegio civibus custodiendam, suis satellitibus petierunt et obtinuerunt cum eousque omnes stationes civitatis foraneis et stipendiariis militibus custodienda destinarentur. Hoc facto internuncium ad hostium castra destinaverunt Andraeam White, perfidissimum hominem, quo recedente rumor factus est de traditione civitatis per tres noctes atque dies, nullusque sibi securus quiescere aut dormire poterat, donec nova diligentia hujus portae custodia ad priorem formam redacta est." Haec P. Fabianus.

(213) Anno 1649 cum suorum Ultoniensium exercitu in Momoniā perrexit Hugo O Nellus, Eugenii O Nelli ex fratre nepos, qui cum ex Mac-Cartiis Desmoniensibus in ea Provincia nobilissimis genus maternum traxerit, Momoniensibus nedum ob merita haud vulgaria sed etiam ob necessitudinis vinculum charus fuit. In qua Provincia hactenus p̄aeclarissime se gessit, etiam ab urbe Limerensi in Gubernatorem cooptatus. Fidem in se positam Hugo etiam hic non fefellit. Quinimo inter hanc obsidionem adeo prudentiam militarem, animi magnitudinem, causae Catholicae zelum, et rectam in Deum hominesque (quantum ex fructibus arborem cognoscere licet) mentem exercuit, ut civitatem quidem perdiderit. Sed culpa adeo non sua, ut perdendo triumpharit et aeternam sibi, etiam apud aemulos Catholicos, atque hostes haereticos, famam conciliarit. Porro inter res ab eo, dum Limericum obsidione premeretur, p̄aeclare gestas haud ultimum locum meretur illa clades, qua Iretoni copias affecit molientes inter tenebras quandam insulam Limerico vicinam intercipere, ut ibi vallo | subitario 2231 v

se munirent, et exinde civitatem validius, facilius, et proprius ad dditionem cogerent. Verum Hugo hostium animum et stratagema odoratus ita insulam viribus ante vallaverat, ut cohortes ab Iretono ad eam occupandam destinatos non modo represserit, sed etiam omnes pene ad internectionem deleverit. Qua Iretonus clade detritus, non tam aggressionibus quam fame Limericum expugnandum duxit. Quare aggeres militares, fossas, et valla castrenia singulari suorum industria ac labore absolvit, et exercitui de rebus omnibus ad protrahendam obsidionem prospexit. Qua tamen ad plures menses incassum protracta, et hyeme jam imminente, timuit ne milites, si ibi hybernarent, per centurias perirent et re infecta caeptis desistere cogeretur. Hinc observato quodam loco, quem Deus eum ante celaverat, ad suggestum tormentarium idoneo, jussit ut machinae bellicae majore numero quam antea ex variis suis praesidiis adveharentur. Quibus apportatis, hostes una nocte obsidionales accessus caeperunt, et suggestus tormentarios perfecerunt, nocteque secunda ibidem machinas obsidionales collocarunt, libraruntque, ut postero mane machinarum fulminationibus muros dejicere et viam sibi ad irruptionem sternere caeperint. Quo viso obsessi miserunt, qui obsidentibus pollicerentur se conditiones, de quibus antea per tres septimanas cum Limericensium Commissariis in hostium castra saepius missis agebatur | accepturos. Reque ipsa illo vespere Limericensium Commissarii in eum finem ad castra hostilia regressi, ita de quibusdam articulorum circumstantiis, circa quas antea partibus non convenerat, agere caeperunt, ut postero mane ambae partes dditionis pactum absolverint.

(214) Thomas Strichaeus ab anno superiori civitatis Praetor longe meritissimus, paucis retro diebus illo suo officio defunctus erat. Cujus zelo et constantia magnam partem factum ut civitas per plures menses dditionem distulerit. In novum autem Praetorem, partibus, quae Clero et fautoribus adversarentur, et ad dditionem maturandam propenderent, praevalentibus, electus est Petrus Creaghush, vel (ut non nulli dolant) Crevaeus, qui praeter commune et Praetoribus praeiri solitum fidelitatis juramentum, alio sacramento ob suspicionem, quam subierat, se in Dominicanorum Conventu coram Episcopo Limericensi et multis aliis obstrinxit futurum ut circa civitatis dditionem nihil sine Cleri una obsessi consensu moliretur. Quo non obstante, vix octavum deinde diem implevit, cum alter Petrus Creaghush, quo Praetore civitatem Limerensem

Scarampo, Ministro Apostolico, refragatam fuisse vidimus, D. Joannis Creaghi, postea Alexandro VII^o Pontifici Maximo a Sacello, frater, cum aliis duobus inter noctem ad castra hostilia dimissus rem totam conclusit in Praetoris curia, Clero et fautoribus invitis, confirmatam | non sine magna utrinque animorum contentione et controversia. Nam non nullis obsessorum Episcoporum cum quinque aliis ecclesiasticis, nec non Hugone O Nello, civitatis Gubernatore, Purcello, copiarum Momoniensium olim legato generali, Zepherino Galvaeo, et Richardo Everardo, Equitibus auratis, aliisque laicis de Patria et religione Catholica optime meritis, et viris conspicuis per quartum conventionis articulum (sicut videbimus) nominatim exceptis, atque hostium crudelitati ex pacto relictis, coivit in unam concionem Clerus, Episcopi, Abbates, et ex diversis Iberniae partibus tunc in civitate obsecssi ecclesiastici diversi gradus ac ordinis circiter trecenti.

idem.
ibid.

2232

v

(215) In hac Congregatione mota est quaestio : *an Tyranno potenti innocentem tradere liceret in aliorum salutem?* Episcopo autem Immolacensi prudenter prospiciente, habitus est quorundam Theologorum delectus, quibus commissa quaestionis decisio. Ex quorum numero P. Fabianus O Mulreanus : “ re (inquit) satis luculenter examinata, responsum est a Theologis non licere tradere viros tot aut tales, quorum magna pars erant personae publicae ad utriusque status conservationem necessariae, quales Praelati, praetores et Praefecti exercitus, atque iterum convocato Clero universo conclusum est inter eos non esse tradendam civitatem his conditionibus. Hoc decreto jam publicato, sequenti die Praetor Concilium malignantium advocavit, eodemque tempore in ecclesia | congregatis, inter nos unanimiter statutum est in corpore ad corpus introire. Deus bone ! cuius vel saxeum pectus non flecteretur hoc spectaculo. Ingressi sumus praecedentibus duobus Episcopis, Limericensi et Immolacensi, trecenti et amplius viri ecclesiastici cum Expraetore et aliis exceptis personis, quasi agmen agnorum ad lupos, sed heu misericordiam frustra sperantes. Responsum accepimus rem esse conclusam, nec aliud superesse, nisi ut quisque liberet animam suam. Contestati sunt Episcopi et protestati. Libri Juris Canonici in medium producti, aperti, lecti coram omnibus quod hoc facto civitas Limericensis perderet privilegia civitatis et Episcopatus, fierent cives infames et incapaces ad dignitates ecclesiasticas. Et alia multa id genus dicta et protestata sunt, dum legeretur *Clementina* :

2233

Si quis suadente diabolo. De paenis. Et factus est tumultus magnus clamantium ex utraque parte. Dum enim Clementina alta voce legeretur et horrerent quidam paenas illas, quae in jure ponuntur, insurrexit quidam Jacobus de Burgo de factione malignorum et exclamavit: Tolle, tolle jura crudelia, jura iniqua. Quid ad nos de libris vestris? Nos civitatem nostram conservabimus. Vos videritis. Provideat unusquisque sibi. Quibus dictis uno omnium murmure ejecti sumus e curia." Haec P. Fabianus. Quibus addam quae Doctor Enos habet: "Cum (inquit) Ormonius in prima obsidione per suam in civitate factionem illam tradere non potuisset, aucta demum

2233

v

Iust.
cap. 31.
num. 12.

post ejus discessum per Portu-Castellanum tandem factione, facile voti compotes facti sunt. Jam enim civitatem inse-
derunt Geraldus Fenellus, Inferni silicernum, Joannes Walshaeus, pragmaticus demagogus, uterque de numero eorum perditorum Consiliariorum, qui, inita cum Insequinnio faeda armorum suspensione, Ormonium ex Gallia (anno 1648) re-
duxerant, Petrus Butlerus, Richardi Butleri Equitis aurati filius, insignis demagogus, et Edmundus Fenellus, miles vertiginosus et infamis munitionum faederatorum proditor. His accessere novus Praetor, Petrus Crevaeus, nunquam non proditor. Bartholomaeus Stacpol, advocatus Civicus, ex pro-
genie Judaeorum (ut fertur) originem ducens, Sarsfieldus, uterque Whitaeus, et alii quamplurimi perditii Ormonistae, qui cum inimici hominis coloni essent, seditionis zizania indesinenter disseminarunt, tandemque civitatem (juxta narrationem Chilarchi, Fitz-Patricii, et quorundam tunc urbem incolentium) inexpugnabilem prodiderunt. Nulla Comitialium Angliae vi aut potentia ad unum usque annum (inquit idem Chilarchus) expugnari poterat civitas Limericensis. Annona quippe et milite, armorum aequa ac munitionum et vallorum fortitudine, omni denique apparatu bellico copiose erat instructa, et fortiter munita. At invalescens in civitate sicut in corpore cancer, factio Ormonica pleraque civitatis membra seditionibus et tumultibus corrotis atque exedit. Hinc Fenellus, illinc Walshaeus, hic novus Praetor et Stacpol, ibi Butlerus, Whitaeus, et alii civium ac militum animos potenter invadunt. Fenellus ipsum civitatis Episcopum et quosdam ad deditio-
nem sollicitat ecclesiasticos, asserens nullum a quovis expectandum esse levamen aut obsidionis solutionem. Ad haec indignabundus Episcopus: Ubi ergo post tot promissa Ormonius? Ubi Clanc-
ricardius? Ubi Muskrius, Dillonus, Prestonus, Taaffus,

2234

caeterique male feriati duces, qui, ante triennium, Eugenium O Nellum, faederatosque Catholicos tam operose persecuti sunt ut plura eis extorserint oppida et munimenta. An non possunt illi omnes modo unam, eamque debilem, solvere obsidionem? Siccine post tot imprecations, juramenta, et vota, religionem, Regem et Regnum perditis? Tandem Praetor, gubernatore postulante, ligones, aliaque instrumenta aggeribus egerendis et vallis erigendis necessaria comparare detrectat. Ille aliqui deprehensi et accusati, quod occultum cum obsidentibus tenuerint commercium, intrepide et fastidiose fatentur. Accessit ad Satellitem majorem, Purcellum, juvenis magnanimus, Dominici Fanningi filius (quid ob paeclaras animi dotes caeterorum omnium in civitate juvenum et multorum civium imperabat animis) et amica reprehensione dixit: Quamdiu, quamdiu statis hic otiosi et desides, dum factionistae corde et animo depravati praesentem nostram machinantur ruinam? Concedite mihi semel facultatem illum facionistarum et demagogorum manipulum aggrediendi, illosque ad unum | omnes intra duas horas cicurabo. Alias si machinato tempestive non occurratis malo, actum erit brevi de capitibus vestris. Satius tamen duxit Satelles major motos componere seditionis fluctus. Quod aliud nihil erat, quam factionistis ex se pusillanimis animos addere. Dum ille ad perfectum animorum concentum eos perducere nititur, ipsi castrum occupant, atque in ejus fastigio accensis facibus et rogis, tradendae obsidentibus civitatis signum edunt, reserata demum S. Joannis porta, eosdem occulte introducunt, iisque civitatem tradunt et produnt, reclamantibus Satellite majore generali totius Regni, et loci Gubernatore, Hugone O Nello, caeterisque ei pro religionis, Regis, et Regni conservatione adhaerentibus." Haec ille. Qui etiam ibidem habet perfidum Chiliarchum Fenellum gnavum factionistarum se exhibuisse instrumentum eorum molimina executioni mandando, et post introductum hostem civitatis machinas in ipsa S. Joannis porta, aliisque adjacentibus libratas in ipsam civitatem convertisse." Haec ille. Porro Poncius quendam Mac-Namaraum proditoribus accenset.

(216) Ex his quae dixi constat Limerici fuisse proditores partim cives, partim Ormonistas aliunde introductos, fatendum tamen est haud defuisse circumstantias, quae eorum perfidiam attenuasse videntur. Nempe 1°, civitatem Limericensem tunc exeunte Octobri quinque circiter mensium obsidione, fame, et peste intus nedum gladio foris male multatam fuisse. 2°.

Toto illo tempore expectasse ut Clanricardius Prorex a Septentrione, et ab Austro Muskrius obsidionem solverent, sed |
 2235 Clanricardium opem non tulisse, et Muskrii viribus ab hoste profligatis, et Davide Rochaeo, nec non Moriarto O'Brien, Chiliarchis, causae Catholicae studiosissimis, qui in eadem Momoniae Provincia ad succurrendum urbi nihil non tentabant, cum copiis longe imparibus, quibus praeescent, temere accedere non ausis, spem illam evanuisse. 3°. Copias regias in Anglia a Cromuello recens fuisse occidione deletas, captas, dispersasque, proindeque spem, quae Limericenses aluerat, futurum scilicet ut Anglia bellis intestinis distracta obsidentibus non succurreret, in fumum abiisse, et mox successisse casum ex diametro oppositum, quo Respublica Anglicana depressis domi regis terribiliter potens, et triumpho jam confecto insolescens, Iberniam tunc plusquam unquam antea adoriri poterat. 4°. Lotharingi expeditionem Ibernicam tantopere a sincera Ibernorum parte et tamdiu desideratam ad nihilum recidisse, ipso Lotharingo ob mutatam in Anglia, Ibernia, et Scotia rerum faciem Parliamentariis usquequaque aspirantem, victoriae super hoste jam adeo potente reportandae animum pene despontente et articulos proponente, in quos pene nemo judicaret Reginam Angliae, Ducem Eboracensem, Ormonium Limericensibus infensissimum, et continuo de procuranda ipsis ope parum sollicitum, Clanricardium ab Ormonii nutu per commercia epistolatoria pendentem, et alias Ministros regios haereticos et Anglicanos, et demum ipsum Regem consensuros, sicut vel ex ipsis | Clanricardii litteris, si non aliis, certe illis,
 2235 v quas 16 Octobris Episcopo Dromorensi scripserat, quasque superius legeris, in Ibernia ante satis superque constabat. 5°. Vix dubitandum quin haec Ormonii et Clanricardii mens Ormonistis Limerici se tenentibus ante pactos deditiois conditiones innotuerit per vias certissimas, partim ut suae tutelae quam possent optime prospicerent, partim ut eorum non nulli Ormonio prae ipsorum aliis addicti civitatem potius (quae tamen circumstantia eos majori suspicioni obnoxios reddit) Parliamentariis proderent, quam sinceras Ibernorum partes in Lotharingo introducendo secundarent. 6°. Obsidentes his novis rerum circumstantiis elatos ita cervicem erexisse, ut conditiones (sicut ex praefata Iretoni epistola 3° Novembris data liquet) ad exeuntem Junium civitati oblatas sed tunc rejectas, jam mense Octobri concedere noluerint, sed multo peiores. Unde ex obsessis illi, qui urbem modo jam dicto

dedendam curarunt, Cleri sententiam duram esse affirmabant, velut qua successisset ut non solum illi viginti duo ab Iretono excepti, sed etiam omnes alii citra ullam illis viginti duobus proficiendi spem essent perituri. Inter has luctuosas rerum angustias nemo inficias iverit quin trecenti amplius ecclesiastici, quorum octo tantum Iretonus pacti dedititii beneficio exclusos voluit, in exclusos generosissime se gesserint manifesto vitarum suarum periculo. Conditions autem adeo dedititiis omnibus infaustas ut eorum angustias redoleant, hic Latine verto, tunc ab Iretono ad Parlamentum Anglicanum transmissas, et a Parlamento approbatas | atque in lucem editas.

2236

*"Capita articulorum 27 Octobris 1651 factorum,
quibus Limericum D. Deputato Iretono deditum
fuit in usum Parlamenti et Reipublicae Anglicanae."*

(217) "1°. Ut civitas, castrum, et omnia ibi loca munita cum omnibus tormentis bellicis, armis, apparatu militari, atque aliis instrumentis bello destinatis, nec non bonis hac conventione non exceptis dedantur 29 Octobris 1651 sine manticulatione, et Pierius Lacyus ac Donochus O'Brien, chiliarchorum legati, nec non Dominicus Whitus, Senator, et Nicolaus Halyus Armiger, in obsides relinquuntur.

(218) "2°. Ut omnes quamdiu sub D. Deputati protectione permanserint, horum articulorum virtute de vitis, libertatibus, vestibus, pecuniis, &c. securi sint, exceptis personis hic sequentibus, quae sunt: Major Generalis, Hugo O Nellus, Gubernator. Major Generalis Purcellus. Zepherinus Galvaeus Eques. Lacyus, subchiliarchus. Georgius Wolfus, centurio. Sextonus, subcenturio. Episcopus Limericensis. Episcopus Immolacensis. Joannes Cuillinus, Dominicanus. David Rochaeus Dominicanus. Laurentius Walshaeus, sacerdos et centurio. Franciscus Wolfus, Franciscanus. Philippus O Duir, sacerdos. Dominicus Fanagus Senator. Thomas Strichaeus Senator. Jordanus Rochaeus Senator. Edmundus Rochaeus civis. David Rochfordus | civis. Richardus Everardus Eques. Doctor Higinus. Mauritius Bagotus. Zepherinus Barronus. Evanus, miles Walliensis, qui ad hostes refugit et omnes a 24a superioris Junii die exploratorum munere functi, qui horum articulorum beneficio excluduntur, nec non ii, qui quempiam ex praefatis absconderint.

2236
v

(219) “4°.* Ut omnes alii officiales, milites, et aliae personae in civitate existentes, cum suis vestimentis, sarcinis, et impedimentis, pecunia et bonis quibuscumque, exceptis armis, apparatu bellico, et instrumentis militaribus, in quemvis Iberniae locum, in quo Parlamentum praesidiarios non habet, moveant, ii quidem, qui in castris equestres vel pedestres officiales egerant, et equitatus duces cum equis, sclopulis, et ensibus, sed alii officiales mandatarii cum solis ensibus. Quibus etiam dabitur ad asportanda bona spatium trimestre, iisque, qui ad hostium praesidia perrexerint, salvus conductus confiando decem milliaria per diem, et vecturae nec non res cibaria ab incolis pretio solito suppeditanda.

(220) “5°. Civium licentia permanendi Limerici a sola D. Deputati prudentia dependeat, et quadrimestrem habeant praemonitionem ad familias removendas, et sex menses ad bona transportanda, et si ex licentia in urbe remanserint, protegantur, fideque publica migrant, si discesserint, sed non in ullum ex Parlamenti praesidiis. In partes etiam ultramarinas se transferre valeant. Idque totum ea lege ut debitam taxarum, nec non vectigalium publicorum partem pendeant, et se, sicut aequum est, gerant.

(221) “6°. Ut omnes non exclusi (sacerdotibus, Religiosis, et aliis ex Clero Papistico exceptis) qui Parlamento | Anglico se pacifice submiserint, ubi ad D. Deputatum recursum habuerint (modo judicatum fuerit expedire ut admittantur) in quacumque Iberniae parte quiete resideant, sed paenis ob ea, quae antea patrarint, infligendis per hanc facultatem non liberandi, nisi tantum durante tempore limitato.” Hactenus illae conditiones.

Iretoni
epist.
3 Novem.

(222) Urbe dedita moverunt mille circiter et ducenti partim milites, reliquis his mille praesidiiorum inter obsidionem desideratis, inter quam etiam ex civibus quinque amplius millia gladio, fame, et peste diem obierunt, superstitibus post deditonem ex civium numero quatuor millibus ad arma per aetatem idoneis, quos tamen haud bello assuetos, sed mercatores, vel aliis artibus civicis deditos fuisse conjecto. In civitate repererunt hostes machinas bellicas, aeneas quidem octo, sed ferreos sedecim, praeter alias secundarias 24 partim aeneas, partim ferreas, pulveris nitrati dolia 83, et arma tribus

peditum millibus quingentisque instruendis paria, cum non nullo alio levioris momenti apparatu bellico et sclopulis, ac veteribus ephippiis, sed absque equis.

(223) Ex iis quos exceptos fuisse vidimus, eodem die 29 Octobris suapte sponte decem absque ullius exploratoris opera in hostium manus se tradiderunt, seque eorum misericordiae permiserunt, nempe *Major generalis*, Hugo O Nellus, Zepherinus Galvaeus, Richardus Everardus, hi ambo Census equestris, Petrus Lacyus subchiliarchus; Jordanus Rochaeus Senator; Zepherinus Barronus; | Mauritius Bagotus, legionis instructor; Daniel Higinus, Doctor Medicus; Edmundus Rochaeus, civis; et Georgius Wolfus, centurio. Ex quibus Hugo O Nellus Londinum missus et ibi in custodiam datus. Tres Limericenses, nempe Zepherinus Galvaeus, Eques auratus, Higinus, homo constantissimus, et Wolfus, nec non Zepherinus Barronus, civis Waterfordiensis, P. Lucae Waddingi celebris Franciscanorum historiographi ex sorore nepos, atque olim inter confederatos Iberniae Catholicos Regni Consiliarius, laqueo suspensi. Richardus Everardus, Eques auratus, ob senectae reverentiam haud suspensus, sed custodiae in Ibernia mancipatus. An vel quomodo in alios praefatorum, qui sese sponte sua hostibus prodiderant, animadversum sit comptum non habeo. Exceptorum autem alii qui se pro virili hostes celare conati sunt, Terentius O Brien, Dominicanus, S. Theologiae in suo olim Ordine Magister et Provincialis, et ex Dominicano Episcopus Immolacensis, eadem sua diaecesi oriundus, *moribus* (ut in litteris non modo a Clero et proceribus ac nobilitate Immolaciensi, sed etiam a pluribus Iberniae Praelatis, qui ut in Episcopum assumeretur, rogaverant, ad Suam Sanctitatem mense Febr. anno 1645 datis lego), *prudentia, aliisque nominibus commendatus, generis nobilitate clarus, proceresque Regni consanguinitate attingens*, qui Nuncio et partibus ejus in superioribus Regni dissidiis magno zelo adhaeserat, vitam vere piam gloriose martyrio per laqueum finivit.

(224) Ex iisdem exceptis, seque hostes, quantum possent, celantibus, Patricius Purcellus, vir nobilissimus et copiarum Momoniensium antea subpraefectus generalis, deindeque | in totius Regni exercitu sub Ormonio anno 1649 *Major Generalis*, quem titulo vernaculo *Purcellum Crochensem* vocitabant, nec non Thomas Strichaeus, civitatis Limericensis recens Expraetor, qui eximia inter obsidionem constantia haereticorum in se rabiem acuerat, pariter capti et suspensi sunt,

2237
v

2238

Episcopi Immolacensis et horum duorum capitibus post suspendium abscissis, et ad civitatis portas appensis.

(225) Ex his Purcellus notum est quantopere ad aliquot annos partes Ormonicas secutus sit. A quibus tamen anno 1649 demum ita desertus est ut Ormonius *Majoris Generalis* provinciam militarem ipsi ex Comitiorum Ormonicorum mandato decretum demum haeretico, Daniel O Nello, concederet; illeque deinde ita ab Ormonio atque ejus partibus deflexit, ut ex iis fuerit, qui Robertum Fitz-Mauritium, Tribunum Ibernum, occulto mandato munitum ad Regem anno 1650 allegarunt, ut Ormonium magistratu abdicandum curarent. Porro quadam nocte Limerici ante caeptam obsidionem ad cubiculum, in quo Moriartus O Brien, Cornelius O Brien, et Briennus O Nellus cognomento *Rufus* (qui haec postea retulit), tres Tribuni, contubernales essent, se recepit, ibique sua errata praeterita palam agnovit, et cum ipsis ac reliquis Cleri fautoribus societatem coivit, protestatus se usque ad mortem juramento tunc suscepto institurum. Quod religiose observavit. Ferturque in mortis articulo fecisse lingua Anglicula sermonem, cuius summa haec est: "Iberniam (inquit ad | Anglos) debellastis non vestrā virtute bellica, nec militū numero, sed nationis prodītionib⁹ et discordiis, eorumque, qui hac ex parte peccarunt, numero ego accensendus sum. Cujus me paenitet, et Deum atque homines veniam rogo."

2238

v

(226) Ex iisdem etiam exceptis P. Jacobus Wolfus, praefati Georgii frater, P. Joannes O Cuillinus et P. David Rochaeus, tres Dominicani, D. Laurentius Walshaeus, sacerdos, quem ab Iretono centurionem haberi video, et Dominicus Fanningus, Senator, causae Catholicae apud Limericum columna, capti sunt et laqueo suspensi, excepto primo, quem dictus P. Fabianus O Mulreanus, nulla facta suspensionis mentione, capite truncatum fuisse scribit, et tertio ad illas insulas, quas Angli in America incolunt, relegato, ut duriorem ibi ipsa morte servitutem serviret. Porro tres primi PP. Dominicani (authore P. Fabiano jam dicto) cum dilabi possent, dilabi tamen noluerunt. Quod ab ipsis ardenter martyrii desiderio factum fuisse auguror, licet ille causam non explicit. Denique P. Franciscus Wolfus, Franciscanorum Guardianus, et ipse ex exceptis, die, qua hostes Limericum introierunt, disparuit, nunquam postea, nec vivus nec mortuus, nec intra, nec extra civitatem repertus. De quo praefatus P. Fabianus: *Creditur (inquit) a civibus esse suffocatus.* Quod, quo pacto intelligendum sit, nescio, nisi

forsan in alicujus civis domo se absconderit, et demum civis ille | eum, ne apud se acri Anglorum scrutinio reperiretur, proindeque ipse et sua familia absconsionis paenas ex deditonis pacto luendas darent, forsan suffocarit. Quod ad exceptorum reliquos spectat, eos morte multatorum numero ascribi non video. Quare quid ipsis postea contigerit non diffinio, excepto Episcopo Limericensi, qui gregarium militem ementitus, cum praesidiariis non nisi vix evasit, et ad Muscrium in Comitatum Kierensem se recepit, ab eo humaniter exceptus. Diem etiam, in quam uniuscujusque ex praedictis martyrium incidit, non trado, quia mihi non traditam. Video equidem urbem ex pactis 29 Octobris fuisse dedendam, et Iretonum praefata sua epistola 3° Novembris de Episcopi Immolacensis, Purcelli, et Thomas Strichaei, Expraetoris, morte significasse, quibus ille *ibi principalem in protrahenda ditione activitatem atque influentiam* ascribit. De aliis autem velut tunc superstibibus mentionem facit. Ex quo liquet illos tres inter 29^m Octobris et 3^m Novembris, alias vero posterius martyrium pertulisse.

(227) Inter eandem obsidionem in civitate Limericensi se tenebant duo alii Praelati, Archiepiscopus Cassiliensis et Episcopus Laonensis. Quorum Cassiliensis non exceptus, hostium fide publica in Hispaniam exulavit. Laonensis autem, Joannes O Molonius, facultatis Parisiensis S. Theologiae Doctor, 5^o Augusti anno 1630 ad illas infulas ab Urbano VIII assumptus fuerat, causaeque Catholicae in hoc bello promovendae praeclaram operam adeo adhibuerat, ut (quod sciam) nunquam claudicarit. Quare | anno superiori ab Ormonio haeretico per haereticos satellites in custodiam datus, et pecuniis atque aliis bonis spoliatus, infirmus licet et sexagenarius, sed Praelatis Synodi Jacobopolitanae Commissariis sua responsione 29 Septembris 1650 Galviae data urgentibus, libertate donatus est. Et licet ibidem Praelati institerint ut ei bona direpta restituerentur, haud tamen aliter restituta fuisse invenio, quam modo quo recens et Bellingus, qui de Ormonio loquens spiritu solitam Bellingi impietatem redolente et in Episcopum maligno: "pecunias (inquit) quas in egenum militem distribui jussit, opportune inventas credidit. Sed eadem clementia, qua Episcopum libertati restituit, quaedam, quae fisco debebantur, ex Laonensi diaecesi vectigalia ad resarcendum damnum dari mandavit, et quo certior istarum pecuniarum solutio esset, ipse subscriptis et de more sigillo munitis tabulis, quaedam ex suis propriis praedia Episcopo oppigneravit." Haec ille,

2239

2239
vAnnot.
p. 191.

cum suo Ormonio Episcopum irridens. Illa enim solutio tunc erat nugatoria, cum Episcopus illa vectigalia a regione bello vastata et hostibus tributaria exigere, et praedia illa a Parliamentariis vindicare non posset. Nec ego Ormonium et Bellingum si non religione, certe impietate pures Episcopum ludibrio illo habuisse miror, sed plane stupeo quo pacto Congregationis Jacobopolitanae Commissarii acta Jacobopolitana in Ormonium et fautores lata suspenderint, nisi ea lege, ut Episcopo plenissime satisficeret, praesertim cum in eorundem actorum paenam | incarcерatus et spoliatus fuerit. Haec non erat sola quorundam Praelatorum in hoc bello titubantium ignavia. Porro Laonensis rebus hunc in modum tempore difficillimo crudeliter excussus, et (quod supererat) ulterioribus rapinis a Parliamentariis ad incitas redactus, haud se ad impia Comitia Loghreaghensis contulit. Quod consulto indico, ut sciat lector eum in res ibi impie gestas non consensisse, imo ne interfuisse, qui senectute, infirmitate, et aerumnis fractus Limericum se recepit; ubi et alibi semper tanto zelo causam Catholicam sustinuit, ut immortale illorum luporum sibi odium conciliarit. Quare Iretonus eum in exceptorum numerum retulit, sicut in P. Fabiani O Mulreani relatione lego. Verum Deus item finivit, Episcopo Limerici defuncto tertia die ante hostium introductionem. Quo cognito Iretonus eum exceptorum catalago deinde typis mandato non inseruit. Stupebant autem multi quod ex quatuor Praelatis tunc in urbe obsessis nullo modo Cassiliensis, sed tres antiquo Ibernorum sanguine prognati, Laonensis, Limericensis, et Immolacensis, ab haereticis excepti fuissent. Cujus rei rationem, quam P. Fabianus O Mulreanus de Cassiliensi loquens dat, accipe: "Dicebat (inquit) se descendenter ex Anglis, nec unquam connivisse in contrarium iis, qui jugum excutere tentarunt." Sic ille.

(228) Hic silentio non praetereundum quod P. Dominicus a Rosario, quem saeculi nomine P. Daniele O Daly | vocabant, de Immolacensi, ex sua Religione Dominicana ad Episcopatum assumpto, tradit, nempe hostem ipsi quadraginta aureorum millia et exeundi, quocumque extra Regnum ire vellet, facultatem inter obsidionem ea lege obtulisse, ut *a solita et operosa concitatione populi desistere, et deditioи civitatis connivere vellet*, sed Immolacensem ejus postulatis non acquievisse, proindeque tyranni improbitatem in se lacessivisse. Idemque author de Immolacensi sermonem protrahens: "Circa mortem (inquit) tanti viri duo maxime notanda occurrunt. Primum est quod,

cum jam captus coram supremo Duce, invasore, sisteretur, et ab illo de nimis operosa commotione populi adversus dominium et religionem Anglicanam increparetur, statimque morti adjudicatus fuisset, quasi quodam spiritu propheticō, Tyrannum de injustitia redarguit, mortem pro morte minatur, et brevissimo tempore ante tribunal divinae Majestatis sibi responsurum appellat. Sane vix Deus sustinuit tyrannum victoria insolentem, ut impleret numerum fratrum, cum jam expleta executione aliorum hominum, quos exceperat, nec quidem 8^m diem attigisset, peste correptus, phrenesi et furiis exagitatus, altis clamoribus ejularet, innocentem illius Episcopi sanguinem sibi mortem accelerasse, iisdemque verbis multoties repetitis animam efflaverit.

(229) " 2^m est, caput hujus Episcopi gladio amputatum, paxillo sudive et turriculae, quae intermedio civitati ponti | eminet, impositum carne et capillis adhuc incorruptis, recentem indies distillare cruentem.

(230) " Scio plane non defuturos, qui tragicam aliorum hominum mortem hac occasione occisorum et gutture et calamo decantare voluerint, ideoque me ab hoc onere eximere, et solum prodigiosa quaedam divinae potentiae opera sub hoc eventu, quae tanquam futurorum et praesentium malorum praesagia ostendere dignatus est Omnipotens, per parenthesim delibare aequum duxi. Itaque tria maxima admiratione digna sub hoc tempore contigisse pro comperto habemus.

(231) " Primum est: paulo minus media nocte obscura, decimi septimi diei Julii, Sancto Alexio sacri, anni 1651 (quo tempore nostrates undequaque subsidiarias cohortes expectabant, et hostium opera super et subtus terra, a 3° Junii sex hebdomadarum labore omnia perfecta propugnacula, excubiarum fossurae, communicationum lineae, ductilis aquae lacunae, extortus fluvio trames, (uno verbo) completa et absoluta circuitio) a subsolano vertice montis, qui Limerico eminet ab Aquilone, exivit globus lucis splendidiae, luna minor, si molem spectes, radiosso tamen et crinito fulgore illustrior, diurnaque luce vix inferior (utpote qua cubilibus incumbentes atque infixas parieti scripturas eminus legere, et vigilias agentes murorum custodes inimicorum castra, tentoria, excubias, grassantes equites, omniaque alia oculis lustrare possent) pene duas leucas et medium, civitatem perpendiculari lustro transmeavit, et castris Australibus inimicorum occubuit. |

(232) " 2^m. Post haec visa est Virgo Maria in aere, sed prope

ibid.
p. 347.

2241

2241
v

terram hora 3a promeridiana a summitate Ecclesiae majoris D. Virgini sacrae, comitantibus binis et binis fratribus Dominicanis et Franciscanis, Sanctis nimurum Dominico et Francisco cum sociis, et tribus Virginibus, octo personis in numero, migrasse ad Conventum S. Dominici, et inde ad S. Francisci extra muros, indeque quasi tota civitate relicta disparuisse. Verum non omnibus haec visio facta est, sed quibusdam, duodecim numero, simplicioribus personis utriusque sexus, in diversis hortulis tractu illo laborantibus, a quibus Vicarius Generalis illius loci, D. Jacobus Dulaeus, vir doctrina et meritis notissimus, in partibus illis adhuc vivens, rei fidem jurejurando accepit.

(233) “ 3^m. Paucis ante ditionem diebus monstrum humanum natum, sed mortuum (ut creditum), ex meretrice multorum militum concubina, parvuli infantes faetu uno gemini, membris undique completis aequales, suo quilibet piloso capite, binis manibus pedibusque nec non et toto corpore ab alio diversus, nisi quod umbilico tenus super et subtus (versis in se vultibus, minitantibus amplexum manibus, sed retro fugientibus humerorum scapulis) in unum non quidem truncum, sed ventrem coalescere videbantur.

(234) “ Quemadmodum portenta nunquam sine admiratione, ita nec sine ingeniorum torsione. Dum audet humana improbitas secretiora quaeque Dei arcana scrutari ex his nostris multi multa auspicati. Eventus autem, rerum | magister, hoc tandem cogitare et credere docuit, extinctum inimicorum castris religionis Catholicae splendorem, et in secessum abeunte medico, sanitatis patrono, jam desperatam infirmi salutem, adeoque recedentibus antiquissimis loci patronis, Deipara Virgine Maria, BB. Dominico et Francisco, nullam incolumitatis spem fore Catholicis in tempore illo. Natum denique monstrum biforme duplicitis figurae haereticae, Anabaptisticae scilicet et Protestantis, ex prostituta omnium sectarum meretrice, Anglia, quae duae sectae hoc tempore amplexus contra religionem Catholicam et Romanam simulant, sed fugientibus humerorum scapulis divisionem inter se parant. Regnare contendit utraque, sed nunquam utrinque victoria, ut nos monstrum sua dispari mole virtutis et operis mortuum expectemus, longa annorum experientia edocti nullam in Anglia religionem, non modo nutantem, sed nec dominantem esse securam, nec Regimen perpetuum, nec pacem secum vel cum exteris sine metu, ne dicam sine fraude.” Haec ille, quae typis mandavit 1655.

(235) P. Fabianus O Mulreanus, ab Archiepiscopi Cassiliensis diaecesanis utriusque status in ejus coadiutorem et successorem commendatus et postulatus, urbe Limericensi capta in Lusitaniam trajecit, ubi (sicut ipse postea retulit) P. Dominico a Rosario O Daly, ex urbe non in Iberniam (sicut eum proposuisse vidimus) sed in Lusitaniam regresso, in contexenda *Geraldinorum Relatione* Ulyssipone anno 1655 edita opem et operam accommodavit. Quare quicquid in illo libello de tragaedia Limericensi traditur, Fabiano, testi oculato (credo), | acceptum referamus non minus ac illam a me citatam
 2242 v
 obsidionis et deditiois Limericensis Relationem ineditam, quam postea ex Lusitania Romam profectus in Urbe composuit. Ad cuius calcem haec habet verba : "His ita gestis quaestio est a sola Sede Apostolica decidenda : An civitas Limericensis hoc facto perdiderit de jure Canonico dignitatem Episcopalem ? An cives illos et eorum consanguineos fecerit infames in jure per viam facti, an incapaces ad dignitates prout in *Clementina* : *Siquis suadente*, et aliis locis in jure Canonico ? Uno verbo an inciderit in paenas a jure taxatas contra Episcoporum invasores, tradidores, eorumque fautores et complices verbo et opere." Haec Fabianus. Quem mihi constat saltem cuidam homini privato, natione Iberno, suam hanc Relationem Romae tradidisse, ab eoque autographum repetiisse, et nisi ad transcribendum apographum aliquot dies relinquere noluisse. Quare video non ausum fuisse quaestionem decidendam palam proponere, aut suam Relationem in Urbe nisi clam ostendere, ne D. Joannem Creaghum, Limericensem, et ejusdem civitatis olim Vicarium Generalem, tunc Alexandro VII° a Sacello, et magna apud Aulam Romanam in rebus Ibernicis procurandis autoritate pollentem, nec non | Andraeam Whitaeum, ejus concivem superius carbone notatum et tunc Principis Pamphilii filii Romae gubernatorem, aliosque populares in Urbe tunc se tenentes in se irritaret. Verum Limericensibus haud parum patrocinatur *Relationis Geraldinorum* author (quem ipsum Fabianum ex parte fuisse vidimus), qui de modo quo Iretonus in celebrando deditiois pacto se circa Episcopum Immolacensem atque alios exceptos gesserat, loquens : " Hunc (inquit) cum p. 346.
 aliis viginti a quocumque beneficio non solum commeatus, sed et incolumentis excipit. Oppigneravit animam suam, quia pelle pro pelle, aut hujus Episcopi aliorumque renitentium hominum capita cives ipsi deferre cogerentur." Sunt ipsius verba. Et haec quidem sunt, quae dicenda habui circa hanc

quaestionem, quae potius facti quam juris difficultatem patitur. Nam si re ipsa Limericenses et praesidiarii obsessi, qui cum Iretono de urbe dedenda convenerant, exceptos defendere, et ipsis vitam in tuto collocare poterant, a Deo et hominibus damnandi sint, secus crimine absolvendi. Quid autem facti fuerit, sicut mihi traditum est, dixi. Porro P. Fabianus: "Authores (inquit) principales prodigionis civitatis Limericensis:

1° Petrus Creagh factus Praetor ad hoc opus non obstante utroque juramento publico rem totam implevit. 2° Petrus alter Creagh, qui et Praetor fuerat et Pronuncium Apostolicum

2243 a civitate | Limericensi, ingressum recusando, expulit, vir v omnium scelestissimus. 3°. Dominicus White, Eques, Anglus ab initio et Anglus usquemodo opere et sermone, cuius hodie filii in quatuor Regnis dispersi universae nationi Ibernorum insidias struunt, ex quibus ille internuncius prodigionis civitatis, Andreas Romae habitat, postquam accusatus ut proditor et Regni Ibernici et Hispanici et Gallici, Parisiis interveniente Cromuelli legato (dum deficeret Cromuellus ab Hispano, et se Gallo uniret) liberatus est. 4°. Doctor White, Legista, frater Dominici et patruus Andreeae, vir omni legum astutia et callicitate malignus. Hic tamen non nomino Andream ut principalem proditorem, quia instrumentaliter agens foris in castris inimicorum ante traditionem civitatis correspondentias tenebat. 5°. Jacobus de Burgo, ille, qui ultimus in curia locutus nos ejicit. Quem et Doctor White, Legista, et alii multi secuti sunt. Et hic Jacobus ex appropriatis fisco bonis ecclesiasticorum ditatus evasit insolens. Ejus uxor convivium fecit in ingressu Anglorum, ut prima eis congratulari videretur, sed subito stratis mensis mortua est. 6°. Joannes de Burgo ex eadem familia dives usurarius, et homo malignissimus. 7°. Georgius Stacpol, Legista, qui et cum 2° Petro Creagh nocturnis interlocutionibus de traditione agens ad castra ibat et redibat. Hi sunt principales, quibus adhaerebant alii multi cives ex suis et aliis familiis Faningi, Rochaei, | Arthuri aliqui non omnes. Primus siquidem et principalis Arthurus et haeres, Joannes Arthurus, egregius juvenis, Roma reversus strenue et Catholice se gessit in his rebus. Quapropter ut novus advena paucis diebus ante obsessam civitatem regressus liber sed confiscatis bonis et possessionibus dimissus est." Haec ille. Ceterum validissimum turpissimae prodigionis argumentum est quod Fenellus, Chiliarchus, egregius Ormonista, ad annos superiores in Confaederatorum Iberniae Catholicorum bello memoratus, qui cum suis cohortibus

Limericum in defensionem introductus factionis Ormonicae et hostium molitiones (sicut vidimus) secundavit, urbe dedita Parliamentariis palam adhaeserit, et sub eorum vexillis stipendia fecerit. De qua re, atque aliis huc spectantibus Fitz-Patricius, Tribunus, litteris post deditam Limericum recens Galvia scriptis: "Fenellus (inquit) Chiliarchus, qui nunc hostibus militat, gnavum se factiosis praebuit instrumentum in exequenda hac proditione, ut hostes introducerentur, et cum ipsis conveniretur. Nam ejus molitione necdum observata, S. Joannis portam aperuit, et introducta hostium parte, illius portae et locorum adjacentium tormenta bellica in ipsam civitatem convertit, ut illam eorum fulminationibus conquassaret. Licet autem promissae conditiones (quae omnes ecclesiasticos et religionis exercitum excluserunt) pessimae fuerint, illae tamen ipsae non praestantur, nec observantur. Coacti sunt tradere Iretono omne ipsorum aurum, argentum, aurea argenteaque vasa et gemmas, | et civium plerique propriis laribus et avitis sedibus cum uxoribus et liberis deturbati fuere. Jam justam Dei sententiam vident in se latam, quod suapte sponte nulla urgente necessitate tradidissent et prodidissent Clerum, religionem, ecclesias, patriam et patriotas." Haec ille 10^o Decembris 1651. Quinetiam Doctor Enos de praefato Fenello et conjuratorum aliis non nullis a justo Judice punitis loquens: "Fenello (inquit) militi, qui hostem introduxit, ab ipso hoste gula laquaeo praefocatur. Petrus Butlerus aliquique factionistae peste abripiuntur. Walshaei uxor ab eodem hoste occiditur, ipseque suis exiuit bonis." Sic ille.

(236) Ineunte Novembri confluendum erat Regni Catholicis Jacobopolim ad Comitia Clanricardii Proregis jussu celebranda, quo gravissima (sicut palam fecerat) Iberniae negotia tractarentur. Ii, quos a Provinciae Dubliniensis Congregatione Ecclesiastica mense Septembri coacta delegatos fuisse diximus, illo se conferre decreverunt, sperantes se ibi Ardmachanum atque ejus Provinciae Clerum reperturos, et ibidem cum ipsis acturos de ratione exequendi ea, quae a binis utriusque Provinciae Congregationibus Ecclesiasticis antea decreta fuisse vidimus. Dum autem pergerent, in Conventu fratrum Minorum Belanalagensi ad Comitatus Longfordiensis confinia intellexerunt Clanricardium ejusque Commissarios fiduciarios, Primatis mente per quosdam proditores explorata, quo eum, aliosque e Clero populoque sinceros Iberos expectato successu fraudarent, Comitia illa in 6^m Februarii anni 1652 prorogasse, non ulterius

2244
vJust.
cap. 31.
num. 13.Anton.
Relat.

2245 Jacobopoli, sed Galviae oppido, | sibi quidem ipsis opportuno,
sed aliis incommodissimo tenenda. Traditque Antonius
Mageogheganus Proregem in hanc sententiam ivisse *ex con-*
venticulo, quod habuit cum Vicecomite Muscrio, D. Episcopo
Duacensi, et Luca Dillonio in castro Balliloghmeask. Muscrius
enim ad deliberandum ex Comitatu Kierriensi cymba mari
in Conaciam navigaverat, quod itinera terrestria hostes in-
siderent. Primas autem et alii Congregationis Ecclesiasticae
suae Provinciae Ardmachanae delegati Jacobopoli haec acta
condiderunt.

“ In Dei Nomine Amen.

“ Die Xmo Mensis Novembris 1651.

(237) “ Illustrissimus Dominus Hugo, Archiepiscopus Ardmachanus et totius Iberniae Primas, nec non delegati per Congregationem utriusque Cleri dictae Provinciae celebratam apud *Clochuachtir* (Petram superiorem) die 29 Julii anni praedicti, ut de negotiis religionis bonum et ecclesiasticam immunitatem concernentibus in oppido Jacobopolitano (in quo per Excellentissimum D. Marchionem de Clanricard, Regni Deputatum, Comitia Generalia, vulgo Assemblea, die 6° dicti Novembris resumenda et inchoanda sunt indicta) tractaturi et determinaturi comparuerunt, et insistendo vestigiis et determinationibus praefatae Congregationis utriusque Cleri decreverunt ut sequitur : |

2245 (238) “ 1°. Decernimus ut aliqui Commissarii per *Clerum v Provinciae Ardmachanae ad *Agentem* vel *substitutum* Serenissimi Ducis Lotharingiae destinentur, quorum instructiones, personarum determinationem, nec non temporis limitationem Illustrissimo Domino Primi prae sens Congregatio relinquit.

(239) “ 2°. Decernimus et ordinamus ut in singulis diaecesisibus Provinciae Ardmachanae (ubi fieri potest) Synodus diaecesana quantocvus cogatur, Thesaurarius deputetur, collectae fiant in ordine ad expensas factas et faciendas per Clerum cuiuslibet diaecesis respective in negotiis publicis Cleri, prout Ordinario et Metropolitano consentaneum videbitur.

(240) “ 3°. Hortamur enixe in Domino officiales omnes majores et inferiores, tam equites quam milites, ut serio consideratis Catholicorum in hoc Regno periculis et angustiis, semota omni excusatione pro praesenti, non obstantibus quibuscumque impedimentis per Clerum et populum hactenus

propositis ad levandam civitatem Limericensem obsidione expedite accelerent, et ad locum conductum per Excellentissimum D. Marchionem de Clanricard, Regni Deputatum, properent tempestive, prout invitantur.

(241) "4°. Quia experientia edocemur laxitate et facilitate Praelatorum in concedendis dispensationibus ecclesiasticae disciplinae ordinem perverti, et praceptorum contemptum oriri, admonemus et hortamur Ordinarios locorum, et alios Praelatos nostrae Provinciae, | ut in statutis diaecesanis laxandis nisi urgente necessitate non sint faciles, nec in decretis Provincialium Congregationum omnino nisi motivo communicato cum Illusterrimo Domino Primate vel ab eodem delegandis et eatenus quatenus ab ipso vel ipsis approbabitur.

(242) "5°. Ad avertendam a Natione Dei iram et indignationem, cuius indiciis, videlicet fame, peste, et gladio, incessanter affligimur, et ad implorandam divinam clementiam recurrendum esse necessario ad orationis remedium ducentes, decernimus et ordinamus ut singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares, hujus Provinciae unam Missam celebrent pro haeresi extirpanda et Catholica religione promovenda in hoc Regno. Item ut singuli sacerdotes conventualem Missam dicentes diebus dominicis et festis litanias B. Virginis, vel omnium Sanctorum, prout opportunitas erit, ante vel post Missam legant, inchoando a notitia hujus decreti, per annum. Omnes alii legere nescientes pro supradictis Coronam B. Virginis recitare teneantur.

(243) "Ultimo, cum potissima ratio, cur in hoc loco Cleri Congregatio indicta est, sit ne in Comitiis Generalibus ibidem indictis, insistendo vestigiis aliorum Comitiorum maxime Assembleae anno praeterito in Loghreagh celebratae, ecclesiasticae immunitati praejudicaretur, et appareat quod dicta Comitia in aliud tempus differantur, ideo haec Congregatio dicto hymno *Te Deum*, finit. In quorum omnium robur hanc Congregationem repraesentantes his subscrisimus die et anno supradictis.

Hugo, Archiepiscopus Ardmachanus, totius Iberniae Primas. Thomas Brady Kilmorensis Archidiaconus. Patricius Daly. U.J. Doctor, nec non Vicarius et Abbas Archidiaconus. Fr. Laurentius Ferallus, Procurator Exprovincialis Ordinis Praedicatorum. Fr. Malachias Corcoran, Ord. Minorum Diffinitor, et S. Theologiae Lector."

"Concordat cum originali: Jacobus Gavanus Congregationis secretarius." |

2246 (244) Ex his colligere est huic Congregationi tunc non innotuisse Limerici deditio[n]em. Porro actis hisce latis Ard-machanus *detecta* Clanricardii *fraude* jam dicta, rebus aliis infectis domum rediit, nec illuc etiam venerat ut cum Clero Comitiis indictis interesseret, sed ad rectificanda potius, quae ibi facienda essent, vel ad protestandum in contrarium, praesertim cum scivisset Proregem Clanricardium aversari ineundam cum Lotharingo conventionem, quam tamen Primas totis viribus promoturus erat. Comitiis ergo illis in annum sequentem ineuntem dilatis, restabat ut acta in duabus Provinciae Ard-machanae et Dubliniensis Congregationibus circa Regiminis mutationem (sicut vidimus) per aliam viam effectum sortirerunt. Quae qualiter inita fuerit, hic ex Antonii Mageoghegani Relatione habe:

Ant.
Rel.

(245) "Caeterum (inquit) cum defectus expensarum retardaret Commissarios Ultoniae a conveniendo Commissarios Lageniae, D. Antonius et alii Patres perrevererunt usque Cruachan, ubi morabantur Fratres Minores de Cavan, et ad eos ex Insula Sanctissimae Trinitatis misit D. Primas 4° Decembris P. Thomam Makiernan simul cum Vicegenerali Faerallo cum litteris credentialibus. Qui dixerunt omnia in promptu esse in illa Provincia juxta instructiones datas in Congregatione de Cloch-uachtuir, solumque Consiliarios expectare expensas ut simul convenienterent. Patres illi, Bonaventura O Melaghlin, Franciscus Fox, Thomas Makiernan et Guardianus loci, visis iis, quae in Lagenia acta fuerant, suaserunt Lageniensibus ire *Terbert* sequenti die ad Concilium Provinciale nobilium. Terbertae invenientes solum | Vice-generalem Faerallum 6° Decembris, ad 12^m usque expectarunt comprovinciales. 13° Decembris coram DD. Maelmorro O Rellio, Terentio O Neill, olim supremo Consiliario et aliis exponunt Lagenenses apud se confirmata rataque fuisse omnia acta Clochuachterensia. Unde illi in Consiliarios eligerunt Reverendissimum D. Episcopum Dunensem, D. Terentium O Neill, et D. Terentium O Boill. Ad Lotharingum mittendi Reverendissimus D. Episcopus Dunensis et P. Thomas Makiernan eliguntur. 14° Decembris Lagenenses convenient Illustrissimum D. Primatem et Reverendissimum Dominum Episcopum Kilmorensem apud Clochuachter. Exhibuit P. Bonaventura O Melaghlin suppli-

cationem ex parte Cleri Provinciae Dubliniensis conquerentis apud Illustrissimum D. Primate de Episcopo Dromorensi, quod contra canones et statuta sua Provincialia usurpaverit locum Vicarii generalis in exercitu Catholico autoritate solum laicali, id est Comitiorum Regni. Propter quam supplicationem emisit Illustrissimus Dominus Primas citationem, qua prohibetur D. Episcopus Dromorensis exercere illud officium usque ad proximum Concilium Provinciale, nisi ostensa in contrarium ratione. D. Antonius et socii abierunt."

"Copia Commissionis delegatorum Ultoniae.

(246) " Hugo, Archiepiscopus Ardmachanus, totius Iberniae Primas, et utriusque Cleri Provinciae Ardmachanae ad ardua quaeque negotia impraesentiarum expedienda autoritate fungens, omnibus praesentes visuris salutem. Consideratis religionis et rei Catholicae | praesenti statu et evidenti periculo (nisi divina adsit clementia eique nostra et aliorum, quorum interest, subsit industria) et ob alias nobis cognitas rationes, visum est nobis sufficientes et qualificatos viros, quibus vices nostras et utriusque Cleri Provinciae Ardmachanae hac in parte committamus, nominare, eligere, et constituere, qui unioni et Regimini in Catholicorum hujus Regni, et maxime hujus nostrae Provinciae simul cum aliis aliarum Provinciarum *Agentibus*, vel quot ex iis invenerint, incumbant operando et constituendo, et tractent, consulant, ac determinent, ad Catholicae religionis et gentis nostrae reliquias conservandas, de Regimine struendo et formando. Quare nominamus, statuimus, et delegamus Reverendissimum Dominum Arthurum, Episcopum Dunensem, et Reverendum P. Fr. Thomam Mackiernan, Fratrum Minorum in Ibernia Exprovincialem Ministrum, quorum integritate, fide, et sufficientia confidimus, ut ad finem praefatum cum predictis Agentibus sedeant et agent, sicut per praesentes nominatos, electos, et constitutos esse volumus, dantes illis ad hoc autoritatem nostram et utriusque Cleri nostrae Provinciae, qua in his fungimur, quantum ad finis praefati assecutionem attinet, ratum et gratum habentes et habituri quicquid pro nobis et vice nostra predictus Reverendissimus Dominus Arthurus, Dunensis Episcopus, et P. Fr. Thomas Mackiernan fecerint. In quorum fidem subscrivimus et sigillum nostrum apponi fecimus. Datum Clochuachtuir 15 Decembris 1651.

Hugo Ardmachanus." |

2247
v

2248 (247) " Die Decembris missus est P. Bonaventura O Melaghlin cum litteris ad quosdam officiales Lageniae, et maxime ad D. Joannem Fitz-Patricium, ut cum selecta manu saltem 3000 militum jungerent se cum totidem ex Ultonia, quos ducebat Illustrissimus Dominus Vicegeneralis Faerallus in Conaciā, ut possent cum aliis aliarum Provinciarum militibus et obsidionem Galviensem levare, et res delegatorum et Consiliariorum promovere. Idem etiam P. Bonaventura relatus erat, et efficaces litteras datus Illustrissimo Domino Episcopo Laghleniensi de unione et unanimi consensu Ultoniensium cum Lageniensibus, et de caeteris ibi rebus faeliciter gestis. D. Antonius et P. Franciscus Fox in Conventu Augustinianorum in Comitatu *Sligo* fere capti sunt a sexaginta equitibus ad hoc missis a Carolo Coote.

(248) " 30 Decembris D. Antonius, P. Thomas Makiernan, Franciscus Fox &c., in Insula dicta *Innishuirc* res omnes hactenus gestas communicant D. Vicecomiti Maioensi, qui potens erat in Conacia, et D. Bernardo O Neill. Respondet D. Vicecomes se in illa re adeo obligatum esse, ut nisi religionis aut patriae bonum suaderet, peculiare suum interesse ipsum in ea fidelem efficere deberet, eo quod neque vitae neque fortunae tutelam aliunde speraret, et potiorem Provinciae partem sibi adhaesuram ait in tam bona causa. Rem tamen neque propalandam neque executioni mandandam putat, donec aut ultramarinae suppeticiae vel saltem adisset exercitus, aut victoriam aliquam obtineret. Quod ab omnibus approbatum est." Haec ex Antonii Relatione. |

2248 (249) Non nullam de Joanne Vangyrishio Tribuno, natione Germano, in Ibernia sub Catholicorum vexillis stipendia faciente, ad annos superiores mentionem fecimus. Qui ibi Principi Roberto, vel Ruperto, classis Regiae praefecto, anno 1649 adhaesit, et cum eodem Parlamenti Anglicani viribus ex Iberniae portibus ad eundem annum exeuntem deturbato indidem discessit. Cui in Italiam profecturo idem Princeps litteras commendatitias 29 Augusti 1650 in portu Ulyssiponensi scriptas dedit laudis et benevolentiae plenissimas, nec aliud rogantes quam ut ab omnibus humaniter exciperetur. Quibus ille munitus Romam petiit, et ibi hoc anno 1651 operam dedit ut subsidia velut in Iberniam transportanda obtineret. Quorundam libellorum supplicium ab ipso Romae in eum finem praesentatorum apographa ad meas manus pervenerunt, opera cuiusdam, cui ille in Urbe sua arcana credebat. Eorum unum hic sequitur:

" Eminentissime Domine.

(250) " Fidei in Britannicis Insulis, maxime in Ibernia, Sanctorum olim Insula, propagandae zelo commotus Germaniam, meam patriam, bona et parentes ad tempus deserui, professione miles, Equitum Colonellus, quod militis erat Christi, in Christi causa praestare conatus sum. Profligatis aliquoties hostibus sanguinem et fere vitam effudi. Amandato tandem ex Ibernia per pauculos schismaticos Nuncio Apostolico, amandor et ego, qui ei fideliter et constanter inservivi, instructus tamen quibusdam instrumentis a non nullis Regni proceribus | signatis, quibus testatum fecerant velle se perpetuo Dei causae adhaerere, junctisque mecum viribus et armis religionis hostem pro sua virili insequi. Ut opus ex Dei benignitate susceptum perficerem, plurimorum consilio persuasus Urbem petii, omnia Sedi Apostolicae communicaturus, modumque indicaturus, quo (favente numine) profligato hoste religio Catholica in Ibernia stabiliretur." Haec ille, qui sequentem chartam non alii (credo) quam Massario, Sacrae Congregationis Propagandae Fidei secretario, praesentavit :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(251) " Nescio an meminerit Dominatio vestra Illustrissima, quo modo Nuncius Apostolicus Iberniae simul cum Clero informatus de adventu Serenissimi Principis Palatini Ruperti in Iberniam cum autoritate Archithalassis, seu supremi Praefecti totius maris et dominiorum Regis Angliae, et etiam omnium Insularum, haud immerito timuit integrum Catholicorum et religionis eversionem, si cum tanta classe conjungeret se cum haereticis. Ad quod impediendum me tanquam instrumento usi sunt, tam propter affectum et fidelitatem (prout crediderunt) meam in Sedem Apostolicam, quam etiam propter familiaritatem et confidentiam, qua jamdudum me complexus erat ille Serenissimus Princeps, committentes mihi ut aut Principem ad partes nostras pertraherem, aut illius classem dissiparem.

(252) " Hoc onere libentissime suscepto, cum essem supremus Praefectus Insularum Araniensium, et expressa nuncia ab ipso receperisset, quibus me monuit de suo appulsu, mox ad eum expeditvi nuncium, agendo gratias pro favore accepto, et congratulando ejus adventui, | offerendoque ipsi et me, et obsequia mea, et commodissimas illas Insulas (modo vellet ad nos accedere), et reliqua omnia loca in potestate mea posita. Significavi insuper subscriptas postulationes plurimorum nobilium et procerum Regni ac Tribunorum militumque eligentium illum

2249

v

2250

in suum protectorem, et obligantium se ad exhibendum illi amplius duodecim millia veteranorum militum, et simul sua loca, munimenta, castra, et fortalitia ultra ea, quae datus erat Generalis meus, Dominus Eugenius O Neill, et totius exercitus Ultoniensis, atque eorum et Cleri nomine aliquid aliud illi promisi. Quibus (Deo duce) persuasus non modo deseruit factionem illam Deo, Regi, et Regno perfidam, sed etiam causam et partes nostras amplexus ad praedictos nobiles subito destinavit tres praegrandes naves armis, tormentis bellicis, et pulvere tormentario munitissimas ad valorem centum quinquaginta milium scutorum. Sed a classe Parlamentaria pae-peditus et obsessus effectum habere non potuit. Caeterum hoc spondeo, ipsum anhelare ad succurrendum Catholicis et ad ostia Tyberina personaliter accessisset, si per sex hebdomas, quibus nuncia a me Touloniae expectavit, ab illo naves ad salvum conductum petiisse in Iberniam, aliaque sub hoc praetextu peregisset, de quibus nec agere possum, nec mandatum habeo. Ideoque ea silentio praetermittam saltem in scriptis. Sed Dominatio vestra Illustrissima ex P.N. aliquid scire poterit. Nec nisi ore tenus etiam referri possunt, quae in Lusitania sunt transacta; sicut nec divulganda censeo ante executionem media | et remedia ab hoc Principe applicanda ad recuperandam Iberniam et jura Sedis Apostolicae in illis Regionibus. Hoc solum confidenter assero, attestorque aliquos in urbe, vix mihi esse dubium de recuperando illo Regno, si non nulla arma aut pulverem ad Clerum cito adferre possem, prout petunt et expectant.

(253) " Verum erat illorum vel potius meum infortunium, quod nec introduci, nec audiri, nec hactenus expediri potuerim, ex suspicione (ni fallor) quod mea, non quae Catholicorum sunt, quaeram. Sed tam hic Princeps, quam alii sciunt unicum laborum meorum scopum esse, ferre opem Clero et Catholicis sub tam pio et necessario belli onere fatiscentibus coram tota Christianitate, nemine succurrente. Et quia reliquum vitae meae et laborum consecravi ad opitulandum nationi tam Catholicae, zelosae, et Christianae, haereticorum impia tyrannide suppressae, precor ut Dominatio vestra Illustrissima dignetur informare Eminentissimum Principem et Cardinalem Patronum totius Ecclesiae, ut huic Ecclesiae Insulae Sanctorum aliquantulum succurrat, poteritque ei manifestare ea, quae cæpimus apud Eminentissimum Dominum Cardinalem *Vitman*. Parva petimus, maxima inde speramus et attestor Dominationem

vestram Illustrissimam si sit in tota Christianitate opus huic simile." Haec Vangyrishius.

(254) Idem etiam alium libellum supplicem 15 Septembris 1651 datum et eodem spectantem Principi Pamphilio, Innocentii X ex fratre nepoti, ante quidem sed non tunc *Cardinali Patrono*, obtulit. Sed non invenio eum in hoc negotio apud Urbem profecisse. Nec mirum, cum homo non Ibernum | authoritate privata et propria, se rebus Ibernicis immiscuerit, miserando Iberniae fato, quae in hoc bello omnium prope nationum vicinarum pila evasit.

2250
v

(255) Ad annum superiorem dixi Archiepiscopum Firmanum ex Urbe ad suum Archiepiscopatum secessisse, ubi etiam hoc anno residentiam continuavit adversa valetudine. In Ibernia autem hoc anno mense Augusto Galviae diem obiit Archiepiscopus Dubliniensis, Thomas Flemingus, ex nobilissima Baronum Slaniae familia oriundus, Ordinis Sancti Francisci strictioris observantiae olim alumnus, et in eadem Religione S. Theologiae lector. Qui ad annum 1623 in Archiepiscopum Dublinensem salutatus, eam provinciam circiter 28 annos cum magna doctrinae et virtutis laude obiit, praesertim in hoc bello Catholic, in quo pluribus ejus amicis, agnatis, cognatis, et affinibus a parte causae Catholicae studiosa descentibus, et arte multiplici eum in suam sententiam allicere conantibus, non acquievit carni et sanguini, sed bonum certamen certavit, fidem servavit, cursum consummavit, sicut Praelatum vere Catholicum decet. Hoc etiam anno ad ineuntem Maium Galviae decessit octogenario major Thomas Dessaeus, ex Sacrae Theologiae facultatis Parisiensis Doctore Episcopus Medensis. Quem suis coloribus haud semel pinximus hominem de causa Catholica et natione Ibernica pessime meritum. |

FINIS VOLUMINIS QUARTI.



PRINTED BY
THE WOOD PRINTING WORKS, LTD.,
STAFFORD STREET, DUBLIN.

